
Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

280849



N. 63
Ex Libris Aug. Hugo
Parochi Rosenbergi.

JOANNIS LAURENTII BERTI

FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

BREVIARIUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

EDITIO POST VENETAM IN GERMANIA QUARTA.

AB AUCTORE IPSO RECOGNITA, PLURIBUS IN LOCIS EMENDATA, ET, PRÆTER ISAGOGEN AD SACRAM GEOGRAPHIAM, QUÆ IN CETERIS DESIDERATUR, NUNC PRIMUM VIII. INDICIBUS CHRONOLOGICIS AD CALCEM APPOSITIS LOCUPLETATA.

PARS PRIMA

QUÆ COMPLECTITUR CHRONOLOGIÆ RUDIMENTA, ET DECEM PRIORUM SECULORUM SYNOPSIM.

VINDOBONÆ,

TYPIS JOAN. THOMÆ NOB. DE TRATTNERN, CÆS. REG. AVLÆ TYPOGR. ET BIBLIOP.

MDCCLXXIV.

280849

280849

Narodna in univerzitetna knjižnica Ljubljana

18. VII. 1977 D54

REVERENDISSIMO

PERILLUSTRI, ac AMPLISSIMO

DOMINO, DOMINO

MARIÆ BERNARDO

SACRI, & AB ORIGINE EXEMPTI

ORDINIS

CISTERCIENSIS

In Celeberrimo, & Antiquissimo

MONASTERIO B. V. M.

DE

VICTORIA

ABBATI VIGILANTISSIMO IN VALLE ROSARUM DIOECESIS GORITIENSIS ARCHI-DIACONO NATO, SAC. CÆS. REG. & APOSTOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO, NEC NON IN CARINTHIÆ DUCATU HÆREDITARIO CAPELLANO AULICO &c. &c.

Domino, Domino Gratiosissimo.

REVERENDISSIME
PERILLUSTRIS, ac AMPLISSIME
DOMINE, DOMINE ABBA!

Turmatim properantibus in ſuum a quo exoriuntur principium cunctis commitamur ad TE GRATIOSISSIME PRÆSUL! libellum non quidem ſudoribus, ſed poſitionibus noſtris Theologicis auctum, quem levatis in TE utpote utriuſque amoris, & ſcientiæ Dei montem oculis profundiſſima animi veneratione dicare audemus; ſive enim beneficia, quibus TIBI obſtricti hæremus, ſive ſolium, ad quod meritis locupletiſſimum TE Victoria evexit perluſtremus, ex utroque promanat, potentiſſimo patrocinio TUO labores noſtros mira fovendi ubertas.

Primum quidem non tam verborum copia, quam gratitudinis contemplatione perſcrutando, quanta ſane rapidiſſimi adinſtar torrentis diſſitis, indignisque nobis a TE profluxit gratiarum vena, non omnium ore, mente, pectore, nec ipſa ubique buccinante fama ſat dixerimus.

Dediſti AMPLISSIME ANTISTES! ex ſapientiſſimo Monaſterii TUI gremio illum admirandis TUIS ſapientiæ, pietatis, modeſtiæ, ac virtutum ſingularium documentis perpolitum nobis ducem, & Præceptorem, qui veſtigiis TUIS nunquam abunde deprædicandis, exactiſſime inherendo per ſelectiſſimam Philoſophiæ, Theologiæ, tum Speculativæ, tum practicæ ſemitam nos indefeſſe timorem Domini, qui eſt initium ſapientiæ docuit; pauca dicimus, aſt plurima complectimur.

Se-

Secundum eſt TUA REVERENDISSIME DOMINE ſublimis adſtipata prærogativis Dignitas, ad quam a primævo ætatis flore meritorum ſelectiſſimorum ſtadio continuo percurrens marmoreas etiam Memnonis ſtatuas in voces, plauſus, jubilaque animatas EUM TE futurum præſagire cogebas, QUEM nunc late ſtupet, & veneratur orbis.

Et quid mirum, quod peculiari cœlitus providentia TE ad Præſulatus faſtigium provectum nunc nos admiremur, & cum gaudio admirantur omnes, cujus humanitatis, comitatis, modeſtiæ, virtutum inſolitarum, & vitæ totius TUÆ Ordinis, ac Sacrorum Canonum formæ conformiſſimum exemplar, omnibus venerandum, ſingulis immitandum diſſitis etiam Provinciis divulgat.

Eſt omnino in propagandis per monaſticæ diſciplinæ obſervantiam

virtutibus TUI Sanctiſſimi zelli, & in eformandis pro utroque foro probatiſſimis viris maximæ ſolicitudinis ſignum evidentiſſimum, quo cunctos TIBI ſimiles, utpote probatiſſimos efficere adeo adniteris, ut prudentiæ, ſapientiæ, & Sanctorum ſcientiæ vigilantia ornatiſſimus ABBAS merito compelaris.

Quis enim vero inficiari audebit? TUUM exquirendæ pollitioris litteraturæ ſtudium? quis non ſtupeat in colligendo quotannis utilitate ſelectiſſimorum librorum cumulo affixum fervorem? quis ignoret TUUM alios conſiliis, alios facultatibus conſolandi providentiam? quem tandem latebit clementiæ, ac miſericordiæ largitas, qua plena eſt dextera TUA.

Saccerrimus ipſe Ciſtercienſis Ordo, cujus TU prætioſiſſima es gemma teſtis eſto inclytæ Carinthiæ,

ac

ac Styriæ Status adprobet. Victoria TUIS connatibus munificata manifeſtet, in TE vigore continuo, qui omnibus unice factus es, omnia repoſitam eſſe virtutum metam.

En REVERENDISSIME PATER! quantum dignitas TUA tenue noſtrum ſuperet oblatum; fatemur humiliter munus hoc gratitudinis, & venerationis AMPLITUDINI TUÆ plane eſſe indignum; dignare tamen gratioſiſſimos pauliſper convertere obtutus, ut beneficientiæ TUÆ fulmine ocius occurrentibus conteſtari liceat: adhæreat lingua faucibus noſtris, ſi non memineri-mus TUI.

Patere igitur GRATIOSISSIME PRÆSUL aſſertionum noſtrarum vilitatem mutuatis a TUA benignitate, & dignitate prærogativis operiri, ut TUO illuſtratæ nomine in diem vocentur, ac lucem nova ſint luce cumulaturæ:

Profecto Nomine TUO Amplisimo, utut cœterum noſtra faſtidirent, plurium tritæ manibus veneratione delectabunt, & velut adamante roboratæ eandem TEcum ſortem nactæ magis continuo vetuſtate floreſcent.

Accipe demum conſueta TIBI clementia potentiſſimo Patrocinio TUO munitum hoc Theologiæ Epitome, ut publicam judiciorum aleam experturum adverſæ cujusvis fortunæ ictui invicte parere mereatur.

Hoc dum accipis vultu gratioſiſſimo, paternisque occulis intueris, ſatis tueris. VALE!

Humillimi devotiſſimi
Defendentes Fontani.

PRÆFATIO.

Paucis hujus Operis conscribendi consilium, methodum, atque utilitatem exponam. Quum primum tradendæ Historiæ susceptam demandatam mihi provinciam, animadverti pene innumeros esse Scriptores, qui res a Majoribus gestas litteris consignarunt: quorum si duntaxat nomina vellem recensere, excederet istorum index hæc duo Breviarii volumina. Illi quoque, qui ad unam tantum Historiæ partem exornandam animum applicuerunt, & librorum amplitudine, & rerum copia, & prolixitate verborum, legendi, discendique cupidos prorsus exanimant. Nemo unus, quamvis lynceis sit oculis, insomnis, assiduus, & diurna, ac nocturna manu auctores verset, & pervolutet, universos unquam perlegerit. Tyronibus itaque, præsertim Theologica doctrina imbuendis, & ad sacras habendas conciones formandis, multiplicia illa, & prægrandia volumina inutiliter proponuntur. At, inquis, complura sunt, eaque exquisitissima, Ecclesiasticæ Historiæ Compendia, quæ, neglectis interim locupletioribus Voluminibus, præsidio esse possunt adolescentibus. Id quidem si inficias ibo, irridebunt me singuli. Verum hæc difficultatem non imminuunt, sed augent. Petenti enim quodnam ex his Compendiis præferendum existimemus, quid respondendum sit, omnino me latet. Si Chronicorum laudavero libros, Tabulasque Chro-

nologicas ; nescio quid ex iis eruere possit discipulus, nisi forte rationem temporum, nudaque sive Cæsarum, sive Pontificum, sive celebratissimorum Virorum nomina, rerumque humanarum vicissitudines, aliaque id genus, quæ aut noscat, aut ignoret, parum sua interesse crediderim. In ipsa ulterius temporum supputatione Chronographi adeo discrepant, ut si unius sectemur calculos, alterius computo reprehendamur. Quamobrem lectione unius parum, aut nihil proficimus, collatione autem plurimorum confundimur. His autem neglectis, si forte avida celerique manu arripiamus Historiarum Synopses, nescio quid harum adminiculo percepturi simus utilitatis. Etenim aliqua eo elucubrata sunt fine, ne memoria excidat, quidquid vehementi, & diuturno comparatum est studio. Iis itaque, qui Historicos nec a limine salutarunt, neque ab iis aliquas acceperunt servandas custodiendasque divitias, nullo erunt istiusmodi Epitomes adjumento. Quædam aliæ comprehendunt vel acutissimas animadversiones in præteritorum temporum monumenta, vel præceptiones, & consectaria ad mores instituendos, regendamque rempublicam opportuna : sementis tamen ac messis, putationis & vindemiæ distinguenda sunt tempora ; atque meliora seligere, aliena carpere, emendare anachronismos, exercitati viri opus est, subacti ingenii, improbique laboris. Permultæ denique auctores habent heterodoxos, qui nempe nituntur Romanæ Ecclesiæ deprimere dignitatem, Majorum evertere traditiones, & propugnare nefa-

nefaria dogmata; atque iſtorum ſcripta doctiores refellere naviterque oppugnare, adoleſcentes vitare ſedulo debent, & procul abjicere. Subiit itaque animum meum cogitatio ejus modi Epitomen condere, in qua nec ſola annorum ſeries, nudaque virorum nomina occurrerent, neque legentibus neceſſaria foret prævia inſtitutio, neque faſtidium pareret rerum multiplicitas & permixtio, neque aſſentatio improbos ignarosque palparet, neque de humano genere benemeritos calumnia proſcinderet, neque perniciosæ doctrinæ propinaretur venenum. Id vero utrum aſſecutus fuerim, compertum erit experimento.

Methodum talem tenendam eſſe putavi, in qua neque lucidus ordo deeſſet, neque præteritorum temporum acta inquirentem defatigaret prolixitas, perturbaret varietas, inopia & jejunitas excruciaret, ſtyli obnubilaret opacitas, orationis ambitus circumageret. De Romanis Pontificibus initio differere conſtitui, quoniam ob dignitatis faſtigium, ob religionis principatum, ob fidei depoſitum, ob auctoritatem magiſterii, ſunt mortalibus omnibus præferendi. Quinam fuerint Apoſtolicæ Sedis invaſores, & ſchismatum ſciſſurarumque architecti, ſuo loco adnotatur. Si legitimi Petri ſucceſſores aliquid humani paſſi ſunt, quemadmodum fateri neceſſum erat, ita id temperanter narravi, admonens nunquam illos fidei integritatem vitæ facinore violaſſe: quod veræ Eccleſiæ non labefactat, ſed corroborat firmitudinem. Hinc enim comprobatur, adverſus eandem Eccleſiam nunquam portas inferi præ-

valere, nunquam mergi, quamvis jactetur fluctibus, Petri naviculam. Pertractavi proximo loco de Conciliis, quibus explorata est Apostolorum traditio, confirmata fides, restituta disciplina, atque confixæ hæreses, moresque reformati fuere. Tertio hæreticorum descripsi deliramenta, propterea quod frustra sacrorum Antistitum veneratur confessus, quisquis non execratur Satanæ Synagogas. Quarto autem loco sermonem instituo de Scriptoribus Ecclesiasticis; quorum, cum singulos recensere longe excederet Breviarii fines, illustrioribus laudatis, reliquos promiscue & coacervatim commemoro. Quoniam vero duo sunt, quibus mundus principaliter regitur, nimirum auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas; Cæsarum quinto in capite trado notitiam, cui addo plurimorum Sanctorum catalogum; tum quia eo loci de Persecutionibus, ac de Martyribus opportune disseritur: tum etiam quia regnantium in cœlis hæreditas erit, ut propositam spem habemus, peregrinationis nostræ terminus, merces laborum, studiorum complementum, atque intellectus satietas. Ea, quæ sexto attinguntur capite, spectant ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata, & disciplinam: dogmata vero ea sunt, quæ firmissime fide tenemus, accepimus perpetua traditione a Maioribus, & sacrarum Scripturarum oraculis, Apostolicæ Cathedræ definitionibus, Synodis Oecumenicis, sanctorumque Patrum documentis credenda cunctis Christi fidelibus proponuntur; neque seculorum decursu, aut diversitate locorum, alicui, vel minimæ, obnoxia sunt mutationi. Di-

sciplina autem vel ritus & cæremonias, vel rigidioris, seu benignioris consuetudinis leges perscribens, pro temporum, locorumque varietate mutatur; & recte, atque inculpate se gerit, qui illius, in qua commoratur, Ecclesiæ obtemperat institutionibus. Quibus addimus Religiosas quoque Familias, harumque primordia, necnon quædam alia, quæ dici possunt prædictorum supplementum, & aliquod post collectionem segetis spicilegium. Atque hisce limitibus utraque Pars circumscribitur: nam quæ sequuntur in Appendice ex profanis historiis collecta, externa additamenta sunt, & mantissæ. Hanc itaque servavi methodum, qua unius ab aliis seculis segregatur historia, & quæ spectant ad unam ejusdem historiæ partem, secernuntur a ceteris: In his vero dedi operam, ne veritatem infringerem aut assentandi libidine, aut rursus odio & livore, vitans, ut in primo Annalium admonuit Tacitus, fœdum crimen servitutis, quod inhæret adulationi, & falsam speciem libertatis, quæ inest malignitati.

Utilitatem denique hujus Operis haud minimam futuram fore confido. Etenim eorum, quæ sunt dispersa, collectio, & eorum, quæ permista sunt, segregatio, magno tyronibus esse potest commodo, atque adjumento. Si ad studium Ecclesiasticæ Historiæ tantummodo exstimularet, & viam sterneret; neque istud parvum mihi videretur emolumentum. De Historiæ laudibus dictum est alibi: nec rursus in silvam ferenda sunt ligna. Sat erit, pervulgatam Tullii descriptionem, & poeticum, notissi-

tissimumque Historiæ præconium repetere. Cicero enim in dialogis de Oratore ad Quintum fratrem, Historia, *inquit*, testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, lux vetustatis. *Præconium vero illud versibus hisce comprehenditur.*

Illa ego, quæ gestis præsum custodia rebus,
Digero quod caveas, quodque sequaris iter.
Priscaque ne veteris vanescat gloria secli,
Vivida defensant quæ monumenta damus:
Et sua virtuti per me sunt præmia, rursum
Impia famosis defero facta notis.
Eloquor & summi quantum jactentur, & imi:
Eloquor & cæcæ fasque nefasque deæ.
Quod majus theatrum, circusque capacior, aut quæ
Doctior humanas scena referre vices?
Me sine quis prudens? Unde experientia major?
Qui me adiit, tandem non mage doctus eat?
Omnis enim nostro pendet prudentia sensu,
Riteque nil, nostra qui caret arte, sapit.

Præfari non opus est plura; siquidem, ut Lucianus ajebat, Proœmium Historicorum non quærit benevolentiam, quam præcipue captat Orator.

CHRO-

CHRONOLOGIÆ RUDIMENTA.

CAPUT I.

DE TEMPORE, HUJUSQUE PARTIBUS.

QUam nos rationem temporum dicimus, appellitant alii Græco Vocabulo *Chronologiam*, a χρόνος, *tempus*, & λόγος, *ratio*. Hinc pariter nomen trahunt *Chronicon*, in quo series temporum adinvenitur digesta, & *Chronologus*, aut *Chronographus*, Scriptor Annalium. Ethnici quoque Saturnum, quo nomine *tempus* colebant Κρόνον dixere, atque ab ipso devorari liberos autumabant, quoniam omnia tempus absumit. Est itaque Chronologia, aut Chronographia, temporum ratio, vel descriptio.

Tempus quidam à τῆμος, *tunc*, quidam à τέμνω, *seco*, quidam a *tepor* dictum volunt, quasi a veris temperie. Facilius autem est tempus mente percipere, quam describere verbis. Philosophi ajunt tempus esse mensuram motus, vel durationem rerum corporearum, nec sine principio nec sine fine existentium. Iis enim, quæ divina sunt, non tempus competit, sed æternitas. Fortasse veteres Saturno Rheam, id est, terram dederunt uxorem, quoniam temporalia quælibet e terra gignuntur.

Ex primo *Geneseos* percipimus initio temporis, quando Deus condidit cœlum, & terram, fuisse materiam quamdam formæ expertem, quam latinus interpres vocat *terram inanem*, & *vacuam*, & Codex Hebraicus *Tohu* & *Bohu*; tum producta luce, diem a nocte fuisse secretam. Hinc nati apud Eusebium in 1. de Præparatione Evangelica Phœnicum Dii *Thoth*, & *Bau*, & quod primum in Theogonia statuit Hesiodus, *Chaos*, hujusque filii Erebus & Nox, a quibus procreati finguntur Æther, & Dies. Sunt itaque partes temporis præcipuæ tenebræ & lumen, nox & dies. Et nox quidem præcessit diei; nam ut Apostolus ait 2. ad Corinth. 4. 6. Deus *e tenebris fecit lumen splendescere.* Hac de re Judæi *a vespera ad vesperam* juxta præscripta legis agunt dies Festos. Eo processit Gentilium insania, ut has quoque temporis partes inter Numina referrent. Nocti vero mactabant gallum, *Quod tepidum vigili provocet ore diem*, inquit in 1. Fastorum Ovidius. Dies item ac æther lucidus est Jupiter ille *Diespiter*, & *Lucetius*, de quo Agellius lib. 4. Noct. Attic. cap. 12. Orti illinc Lucifer, & Hesperus, quibus equos desultorios consecrabant.

Sequitur pars minor diei *Hora*, ab *Hor*, *lux*, appellata, unde Sol etiam, & Apollo *Horos* vocatur; sive ab ὁρίζειν, id est, *terminare*, ac definire, quod horæ partes dierum finiant, ac dividant. Fuerunt olim horæ idem, ac quatuor anni partes, ver, æstas, autumnus, & hyems. Hujus partitionis causa dicuntur horæ apud Nasonem citato lib. 1. Fastorum, una cum Jano, id est, Sole servare, & custodire car-

cardines cœli, atque apud Horatium lib. 1. Ode 12. mundum temperare. Propter quatuor illas horas, vel anni tempora Gentes consecrasse Soli quadrigas, scribit Isidorus lib. 18. Originum cap. 36. Horas deinde Ægyptii in duodecim diei partes distribuerunt, eo quod animal Serapi dicatum duodecies in die mingeret æqualibus intervallis. Duplicatus tandem est numerus, & ex duodenis horæ factæ vigintiquatuor. Videsis lib. 1. Saturnalium cap. 21. Macrobium.

Duodecim horas diei, ac totidem noctis numerabant tempore adventus Dominici Romani pariter, & Judæi. Idcirco Dominus universas diei partes significans inquit Joannis 11. 9. *Nonne duodecim sunt horæ diei?* In quatuor enim quadrantes diem partiebantur, quorum habebat quilibet horas ternas: ac prima incipiebat cum ortu Solis, sexta in meridie, duodecima vero absolvebatur, cum Sol occideret. Præcipue tamen cujuslibet quadrantis priorem horam, primam nempe, tertiam, sextam, & nonam Judæi orationis causa observabant. Tertia enim, sexta, & nona, sacrificia precesque fieri solebant, quod præter Hebræos docent nos Cyprianus de Oratione Dominica, & Hieronymus ad caput 7. Danielis, & in epistolis ad Lætam, & ad Demetriadem. In cap. 10. *Numerorum* præcipitur, ut festis diebus horæ ipsæ tubarum sonitu significentur. Eapropter illas vocat Tertullianus in libro de Jejuniis *insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publice resonant.*

Cum tres illæ horæ essent cæteris notiores, illarum designatione indicabatur medium illud tempus, quod inter unam, & alteram orationis horam intercedebat. Ita hora tertia usque ad meridiem, nona usque ad Solis occasum computabatur. Ex his colligimus horam *Sextam*, qua crucifixus est Dominus, fuisse meridiem, impletumque vaticinium Amos 8. 9. *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: Occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Apparet etiam, nullam esse antilogiam inter Marcum Evangelistam asserentem cap. 15. 2

Christum affixum Cruci *hora tertia*, & Joannem scribentem cap. 19. 14. patratum hoc scelus *hora quasi sexta*. Etenim id contigit medio tempore inter tertiam, & sextam horam nondum exacto (*a*)

Ut diem, ita noctem in quatour partes primum Romani, deinde Judæi diviserunt, quas appellarunt *Vigilias* a militum nocturnis excubiis. Quatuor illæ vigiliæ tribus horis singulæ constabant, ac erant tempore hyemali longiores, & breviores æstivo. Etsi autem erant olim apud Hebræos tres vigiliæ, teste David Kimchi; a temporibus tamen Pompeji, qui Jerosolymam expugnavit anno P. Jul. 4651. ante Vulg. Æram 63. iidem Judæi cum Romanorum moribus congruentes, statuerunt quaternas. De priori Vigilia, seu Vigiliarum initio vide Hieremiam Thren. 2. 19. Secundam, ac tertiam commemorat Lucas 12. 38. quartam Matthæus 14. 25. & Marcus 6. 48.

Quarta hæc vigilia Matutina appellatur Exodi 14. 24. & secundum gallicinium apud Synesium, & Aristophanem. Gallus enim in medinoctio, & sub adventum lucis edit cantum. In eadem vigilia conspici solem in vertice montis Cassii in Arabia Petræ scribit Plinius lib. 5 cap. 22. Non ergo differt ab hac vigilia Aurora, quam gentes *Matutam*, & Ἀευκοδίαν, hoc est, Albam Deam nuncuparunt: de qua Strabo lib. 11. Geographiæ, Hyginus fabul. 2. & Cicero in 1. Tusculan. Ex his infertur, in aurora demersum Pharaonis exercitum, Petrum ejusque naviculam jactatam fluctibus evasisse naufragium, eumdem Petrum tertio negasse Magistrum, & hunc opus redemptionis inchoasse, quemadmodum Pontifex Hebræorum sacerdotale munus auspicabatur. Nam hæc omnia in quarta vigilia, & in secun-

(*a*) Utique nonnulli Patrum, inter quos S. P. Augustinus, tradunt Christum Dominum *hora tertia* crucifixum fuisse in Prætorio lingua Judæorum, & *hora sexta* lictorum manu; sed hæc moralis explicatio literalem, quam hic inauimus, minime excludit.

secundis galliciniis eveniſſe commonſtrant loca paullo ſupra producta,

A vigiliis, quas memoravimus, nomen traxerunt nocturnæ preces, quibus veteres Chriſtiani vacabant. De his plura in libello precum Marcellini & Fauſtini, in libro 3. Inſtitutionum Caſſiani, in libris pertractantibus de Ritibus Eccl. Iſidori, Honorii, aliorumque, & in Cardinalis Bona Divina Pſalmodia. Iis autem vigiliis abrogatis, exceptis, quæ aguntur in Natali Dominico, Vigilias conſuevimus appellare dies profeſtos, & interdum officia, maxime Defunctorum, quæ nocturnis olim vigiliis perſolvebantur.

CAPUT II.

DE ETYMOLOGIA, DISTINCTIONE, INITIO, ET VARIETATE DIERUM.

Particulis temporis explanatis, agam de die, non quatenus ſignificat lucem a tenebris ſegregatam, ſed prout eſt ſpatium vigintiquatuor horarum, & *veſpere*, & *mane*, ut divinæ Scripturæ utar phraſi, componitur. Appellatur dies ἀπὸ τοῦ Διος, nempe à Jove, ſeu luce, nobiliori diei parte; ſive, ut Varro inquit, a Deo, qui lucis, & diei eſt auctor, & rector. Græci ἡμέραν dicunt, quoniam dum lumen emicat, homines gratulantur; ideoque veteres ſcripſerunt ἱμέραν, nempe *deſiderabilem*. Integram proinde diem, quæ tenebras lucemque complectitur, vocant νυχθήμερον.

Ex quo autem νυχθήμερον ſit noctis, lucisque complexio, ſequitur optime diem appellari illam temporis partem, in qua veſpera & mane, tenebræ & lux diſtinguuntur. Quare duæ noctes, & dies unus, cum parte lucis, ſeu diei præcedentis, & inſequentis, tres dies dici poſſunt. Ita quod legitur

Matth, 12. 40. Jonam fuisse in ventre ceti τρεῖς ἡμέρας, καὶ τρεῖς νύχτας, & Matth. 27. 63. ac Marci 8. 31. Christum a mortuis resurrexisse μετὰ τρεῖς, ἡμέρας, *post tres dies*, accipiendum est, ac si diceretur, μετὰ τρία νυχθήμερα, *post tria dienoctia.*

In naturalem, & artificialem Astronomi diem dispertiunt: & dies naturalis est ille, quo sol ab ortu ad occasum procedens, ad idem, unde profectus erat, punctum revertitur; artificialis vero dies est, in quo sol supra Finitorem, vel Horizontem versatur, & cui ex adverso nox respondet. Nunc de die naturali agimus; quem tamen plerique cum artificiali confundunt, dum de naturali die locutum putant Basilium scribentem in Hexameron diem esse aërem, quem sol illuminat, & Aristotelem asserentem nihil aliud esse diem, quam solis excursum ab oriente in occasum. At missa illa Astronomorum partitione, diem nos alium civilem vocamus, legalem alterum, tertium Ecclesiasticum. Ac primum dicimus illum, qui in consuetudine & usu receptus est modo, & incipit ab ortu solis: legalem, qui protrahitur a vespera ad vesperam: Ecclesiasticum, qui a media nocte ad mediam noctem producitur. Hoc enim postremo utimur in jejuniis, festisque servandis. Ea partitione liquet Joannem, qui cap. 13. 1. ait, Dominum instituisse postremam cœnam *ante diem festum Paschæ*, non discrepare a cæteris Evangelistis, qui ajunt Pascha a discipulis præparatum *primo die azymorum.* Ubi enim alii Evangelistæ commemorant diem legalem juxta mandatum Exodi 12. 6. Joannes *diem* communi, & usitata significatione usurpavit.

Quatuor sunt cardines, a quibus dierum ducuntur initia. Ab oriente enim sole diem auspicabantur Babylonii: a meridie veteres Umbri; a solis occasu Athenienses, & Judæi, atque a medinoctio Romani. Id litteris tradunt Plinius lib. 2. cap. 77. & Censorinus de die Natali. Vide & Legem Pauli, *More Romano ff. de Feriis.* Non tamen perpetua fuit prædictarum Gentium consuetudo. Enimvero Judæi, posteaquam venerunt in ditionem Romanorum

rum, retento in diebus festis vetusto more, in aliis victores imitari cœperunt; atque ætate Anastasii Sinaitæ, qui floruit circa annum 560. Ægyptii ab initio noctis, & Athenienses ab ortu solis dies inchoabant. Quod Anastasius ipse testatur lib. 1. Anag. Contemplat. in Hexameron. Nec reprehendendus est Isidorus idem asserens in lib. de Mundo cap. 1. Morem itaque nostrum auspicandi diem ab oriente sole comprobant vetustior consuetudo, plurium consensio, necnon Ulpiani leges *ff. de usucap.*

Dierum varia sunt apud profanæ, & apud sacræ Historiæ Scriptores, vocabula. Romanis ex Numæ instituto alii dies erant *Festi*, alii *Profesti*, alii *Intercisi*. *Festi* dicebantur, qui dicati erant Diis: *Profesti*, quibus publicæ, aut privatæ res administrabantur, hominesque procul erant a numinum religione: *Intercisi* autem illi, quibus fas erat nonnullis horis, & nonnullis aliis nefas erat jus dicere, quasi forent Diis, hominibusque communes: Ac festi dies in sacrificia, epulas, ludos, feriasque dividebantur; siquidem aut sacrificiorum oblatione, aut divinis epulis, aut ferias agendo sacra celebritas agebatur. *Profesti* quidam dicebantur *Fasti*, quibus prætori fari licebat, & ea verba proferre, *Do*, *Dico*, *Addico*: alii *Comitiales*, a comitio dicti, eo quod populus simul conveniret: *Comperendini* alii, quibus in perendinum, sive in diem alium differebantur judicia: *Stati* dies alii, qui cum peregrino judicii causa constituebantur, ac demum alii *Præliares*, quibus fas erat res repetere, & hostes lacessire. De his plura, qui de Antiquitatibus Romanis pertractant.

Sunt & apud JCC. dierum nomina alia permulta. *Atri* enim dicuntur dies, quibus educere legiones, & acies cum hostibus committere religio non sinit. *Religiosi*, ac tristi omine infames, & funesti, in quibus nec rem divinam facere, nec novi aliquid exordiri homines superstitiosi audebant. *Sigillarii*, in quibus Deorum figilla fictilia, & imagunculæ emebantur a pueris, & pro munere invicem missitari solebant. *Diffissi*, qui, re in alteram diem rejecta, quasi diffindebantur. Complures demum alii,

ut dies actionis, condictus, solutionis, cretionis, sessionum, de quibus Lexica Juridica, & quotquot disserunt de significatione verborum.

Invenies præterea apud sacrarum rerum Scriptores multa dierum nomina a præcedentibus diversa. Dies enim *Sancti* vocantur dies Quadragesimæ. Dies *Votorum* ii, quibus contrahuntur sponsalia, & fiunt nuptiæ. Dies *Magnus* festum Dominicæ Resurrectionis. Dies *Consecrati*, solemnitas Dominicæ Nativitatis cum tribus diebus sequentibus. Dies *Ægyptii*, quos ut nocivos quidam non absque superstitione solent adnotare. Dies *Neophytorum* illi octo, quibus recens baptizati albis vestibus induuntur: dies *Censorius*, vel dies *Humanus*, in quo ante supremi Judicis tribunal adstabunt homines universi.

CAPUT III.

DE FERIIS FESTISQUE DIEBUS.

Feriarum nomine non semper idem significatur. Apud Latinos enim *feriæ* dicuntur dies, quibus a forensibus negotiis, & ab operibus minime necessariis vacatur. In hac significatione feriæ vocantur tum publicæ celebritates, tum dies, quibus Magistratus ob vacationem aliquam jus non dicunt, necnon nundinæ paganorum, id est, rusticorum gratia institutæ, & quotquot vacationes ab opere a prætore, vel sacrorum antistite indicuntur. Adde *privatas ferias*, dies nempe, in quibus memoria agitur in peculiari urbe, aut familia vel expiationum, vel natalium, vel funerum. Atque hujusmodi dies *feriati* a feriendis victimis, sive a *ferendis* epulis appellantur, nisi mavis cum Vossio feriarum nomen repetere a *Festis*, s. in r. commutato.

In hac significatione dies in Dei honorem, Sanctorumque cultum dicati vocantur *Feriæ*, ut constat

ex

ex cap. *Pronunciandum*, de Consecrat dist. 3. ex Novella 54. Leonis, & ex Cod. lib. 3. tit. 12. Hinc *feriari* in Ecclesiasticis sanctionibus idem sonat ac festum colere, & *Feriales* commemorati in epistolis Chromatii, & Heliodori ad Hieronymum sunt libri, aut catalogi festa Martyrum describentes. Vocantur item *feriæ* septem dies, qui præcedunt, & septem, qui sequuntur festa Dominicæ Resurrectionis, atque Nativitatis, in quibus nemo in forum compelli poterat, non tantum canone 6. Concilii VII. Toletani, verum etiam Imperialibus Constitutionibus, ut liquet ex præcitato tit. 12. lege 2. 7. & ultima. Adde ex Ivone lib. 4. cap. 15. dies tres Rogationum. Memorant etiam leges, & Canones *Ferias Messivas*: ex lege quippe Ulpiani, *Ne quis Messium*, ff. de Feriis 1. messis, & vindemiæ temporibus adversarius non potest cogi ad judicium. Feriæ quoque *Jovis*, & *Mercurii*, quas interdum legimus interdictas Christianis, non aliud significare intelligimus, quam festa Paganicæ superstitionis.

Hactenus explicavimus, quid sit feria, in qua a negotiis, litibusque cessamus. Verum mos obtinuit, ut *feriæ* dicantur singuli dies hebdomadæ, die solis excepto. In Vitis Romanorum pontificum asseritur, id constitutum fuisse a Sylvestro, ut clerici scirent, se, abjecta cæterarum rerum cura, uni Deo vacare oportere. Quidam censent, ex quo Constantinus Magnus sancivit, ut hebdomada Paschatis esset feriata, inde factum, ut ab ipsa hebdomada, quæ prima erat anni Ecclesiastici, dies etiam reliquarum hebdomadarum vocarentur Feriæ.

Quinam sint dies Festi, constat ex dictis. A Græco ἑόρτων, quod est, *festum diem agere*, repetunt cum Gerardo Joanne Vossio etymologiam hujus nominis *Festum* doctiores Grammatici: ἑόρτων vero arcessunt Græci ἀπὸ τῆς ἑστίας, *foco*, seu *lare*: unde & Vesta ignis præses, virginesque Vestales. Festa enim agentes, apud larem suum, id est, domi amicos convivio excipiunt. Communis est persuasio, Festum esse diem, in quo jurgia, & laboriosa opera cessant: quod testatur etiam Tibullus libro 2. Elegia 1. eo versu:

Luce ſacra requieſcat humus, requieſcat arator, & novem ſequentibus.

Plura in Feſtis Gentiles peragebant, a quibus non abhorrent Chriſtiani, eadem ſpecialis veneratio-nis cultusque ratione exercentes. Hæc recenſet, notisque e Libanio Sophiſta, Plutarcho, Arnobio, Lipſio, aliisque ſolerter collectis explanat erudita diſſertatione Jo. Fronto Pariſienſis Academiæ Cancellarius. Hujusmodi ſunt reſerare templa, & ſimulacra detegere: indicere in profeſtis quietem, & operum ceſſationem, ſummo mane ad ſolemnitatem accedere, cum ſervis, & captivis, puerisque in pædagogio mitius agere: decorare terram floribus, advenas rogare apud ſe convivari, aurum effundere in pauperes, ſplendidis incedere veſtibus, hymnos poſt epulas decantare, ceſſare jurgia, & reconciliari civem civi, hoſpitem hoſpiti, mulierem mulieri.

Ex Gentilium quoque moribus derivaſſe videtur, ut Chriſtiani natales, & emortuales dies tanquam Feſtos haberent. Natalem quippe mundi celebrarunt Ægyptii XIII. Kal Auguſti; Romani Urbis ſuæ XI. Kal. Majas, quem diem a Pale paſtorum, & pabulorum Dea, Palilia dixere. Adde Natalia Deorum, ut Apollinis die 7. Aprilis, Mercurii 17. Maji, & iis ſimilia apud Dempſterum lib. IV. Antiq. Roman. Occurrunt ibidem, & Regum, & Cæſarum natalitiæ feſtivitates, Romuli die 20. Septembris, Octaviani Auguſti die 23. ejusdem menſis, Germanici die 31. Sextilis. Meminere iſtiusmodi Feſtorum ſacri etiam libri, ut Natalis Pharaonis Gen. 40. 20. Natalis Antiochi 2. Machab. 6. 7. Natalis Herodis Antipæ Marc. 6. 21. Connumerabantur inter Natalia feſta dedicationes templorum, inaugurationes regum, diesque, in quibus ab imminenti periculo civitates & oppida evaſiſſent. Præter natales dies, emortuales, & anniverſarios recolebant, & mortuorum memoriam celebrabant funebribus orationibus recitatis olim a conſanguineis, erectis cippis, ac ſtatuis, inſcriptisque monumentis, hymnis, & carminibus, atque depictis hiſtoriis, actisque in commentaria relatis.

Æquum

Æquum erat, ut sublatis erroribus, consimilia Festa institueret Ecclesia, ne videretur minoris æstimare virtutem, quam Ethnici vitia. Quamobrem natalem diem eorum, quos noverat Sanctos materno ex utero prodiisse, ab Apostolicis Sæculis celebravit, videlicet, Reparatoris nostri, & Præcursoris Joannis, addiditque postea Nativitatem Beatæ Mariæ castissimæ ejusdem Reparatoris nostri Parentis. Acta quoque Martyrum a Notariis perquiri, & litteris mandari curavit, templa arasque supra illorum exuvias extruxit, imagines ad viventium exemplum atque præsidium exposuit, hymnos & psalmodiam instituit, & quoniam soluti e corpore rapiuntur in vitam meliorem ac sempiternam, diem obitus consuevit appellare *Natalem*. Ad hæc diem, qua Apostolorum Princeps, cum Antiochiæ, tum Romæ sedere cœpit, ac diem pariter consecrationis Pontificis, vel Episcopi, potiori jure, quam inaugurationis Cæsarum, & Augustorum, coli annua celebritate mandavit. Templorum item dedicationis diem inter festa referre voluit, retento veteri Nomine Encæniorum, quod extat 1. Mach. 4. 59. & Joannis 10. 22. & significat *innovationem* ἀπὸ τοῦ καινίζειν, propterea quod Esdras mense Adar, Salomon mense Tisri, & Judas Machabæus mense Casleu, purgato, innovatoque templo Jerosolymitano, indixerant Encæniorum solemnia.

Nec studuit solummodo Ecclesia in hujusmodi Festis, quidquid superstitiosum est, abolere; sed ulterius ritus quosdam Gentilium, qui vix eradicari poterant, consimili, sed religiosa ceremonia correxit. Etenim in festo Purificationis Deiparæ, quod Festum Græci ὑπαπαντὴν, id est, *occursum* appellant, quoniam tunc Simeon obviam Christo processit; institutа fuit a Gelasio, aut a Sergio R. P. benedictio Candelarum adversus lustrationes *amburbales*, quibus Ethnici accensis facibus, ut justa persolverent diis Manibus, urbem expiabant seu februabant; sive, ut aliis placet, ad eliminanda Lupercalia, quæ *februa sacra* vocitabantur, & a quibus secundus mensis dicitur Februarius. Kalendis quoque Augusti, qua die

die consecrata fuit ædes Martis, & celebrabatur Claudii Imperatoris Nativitas, dedicatus est Titulus Æquitii, & S. Petri Vincula majori veneratione honorari cœperunt, ut in desuetudinem abirent memorata Claudii, & Martis Solemnia. Sunt denique multi, qui Natalem Domini alligatum putant VIII. Kalend. Januarias, quoniam ipso die colebant Ethnici Solis nativitatem; quibus tamen in aliam diem ortum Solis justitiæ, & Salvatoris mundi relegantibus, nequaquam possumus assentiri.

Singulos dies enumerare supervacaneum est; quisquis enim in Calendaria Romanæ Ecclesiæ conjiciat oculos, percipiet illorum numerum. In antiquioribus vero Calendariis desideratur festum Trinitatis, quartodecimo sæculo institutum a Joanne XXII. Ideo namque præcedentibus sæculis non colebatur SS. Trinitatis festivitas, quoniam repetito Trisagio, aliisque precibus quotidie eam adoramus. Asserendum est idem de festo Sacratissimi Corporis Christi, quod etsi diebus singulis immolamus, ejusque institutio recolitur feria V Majoris hebdomadæ, solemniori tamen ritu celebratur ab universa Ecclesia ab anno 1264. ex Urbani IV. Constitutione. Inter B. M. V. festivitates recentiores sunt Præsentationis, quæ in Occidentali Ecclesia cœpit anno 1372. & Conceptionis, quam post Sixti IV. & Pii V. decreta, religiose ac solemniter celebrari mandavit anno 1708. Clemens XI. Incœpit solemnitas omnium Sanctorum sedente Bonifacio IV. ad summum Ponificatum evecto an. 608. Is enim Pantheon, quod M. Agrippa in honorem omnium Deorum ædificaverat, consecravit in cultum B. Virginis, omniumque Martyrum. Festorum deinde numerum pietas fidelium sacrorumque Antistitum religio adeo multiplicavit, ut desit modo tempus singula recensendi.

Inter dies Festos quidam peculiari, nunc antiquato vocabulo, distinguuntur. Legimus enim alicubi *Festum Architriclini*, quo nomine appellabatur Dominica secunda post Epiphaniam. *Festum Stellæ*, sanctorumque luminum, videlicet ipsam Epiphaniæ celebri-

celebritatem: *Festum epularum*, id est, Cathedræ S. Petri Antiochenæ, in qua Ethnici convivia agebant ad sepulcra parentum. Festum *divisionis Apostolorum*, die 15 Julii, quo fertur in diversas mundi provincias illos abiisse.

CAPUT IV.

DE HEBDOMADA, SABBATO, DIE DOMINICA.

Hebdomadas ab ἑβδομος *septimus*, est septem dierum spatium, unde & *septimana* appellatur non vulgari tantum consuetudine, sed etiam in Cod. Theodos. l. 5 *de spectac.* Hebræi item spatium illud dierum vocant *Schiabuh* a radice *Schiabah*, *septem*. Hinc aliquando dies septimus hebdomada dicitur, ut in libris Josephi animadvertit illustris Vossius, & viciſſim nomen *Sabbati*, quod significat diem septimam, interdum usurpatur ad significandam hebdomadam. Ita Marci 16. 2. habetur, sanctas mulieres ad Christi monumentum venisse *valde mane una sabbatorum*; & Pharisæus Lucæ 28. 12. ajebat. *Jejuno bis in Sabbato*: ac prima hebdomadæ dies vocatur *prima Sabbati* Matthæi 28. 1. & Marc. 16. 9. In quibus, aliisque locis certum est, nomen *Sabbati* pro tota septimana usurpari.

Non solum hebdomadas dierum, verum etiam hebdomadas annorum legimus in sacris Bibliis, & in Hebræorum Commentariis. *Numerabis* (ita Levit. 25.) *quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos 49. Sanctificabisque annum quinquagesimum.* Singularum autem harum hebdomadarum annus septimus est annus ille Sabbaticus, de quo lex Moysis eodem capite Levitici v. 4. *Septimo autem anno Sabbatum erit terræ, requietionis Domini, agrum non seres, & vineam non putabis,*

Inter

Inter hebdomadas annorum celeberrimæ ſunt illæ ſeptuaginta, quibus Daniel Propheta c. 9. 24. tempus futuræ redemptionis definierat. Quarum, ſententia eorum, qui Dominum cruci ſuffixum arbitrantur anno Vul. Æræ 29. talis eſſe debet partitio, ut harum hebdomadarum initium ſtatuatur in anno 457. ante Æram Chriſtianam; hebdomada ſeptuageſima, quam Propheta dixit, deciſam eſſe & abbreviatam, inchoata ſit anno ejusdem Æræ 26., & in dimidio hebdomadæ, ſcilicet poſt alios tres annos, Chriſtus occiſus fuerit, prædicto nimirum anno 29. Enimvero ſi annis 457. addamus annos 29. reſultat ſumma annorum 486. atque annus quadringenteſimus octuageſimus ſextus eſt dimidium hebdomadis Septuageſimæ. Nam ſeptuaginta hebdomadæ annorum ſunt anni 490.

Ab annorum hebdomada ad hebdomadam dierum rovocemur oportet. Inſignitur hæc enim in Epiſtolis Romanorum Pontificum, & in libris ritualibus, nec non apud Hiſtoricos, nominibus quibusdam peculiaribus. Atque hebdomada præcedens Dominicam Reſurrectionis a Græcis Latinisque vocatur ἑβδομας μεγάλη, *hebdomada major*, ob maxima Eccleſiarum officia: *indulgentiæ* item ob pœnitentium abſolutionem. Vocatur quoque *hebdomada pœnalis & laborioſa* propter Domini paſſionem. Rurſus *hebdomada authentica* in monumentis Ambroſianæ Baſilicæ. Tertia poſt Paſcha dicitur *hebdomada expectationis*, quod per id temporis Spiritus ſancti expectetur adventus. Quarta hebdomada Quadrageſimæ, cujus Sabbato ſacræ habentur ordinationes, in Gelaſii primi, Innocentii III. aliorumque Pontificum litteris *Hebdomada Mediana* vocatur. Hebdomadæ autem reliquæ, ut *Paſchalis*, *in Albis*, *Penteceſtes*, pronunciato duntaxat nomine innoteſcunt.

Nomina ſeptem dierum, e quibus conflatur hebdomada, ſunt cuique notiſſima. Eorumdem nominum origo inde repetitur, quod ſingulis diei horis Ethnici præeſſe putaverint unum ex ſeptem ſideribus, quæ ſunt Sol, Luna, Mars, Mercurius, Jovis, Venus, Saturnus; adeo, ut primæ horæ diei

primi

primi præsit Sol, secundæ Luna, tertiæ Mars, &c. Primæ autem horæ secundi diei Luna, primæ horæ tertii diei Mars præsit, atque ita deinceps. Quare a planeta, aut sidere horæ primæ habet dies, ut appelletur dies Solis, dies Lunæ, dies Martis, &c. Legantur Dio lib. 37. & Philander lib. 9. Not. in Vitruvium. Verum, ut supra monuimus, Ecclesiastici ex decreto Sylvestri his nominibus, ortis vel ex Pythagoribus subtilitatibus, vel ex commentis Ægyptiorum, commune Feriarum nomen substituerunt, ita tamen, ut primam diem hebdomadæ appellent *Dominicam*, septimam *Sabbatum*.

Sabbati etymologiam deductam a *Sciabah septem*, tradidimus supra: sed repetita a *Sciabat* significat *cessationem*, & *requiem*; atque hoc pacto non totam denotat hebdomadam, sed diem septimam, in qua Deus *requievit ab omni opere, quod patraverat*. Gen. 2. 2. Hinc Judæi creationis memores sabbatum colebant juxta legis præceptum, Exodi 20. 11. & Deut. 5. 14. Persius Sat. 5. Judæos irridens horum festa vocat *Sabbata recutita*, & Rutilius ad Numantianum lib. 1. inquit: *Septima quæque dies turpi damnata Veterno*: Ovidius pariter in lib. 1. de Arte amandi: *Culta Palæstino septima Festa viro*. Sabbatum anno Dominicæ Passionis incidens in hebdomadam azymorum dicitur *Magnus dies* Joan. 19. 31. non quod fuerit ipsa Paschæ solemnitas, sed quia populus cum victimis pacificis per totam azymorum hebdomadam templum adibat. Dies vero hoc præcedens Sabbatum vocatur *Parasceve*, Marci 15. 42. Est autem παρασκευὴ idem, ac *præparatio*; nam Judæi feria sexta post meridiem parant cibaria, mensasque sternunt pro die proximo. Hujus rei causa dies emortualis Christi dicitur παρασκευὴ τῶ πάσχα. Commemoratur Lucæ 6. 1. Sabbatum δευτερόπρωτον, *secundo-primum*. Disceptatur adhuc, quodnam Sabbatum indigitet Evangelista: sed inter varias interpretationes illam existimamus probaliorem, quæ tradit, Sabbatum δευτερόπρωτον fuisse, quod immediate sequebatur secundum diem azymorum, quasi diceretur, ἀπὸ τῆς δευτέρας πρώτον, *primum post diem secundam*. Sab-

Sabbati in diem Dominicum translata festivitas fuit abrogatio legis quantum ad determinationem diei, non quantum ad cultum Divinitatis, Divinorumque beneficiorum contemplationem. Cum enim dies Dominica sit illa, in qua Deus mundum condidit, in qua Christus resurrexit, & in qua Spiritus sanctus descendit super Apostolos; in cultu ejusdem diei commemoratur beneficium creationis, cujus gratia observatio Sabbati primitus fuerat indicta, & memoria repetitur peracta redemptio, & sanctificatio animarum, ita, ut in hujus Festi observatione perficiatur, non defraudetur finis præcepti; *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.*

Præ cæteris Dominicis præcipuam venerationem expostulant Dominica Paschatis, & Pentecostes, *Pascha* etymologiam sortitur a radice *Pasach*, *transivit*, non, ut quidam existimarunt, a verbo Græco πασχω, *patior*. Hebræi solemnissimam habuere Paschatis celebritatem exeunte luna 14. mensis Nisan, id est, vespera diei quartædecimæ, unde initium sumebat dies XV. legalis, in cujus nocte Angelus pertransiens exterminavit primogenitos Ægyptiorum. A quo transitu prima dies azymorum Phase, vel Pascha appellatur; legatur caput 12. Exodi. Qui in Paschate celebrando eamdem lunam 14. observabant, *Quartadecimani* dicti sunt: eosque traditione derivata ab Apostolis secundo Ecclesiæ Seculo S. Victor I., & anno 325. Nicæna Synodus præscripsit, lata lege, ne alio, quam Dominico die Pascha ubique Gentium celebraretur; quod saluberrime institutum est, ne Christiani Judæis communicare viderentur, nec Agni typici, sed Christi, qui Pascha nostrum immolatus est, mysteria sacra recolerent.

Eodem plane modo *Pentecostem*, sive diem quinquagesimum, quem colebant Judæi in memoriam legis datæ in Monte Sinai quinquagesimo die egressionis ex Ægypto, Christiani colunt die quinquagesima post Dominicam Resurrectionis, ob divini Spiritus charismata Apostolis distributa. Est enim πεντηκοστὴ idem ac *Quinquagesima*: ac recte hoc nomen

ob

ob dierum numerum quadrat in Pentecoſten Chriſtianam, haud ſecus, ac ἑορτὴ ἑβδομάδων, *feſtum hebdomadarum*, & ἡμέρα τῶν νέων, *dies novorum*; quibus nominibus Exodi 34. 22. juxta verſionem LXX. inſignitur Pentecoſtes Judaica.

CAPUT V.

DE MENSIBUS VARIARUM GENTIUM, ET ROMANORUM PRÆSERTIM.

Sequitur, ut dicamus de Menſibus, quorum nomen venit a *metior*, ut docet Cicero lib. 2. de Nat. Deor, vel, ut Varroni, & Iſidoro placuit, μήνει, id eſt, motus, & lunæ decurſus, vel etiam ab Hebræorum radice *Manah*, quod eſt *numerare*. Eſt itaque menſis ſpatium illud temporis quo luna ſuum peragit curſum, ſive anni pars duodena.

Hebræorum menſes ſunt, *(b)*

Ni-

(b) Annus Hebræorum Civilis incipit a ſeptimo menſe Eccleſiaſtico *Tiſri*. In Hebræo Kalendario hæc Feſta recenſentur. *Niſam* die 1. Jejunium ob mortem filiorum Aaron. X. alterum ob Mariæ obitum: & eligebatur eo die Agnus mactandus in Paſchate. Celebrandum iſtud erat die 14. ad veſperam. XV. prima dies Azymorum. XVI. *Homer*, ſeu oblatio novi manipuli: hinc ſupputabantur dies Pentecoſtes. XXI. Ultima ſolemnitas Azymorum. XXVI. Jejunium ob mortem Joſue.

Iar die X. Jejunium ob captam Arcam. XIV. Paſcha celebrandum ab iis, qui celebrare non potuerunt ſuperiori menſe. XXVII. Jejunium ob mortem Samuelis.

Sevan die VI. *Pentecoſte*, ſeu Feſtum Hebdomadarum. XXIII. Jejunium ob defectionem decem Tribuum ſub Jeroboamo. XXV.

Niſan, olim Avib, ita appellatus ab *Aviv*, *Spiea*, quoniam eo menſe incipit ſegetum ſpica vireſcere.

Jar.
Sivam.
Tammus.
Ab.

Elul.

Jejunium aliud ob quorumdam Rabbinorum cædem. XXVII. Tertium Jejunium ob combuſtum Haninam cum libro Legis.

Tammus die XXVII. Jejunium ob fractas tabulas legis, aliaque poſteriorum temporum infortunia.

Ab die I. Jejunium ob mortem Aaron. IX. Jejunium alterum ob incenſum cum urbe Templum, primo a Chaldæis, ſecundo a Romanis.

Elul die XVII. Jejunium ob mortem exploratorum terræ Chanaan. XXI. ξυλοφορία, nempe delatio lignorum ad Templum.

Tiſri die III. Jejunium ob necem Godoliæ & Judæorum in Maſpha. V. Jejunium ob mortem 20. Iſraelitarum, & Achiba filii Joſeph. VII. Jejunium ob conflatum vitulum, inflictumque propterea gladium; X. Jejunium *Kippurim*, ſeu expiationis; XV. *Scænopegia*, ſive Feſtum Tabernaculorum. XXI. ξυλοφορία, Feſtum Romanorum. XXIII. Legis & Moyſis feſtiva memoria. Dedicatio item Templi Salomonis.

Marſchevan die VI. Jejunium ob excæcatum Sedechiam, ejusque filios a Nabuchodonoſor interfectos. XXVII. Jove, ſive pluviæ in autumno tempeſtivæ petitio.

Kisleu die VII. Jejunium ob combuſtum a rege Joachim volumen conſcriptum a Baruch. XXV. *Encænia*, vel Dedicatio Templi, feſtumque Luminarium.

Thebet die VIII. Memoria Legis in Græcum ſub Ptolomæo rege converſæ, cum jejunio IX. & X. dies afflictionis ob obſidionem clademque Jeruſalem ſub rege babylonis.

Schebat die VIII. Mortis Juſtorum, qui extiterunt ſub Joſue lugubris cum jejunio recordatio. XXIII. Jejunium propter idolum Michæ, concubinam violatam in Cabaa, motusque Iſraelitarum contra tribum Benjamin.

Adar die VII. Mors Moyſis atque jejunium. IX. Jejunium ob contentiones inter diſcipulos Sammai, & Scholam Hillel. XIII. Lætitia ob interfectum Nicanorem. XIV. & XV. Feſta Sortium.

Elul.
Tiſri, dictus olim *Ethanim.*
Marſchewan.
Casleu.
Thebet.
Schebat.
Adar.
Veadar, ſive *Adar* ſecundus.

Horum ſinguli a neomeniis inchoantur: & quoniam menſes lunares ſunt, ac breviores ſolaribus poſt tertium annum Judæi lunationem unam addunt, ſive menſem decimum tertium, quem vocant *Adar* ſecundum.

Nomina menſium apud Ægyptios ſunt

Thoth.
Paophi.
Athyr.
Chojac.
Tybi.
Mechir.
Phamenoth.
Pharmuthi.
Pachon.
Payni.
Epiphi.
Meſori.

Quorum menſis primus, id eſt, *Thoth* cùm primum vagus, & mobilis foret, capta a Cæſare Auguſto Alexandria anno V. C. 724. ante Æram Chriſtianam 30. fixus eſt die 29. Auguſti, ut colligitur ex Dione lib. 51. Rom. Hiſt.

Atticorum, ſive Athenienſium menſium iſta ſunt nomina.

Hecatombæon.
Metagitnion.
Bœdromion.

Memacterion.
Pyanepsion.
Posideon.
Gamelion.
Anthesterion.
Elaphebolion.
Munichion. (c)
Thargelion.
Scirrhophorion.

Primus mensis Atticus, videlicet, Hecatombæon initium ducebat a Neomenia proximiore Solstitio æstatis paulo post Idus Junias, dum sol octavam partem Cancri transmittens ad inferiores circulos incipit remeare.

Apud Macedones menses vocabantur

Xanthicus.
Artemisius.
Dœsius.
Panemus.
Lous.
Gorpiæus.
Hyperberetæus.
Dius.
Apellæus.
Audinæus.
Peritius.
Dystrus.

Horum mensium primus *Xanthicus* concurrit cum Nisan Hebræorum, *Hyperberetæus* cum Tisri, & Adar cum *Dystro*, ut constat ex Flavio Josepho lib. 2. Antiquit. c. 6. & lib. 3. c. 9. Ab *Hyperberetæo* annum auspicabantur Syro Macedones, a Dio quidam alii inter Europæ fines.

Persarum menses sunt, qui sequuntur

Pharavardin.

Adar-

(c) Scribendum *Munychion* μουνιχιων

Adarpahaſchth.
Chardad.
Thirmeh.
Merdedmeh.
Schaharimeh.
Meharmeh.
Abenmeh.
Adarmeh.
Dimeh.
Benmeh.
Aſphandar.

Hi omnes menſes ſunt 30. poſtremo autem menſi addunt quinque dierum epagomenas, ſive appendices. Progreditur vero *Pharavardin* a neomenia menſis Ægyptii Chojac.

Menſes Armeniorum.

Sahami.
Theri.
Cagutſch.
Arats.
Mahich.
Arieh.
Ahili.
Mariri.
Marchats.
Haratafis.
Nawwaſari.
Huri.

Neomenia Sahami concurrit cum ſexta die menſis Ægyptiorum Chojac.

Hagarenorum, & Arabum iſti ſunt Menſes:

Muharam, ſeu *Moharram.*
Tzepharu, aut *Safar.*
Rabiù Evel, ſive *Rebiah primus.*

Rabiù Achir, vel *Rebiah secundus.*
Giumadi Evel, alias *Giomada.*
Giumadi Achir.
Rezeh aut *Regiab.*
Sahaben, *aut Schaban.*
Ramadhan.
Schewal, vel *Schaval.*
Dul, *Kaidathi*, *Silcade*, aut *Doul*, *Kadah.*
Dulhaga, *Silchize*, aut *Doulhegiah.*

Sunt omnes lunares: (d) cumque nullos addant dies, qui annos suos exæquent solaribus, variat apud Hagarenos initium anni, seu mensis *Muharan;* qui anno primo Hegiræ, Christi 622. incidit in diem 16. mensis Julii.

Romanorum menses, ut modo enumerantur, cuique sunt noti. Romulus tamen ex decem mensibus annum constituit dierum 304. Januario, & Februario seclusis. Hos duos menses Numa addidit, qui annum instituit dierum 354. Duodeno hoc numero usus est etiam Julius Cæsar, ad dies 365. annum protrahens. Qui ergo in anno Romuleo primus erat, Martius à Marte, quod is pater Romuli credebatur, nomen accepit. Januario autem Numa Pompilius affixit anni primordia, deferens honorem Jano, quem ajebant colendæ terræ, quam belli gerendi fuisse studiosiorem, & volens a re bellica ad agriculturam Romanos transferre. Februarium a Februo Deo lustrationum denominari adnotavimus c. 2. Aprilem quasi Aphrilem, ἀπο ἀφρὸς, Spu-

(d) Primus scilicet *Muharam* dierum 30. secundus *Tzephares* dierum 29. & sic deinceps. Additahisce mensibus nomina sunt variæ tantummodo pronunciationis. Necessarium non duximus, alia mensium nomina apud Veteres reperta transcribere. Ea accurate collegit in suis Institutionibus ad studium Antiquitatis Everardus Audrichius Scholarum Piarum, omnium, ut puto, qui de hoc argumento scripsere, novissimus.

Spuma, ex qua nata Venus, cui menſis iſte fuit ſacer, vel potius *quod annum aperiat*, dictum volunt: Majum vel a majoribus, vel a Maja Matre Mercurii; & Junium a junioribus, ſive a Junone. Quinctilis, Sextilis, aliique a numeris ſortiti ſunt nomina; quamquam lege M. Antonii Quinctilis appellatus ſit *Julius* in honorem Julii Cæſaris nati eodem Menſe; & Sextilis dictus ſit *Anguſtus* in honorem Auguſti, qui Sextili menſe iniit Conſulatum, tres egit Triumphos, Ægyptum devicit, & civilibus bellis finem impoſuit.

Apud Latinos menſium dies Kalendis, Nonis, & Idibus diſtinguuntur. Kalendæ a καλῶ dictæ ſunt, quod olim ad primum lunæ adſpectum ſacrificio peracto Pontifex ad curiam Capitolii vocata plebe pronunciabat, quot numero dies usque ad Nonas ſupereſſent, aut quinquies, aut ſepties repetito verbo καλῶ, id eſt, *voco*. Hinc prima dies, ex iis, quæ calarentur, *Kalendæ*, & Curia, ad quam plebs vocabatur, *Curia Calabra* fuit nuncupata. Nonæ vero a nova lunæ obſervatione, ſeu potius quod incidant in diem nonum ante Idus, auctore Varrone lib. 5. de L. L. appellatæ fuerunt. *Idus* denique etymon habet ἀπὸ τῦ ἰδεῖν, quod eo die in anno Romuleo luna plenam ſpeciem oſtenderet, vel a verbo Thuſcorum *iduare*, id eſt, dividere, quoniam idus menſem dividunt ac findunt, ut inquit Horatius lib. 4. Ode 11. *Idus tibi ſunt agendæ, qui dies menſem Veneris marinæ, findit Aprilem.*

Qua ratione ſinguli cujusque menſis dies deſignantur, perſpicue docent, qui pertractant de Kalendario; atque ad memoriam juvandam tetraſtichon quoddam conſcribunt. Hujus tamen loco placet nobis verſus apponere ex Eclogario Auſonii Burdigalenſis:

At Nonas modo quarta aperit, modo ſexta refert lux.
Sexta refert Maji, Octobris, Martisque recurſu,
Et qui ſolſtitio ſua tempora Julius infert.
Cætera pars Menſium quartis eſt prædita Nonis.

Omnes vero idus octava luce recurrunt.
Post idus, quas quisque suas habet ordine mensis,
Diversæ numero redeunt variante Kalendæ.

CAPUT VI.

PERTRACTATUR DE ANNO, DE JUBILÆO, ET DE SECULO.

Annum dici, quasi majorem circum, sicut annulus minor circulus dicitur, Varro, Servius, aliique tradiderunt. A Græcis tamen, qui annum ἔνιαυτον appellant, nomen hoc derivasse censet Festus Pompejus: nec desunt, qui illud arcessant *ab innovatione*, sive ἀπὸ τῦ ἀνανεῦσθαι, uti observat laudatus Servius ad versum Virgilii Æn. 1. *Triginta magnos volvendis mensibus orbes.* Est itaque annus tempus, quo sol Zodiacum percurrit, revolvitur, & cursum iterum innovat.

Unde Veteres duxerint annorum initia, diximus cap. præcedenti. Sed animadvertendum est, Judæis duplicem esse annum: sacrum, qui incipit a Nisan, ut habetur Exodi 12. 2. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni:* & annum civilem, inchoandum a mense septimo, seu Tisri, quando *cuncta* exacto messis, & vindemiæ tempore, *conduntur*, ut constat ex eodem libro cap. 23. 16. & 24. 22. Græci item, præsertim post Christi adventum, nunc a verno tempore, nunc ab autumno initium anni auspicantur. Et quamvis Auctor Chronici Alexandrini anni primordia statuat in die 21. Martii, & Maximus Monachus in Aprili; communiter tamen annum Ecclesiasticum subducunt ab VIII. Calendarum Aprilium; unde & nos *ab Incarnatione* consuevimus numerare. Profecto reliqua annorum initia ex inferius tradenda Epocharum explanatione innotescent.

Quem-

Quemadmodum varia sunt annorum principia ita varia est longitudo, ac extensio. Discrimen inter annum Romuli, Numæ, & Julii Cæsaris assignatum est paulo supra. Illud vero, quod inter annum solarem, & lunarem intercedit, unicuique obvium est; siquidem lunarem annum constare diebus 354. & horis fere 9. solarem autem diebus 365. & fere 6. horis, nemo prorsus ignorat. Tempus itaque in istiusmodi quisquiliis non est terendum.

Non contemnenda videtur quæstio de annis Patriarcharum: nonnulli enim non percipientes, quomodo vitam tam diuturnam egissent, opinati sunt, annos illorum fuisse nostratibus breviores, adeo, ut decem eorundem annorum unum duntaxat communem annum conficerent, & Noe V. G. qui Gen. 9. 29. vixisse dicitur annis nongentis & quinquaginta, vixerit annis. 95. Sed hæc opinio manifestæ falsitatis revincitur. Etenim Gen. 7. in Anno sexcentesimo ipsius Noe distincte commemoratur mensis secundus, cujus die 17. cæpit diluvium; & proximo cap. 8. narratur, arcem 27. die mensis septimi requievisse super montes Armeniæ, ac prima die mensis decimi apparuisse, aquis imminutis, cacumina montium: tum dies numerantur usque ad initia anni vitæ sexcentesimi primi, ut manifestum sit, annos Noe duodecim mensibus constasse. Ad hæc cap. 5. ejusdem libri legimus, Cainan genuisse Malaleel anno ætatis suæ 70. & Henoch Mathusalam anno 65. si autem quilibet annus Patriarcharum annos decem communes comprehendisset, Cainan septennis, & Henoch in minori ætate liberos procreassent. *Quis* autem, inquit Augustinus lib. 15 de C. D. cap. 12. *generat homo septennis.*

Quæritur insuper, cujus durationis fuerint anni Ægyptiorum, quorum aliqui ab Osiride ad Alexandrum numerabant annos 10000. aliqui 23000. auctore lib. 1. Hist. Diodoro Siculo. At primo tanquam fabulosa rejicienda est prodigiosa illa Ægyptiorum antiquitas. Deinde Plinio, Censorino, & præcitato Diodoro testibus, non fuit apud Ægyptios annorum forma, sed fuerunt anni unius, duorum, vel

trium tantummodo menſium. Præterea Auguſtinus lib. 12. præcitati Operis cap. 10. ait: *perhibentur Ægyptii quondam tam breves annos habuiſſe, ut quaternis menſibus finirentur.* Dynaſtiæ demum Ægyptiorum, a Julio Africano, & ab Euſebio deſcriptæ, ex quibus exſurgit portentoſa illa annorum multitudo, implicitas, non ſucceſſivas eſſe demonſtrat in lib. 1. de Idololatria Gentium Gerardus Joannes Voſſius.

Diximus ſuperiori cap. 4. Judæos colere annum Sabbaticum, illum nempe, qui cum ſex annis præcedentibus conſtituebat hebdomadam unam annorum. Fuit quoque illis celeberrimus annus quinquageſimus recurrens poſt ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, poſt annos 49. Annus iſte quinquageſimus vocatur annus *Jubilæi* Levit. 25. 11. nomine derivato a *Jubal*, *buccina*, ſive a *Jabal*, *adducere*, quoniam clangore buccinæ annunciabatur, & afferebat libertatem; atque eodem anno ſervi ſui juris fiebant, & fundi redibant ad priſtinos dominos. Bernardus Lamy, & alii, qui putant, Jubilæum ſolitum annunciari cornu arietis, ignorant, arietum cornua, cum ſolida ſint, non vacua, inflari non poſſe. Jubilæum Septuaginta dixerunt annum *remiſſionis*. τῆς ἀφέσεως.

Jubilæum Romani etiam Pontifices inſtituere. Tribuunt quidam hanc inſtitutionem Bonifacio VIII. qui indulſit, ut centeſimo quoque anno venia peccatorum donarentur, quicunque inviſerent Romana templa. At conſtat ex Conſt. ipſius Bonifacii lib. 5. Extravagantium communium, cap. *Antiquorum*, hunc Pontificem Jubilæum non inſtituiſſe, ſed confirmaſſe. Ex quo autem Romani Pontifices anno centeſimo, & non quinquageſimo indixerint olim Jubilæum, non videntur animum intendiſſe ad Judæorum conſuetudinem, ſed potius abolere voluiſſe ſuperſtitionem antiquorum Romanorum, qui centeſimo quoque anno ab Urbe condita celebrabant Ludos Seculares. Clemens tamen VI. ſingulis annis quinquageſimis Jubilæum alligavit, Conſtit. *Unigenitus*, Extrav. Com. tit de remiſſ.,

&

& indulg. lata anno 1343. Sedentibus Urbano VI. Bonifacio IX. Martino V. & Nicolao V. Jubilæum poſt triginta tres annos repeti conſuevit; ac demum Paulus II. & Sixtus IV. celebrandum eſſe mandarunt ſingulis annis 25. prout ab anno 1475. hactenus ſervatum eſt.

Prior itaque Jubilæorum inſtitutio ſpectabat ad finem cujusque Seculi; & quodlibet Seculum comprehendit ſpatium annorum centum. Vel a *ſequor*, quod ætate una abeunte ſequatur altera, vel a *ſeco*, quod in minores partes ſpatium illud ſecetur, vel aliunde repetas *Seculi* etymologiam, parum refert. Quod nos dicimus *Seculum*, Græci appellant γενεὰν, aut αἰῶν. At γενεὰ apud Plutarchum aliquando ſignificat annum; Artemidorus autem Seculo tribuit annos ſeptem, Heraclitus triginta, Verrius Flaccus centum & decem, Varro, & modo Scriptores omnes, annos centum. Neſtor, cum vixerit annis 90., nimirum tribus Seculis juxta Heracliti numerationem, quaſi vitam protraxiſſet ad tria ſecula, ut definita ſunt a Varrone, aperto mendacio ab Ovidio 12. Metamorph. ita loquens inducitur, *Vixi annos bis centum, nunc tertia vivitur ætas.* Eodem errore labuntur, qui per Neſtoreos annos deſignari arbitrantur inſolitam, ac prodigioſam ſenectam.

Græcorum αἰὼν, & Hebræorum *Holam* aliquando æternum, aliquanto ſeculum, & aliquando diuturnum, & indefinitum tempus ſignificant. Hac ambiguitate conantur Origeniſtæ eludere illa ſacrarum Scripturarum loca, quibus damnatorum ſupplicia ſempiterna eſſe enunciatur. Verum eam ambiguitatem non habet aut hebraica phraſis, *Min holamhad Holam*, aut græca, ἐις τὸν αἰῶνας τῶν αἰώνων, ſcilicet, *in ſecula ſeculorum*; qua phraſi impiorum cruciatus perenniter duraturus exprimitur Apoc. 20. 10. quamquam ad Origeniſtas refellendos alia plura ſuppetant argumenta.

CA-

CAPUT VII.

QUIBUSDAM CYCLIS PRÆMISSIS, PERIODUS JULIANA EXPLANATUR.

Exactior cæteris mensura annorum est Periodus Juliana, a Josepho Scaligero, Julii filio, seculo 16. ex variis compacta cyclis, & annis Julianis accommodata; unde ipsius Periodi Julianæ depromptum est nomen. Nequit idcirco hæc periodus plane dignosci, nisi cyclorum, ex quibus fabricata est, præmittatur notitia.

Horum cyclorum prior est Indictio, quam Græci ἐπινέμησιν vocant, id est, largitionem; a pensitatione enim tributorum, quorum canon annis singulis indicebatur, Indictionis nomen derivant quamplurimi. Ab apparitione Crucis facta Constantino an 312. Indictionem, quasi *Indicationem*, dictam putat Panvinius; ab Actio autem promontorio, seu bello illic commisso, anno U. C. 723., ante Æram Christianam 31. Etymologiam indictionis quidam Græculi nimium insulse deduxerunt, quasi indictio vocanda foret ἰναχτῶν. Auctor Chronici Alexandrini statuit Indictionum initia in anno I. Monarchiæ Julii Cæsaris, ante Chr. 48. ac primo Æræ Antiochenæ. Hinc Scaliger etiam auspicatur Indictiones, quas appellat Cæsarianas. Quidam vero Indictiones numerant ab anno secundo Cæsaris Augusti, id est, ab anno ante Chr. 30, si computentur a pugna Actiaca. At consentiunt omnes, Indictionem Constantinianam ab anno V. Æ. 312. & a Kalendis Septembris esse inchoandam, adeo, ut annus proximus 313. Kalend. Januar. signandus sit *Indictione I.*

Dixi Indictionem *Constantinianam*; nam sunt Indictionum diversa nomina, ac diversa principia. Constantiniana, ut nuper dixi, inchoatur a Kalendis

dis Septembris; eamque rationem innuit S. Ambrosius in Epistola ad Episcopos Æmiliæ: eamdem quoque tenent Epistolæ Gregorii Magni. At Indictio *Cæsariana*, cujus generis est *Valentiaca* l. 9. de Indulgentiis debitorum in Cod. Theodos. progreditur ab VIII. Calendarum Octobris: atque hinc Indictiones supputat Ven. Beda de Rat. temp. cap. 46. Indictio demum Romana, nunc Pontificia, a Kalendis Januariis ducit exordium.

Est autem Indictionum πεντεδεκατηρὶς sive Cyclus annorum quindecim, quibus exactis reditur ad unitatem. Igitur cum annus 313. Kalen. Januariis signandus fuerit *Indictione I.* congruit eadem nota anno 328. 343. 358. atque ita deinceps, adeo ut annus 1582. Correctionis Gregorianæ notam habuerit Indictionis 10. & præsens annus 1774. Indictionis 7. Inveniendi autem numeri Indictionum in quolibet anno V. Æ. vulgatissimus Canon comprehenditur sequenti disticho:

Si tribus adjunctis, Domini divideris annos
Ter tibi per quinos, indictio certa patebit.

Dato itaque anno Christi addantur 3. & summa dividatur per 15 ac numerus, qui neglecto quotiente residuus est, annum indicat indictionis & si nihil sit reliqui, indictionis annus erit 15.

Sequitur Cyclus alter, id est, Lunaris, annorum 19. quem græco vocabulo passim ἐννεαδεκατηρίδα vocant. Idem Cyclus Metonicus appellatur a Metone celebri Astrologo Athenienſi Pausaniæ filio, qui illum edidit anno 4. Olympiadis 86. ante Æram Christ. 433. (*e*) Dicitur quoque aureus numerus, quoniam tanti eundem Cyclum faciebat antiquitas, ut illum au-

(*e*) Rabbi Hillel Cyclum alium 19. annorum ad Neomenias investigandas Judæis tradidisse fertur anno Christi 358. imperante Constantio. Idem Hillel primus constituit Epocham illam Judaicam, quæ a creatione mundi usque ad principium Æræ Christianæ comprehendit annos 3760.

aureis pingeret characteribus. Inchoavit Meton Cyclum ſuum a ſolſtitio æſtivo, ſive potius a Neomenia illi propinquiore, unde progredi annum Atticum prænotavimus cap. 6. Undeviginti illi anni, quibus lunæ, aſtrorumque perficitur revolutio, Annus Metonus (forte Metonicus) vocatur a Diodoro Siculo lib. 3. de fabuloſis antiquorum geſtis. Invenitur annus Cycli lunaris, ſi dato anno Æ. V. addatur unitas, ac ſumma dividatur per 19. Ea enim partitione facta, numerus, qui ſecluſo quotiente ſupereſt, indicat lunarem annum; & ſi nihil remaneat, erit annus Cycli lunaris 19. Juvandæ memoriæ cauſa traditur Canon iſte arithmeticus ſequenti diſticho.

Unum addes annis Domini, ſummamque novenis
Et denis tribuas, numerus tibi ut aureus adſit.

Hac regula adhibita conſtat, aureum numerum hujus anni 1774. eſſe 8. Prætermitto Periodum Calippi, qui anno 3. Olympiadis 112., id eſt, 330 ante Æ. Chriſti animaduertens in anno octavo cycli V. Metonici variationem unius diei, inſtituit Periodum ab ipſo auctore *Calippicam* nuncupatam, tanquam ſubſidiariam Metonicæ, & conflatam ex quatuor Cyclis lunaribus, nempe ex annis 76. hujus enim nullus nobis in hiſce inſtitutionibus futurus eſt uſus.

Tertius eſt Cyclus ſolis complectens annos 28. Hujus auctor fuit Soſigenes egregius Mathematicus, cujus præſertim opera anno Confuſionis, ante Æram Dionyſianam 46., uſus eſt in Calendarii reformatione Julius Cæſar. Appellatur autem *Cyclus ſolis* a prima hebdomadis die, quoniam exacto duntaxat ſpatio annorum 28. iisdem litteris (quas vocant Dominicales) dies hebdomadæ prænotantur. Harum vero litterarum, juxta Soſigenis inſtitutionem, ille erat ordo, quem indicat verſiculus,

Gaudet Francus Equo, Dorus Cane, Baltaſar Agno.

Cum

Cum itaque primus annus Cycli ſit Biſſextilis, quemadmodum 5. 9. 13. 17. 21, & 25. præſignabatur olim prior ille annus litteris G. F. At poſt correctionem Gregorianam, quæ contigit anno 1582., litteræ illæ interdum e loco ſuo dimoventur, atque modo ita Cyclus ſolaris procedit, ut primo hujus Cycli anno affixæ ſint litteræ D. C., ſecundo B., tertio A., quarto G., quinto F. E.; atque ita deinceps, duplicatis litteris in quolibet anno Biſſextili, quoniam huic una additur dies menſi Februario, diesque Dominica de una in aliam feriam transcurrit, ut conſtat ex Calendario.

Canon inveſtigandi annum hujus Cycli eſt hujusmodi. Dato anno Æræ Vulgaris adde 9. deinde ſummam divide per 28.; ac numerus, qui neglecto quotiente ſupererit, is Cycli annum commonſtrabit: ac ſi nihil ſuperſit annus Cycli erit 28. Hæc regula comprehenditur ſequenti diſticho:

Junge annis Domini ter ternos, perque viginti
Octo ſeca ſummam; Cyclus ſolaris habetur.

Invenies huius Canonis ope annum 1774. eſſe 19. Clyci ſolaris; cui reſpondet littera Dominicalis B.

Jam vero ſi Cyclus ſolaris 28 multiplicetur per Cyclum lunarem 19. reſultat ſumma 532. que ſumma Periodus Victoriana, ſive Dionyſiana appellatur. Hanc enim Periodum anno Chriſti 463 rogante Hilario Papa inſtituit Victorius Aquitanus, ut in celebrando Paſchate cum Latinis Alexandrini inpoſterum convenirent, eamdemque Periodum recenſuit & adhibuit anno 526. Dionyſius Exiguus, ut ipſemet innuit in Epiſtola, quam laudat Beda de Rat. Temp. cap. 40. Eſt autem Victorianæ Periodi hæc proprietas, quod iidem Lunæ & Solis characteres nonniſi transacto illo Cyclo annorum 532. ſimul concurrent, v. g. annus 1. Æræ Chr. fuit Cycli lunaris 2. & Solis 10. nec una ſimul redierunt ſimiles Cycli, niſi anno 533. ineunte; atque hoc anno 1774.

est Cycli Lunæ 8. & Solis 19., qui conjunctim redibunt anno 2306.

Hunc Cyclum Victorianum annorum 532. si multiplicemus per Cyclum indictionum, consurget summa annorum 7980, quæ summa est Periodus illa Juliana, cujus gratia præmissa fuit aliarum Periodorum explanatio (*f*)

CAPUT VIII.

DE UTILITATE, ET USU PRÆDICTÆ PERIODI, NEC NON DE GRÆCO-ROMANA, ATQUE NORISIANA.

Periodi Julianæ multiplex est utilitas; nam primum si annus quilibet ejusdem periodi dividatur per 15. juxta canonem supra præmissum, habetur annus Indictionis; si per 19. annus cycli lunaris; si per 28. annus solaris cycli. Deinde potest hæc periodus tam annis, qui Æram præcessere Christianam, tam iis, qui subsecuti sunt, imo ante mundum quoque confictis, ac perpetuo in posterum excogitatis aptari. Insuper hujus periodi ope deprehenduntur Chronicorum errores, & præciqui Historiæ cardines retinentur memoria. Sat est, si dicamus Cl. Petavium, qui Scaligerum ubique exagitavit, in Magno Opere de Doctr. Temp. lib. 7. cap. 8. hæc litteris consignasse: *Magnopere Chronologiæ tyronibus*

(*f*) *Sothicam* Periodum, seu *Canicularem*, traditam a Porphyrio, de qua Marshamus, & Stanlejus, complectentem annos 1460 ante *Æram Nabonassaris*, cæterosque Cyclos, quorum nullus nobis erit usus, necessum non est declarare. Cyclus vero Lunisolaris annorum 1932. ab Augustino Ætini solerter deductus, utpote innixus supputationi LXX. Interpr. nequit nobis in usu esse perpetuo.

bus auctor fum, uti Julianam hanc periodum, ejusque tractationem, & usum fedulo condiscant, certoque sibi persuadeant, sine hoc præsidio difficilem, & erroribus obnoxiam temporum esse doctrinam; econtra vero tutissimam ac facillimam iniri viam, si quis eam sibi, quam dixi Periodum præscribat. Similia illustris Pagius differt. prævia in Criticam Annalium Baronii.

Ut eadem utamur periodo in annis Æræ Christ. sciamus oportet, annum primum ejusdem Æræ esse P. Jul. 4714. quoniam anno Juliano 46. in quo communis Æræ statuuntur initia, fuit annus 4. indictionis. 2. lunaris cycli, & 10. cycli solaris, qui tres characteres nunquam invenientur rursus conjuncti, nisi post exactam totam periodum annorum 7980. at simul convenerunt anno hujus periodi 4714 Igitur cum annus P. J. 4714. sit primus Vulg. Æræ, dato quolibet anno Christi, adinvenitur cum quo anno P. Jul. concurrat, si addantur anni 4713. quibus P. Juliana antevertit Æræ Christianæ. Est itaque præsens annus 1760. P. J. 6473. quo diviso per 15. habetur indictio 8. diviso per 19. habetur annus cycli lunaris 13. & diviso per 28, habetur annus cycli solaris 5.

Ex quo autem cum anno primo Æræ Vulgaris concurrat annus P. J. 4714. sequitur annum Mundi 4004. qui juxta recentiorum, & communiori usu receptam Chronologiam est itidem annus primus ejusdem Æræ, supputari ab anno P. Jul. 710 atque in hoc anno aspectabilis mundi consignandam esse productionem; siquidem ut anno 4714. respondeat annus 4004. necessum esse superaddere annos 710. Atque hæc de Periodo Juliana.

Addamus nonnulla de periodo Græco-Romana, quam exornavit, & ad Latinorum usum accommodavit Antonius Pagius. Juxta Æram Ecclesiasticam Antiochenam, & Constantinopolitanam (Æra enim civilis apud Græcos diversa est, ut dicam infra pertractans de Annis mundi) natus est Christus anno 5493. qui concurrit cum anno Juliano 45. Ut

hac periodo utamur, 1. debemus annum inchoare more Latinorum a Kal. Januariis. 2. a cyclo lunæ, quem exhibet hæc periodus, unitatem detrahere. 3. addere quatuor unitates cyclo ſolis. 4. Indictionem, uti exhibetur, retinere nihil detrahendo, & nihil addendo. Enim vero ſi annum P. Græcorum 5493. dividas per 15. erit Indictio 3. ſi dividas per 19. erit cycli lunæ annus 2. ſi dividas per 28. erit cycli ſolis annus 5. Indictione igitur retenta, & a cyclo lunæ ablata unitate, cyclo autem ſolis quatuor unitatibus adjectis, habetur Indictio 3. annus cycli lunaris 1. & annus cycli ſolaris 9. qui ſunt characteres anni Juliani 45. Periodi Julianæ 4713. Hæc regula cuique anno Æræ Vulgaris aptari poterit, dummodo ei ſuperaddatur prædicta illa ſumma annorum 5493. qui juxta Græcos præcedunt ipſius Æræ Vulgaris initia.

Nonnulli denique induxerunt Periodum annorum 1932. quam appellarunt Noriſianam, quod conflata ſit ex 23. cyclis annorum 84. ſeu comprehendat 23. ogdoecontateſſeræteridas, cyclosque Paſchales Latinorum, quos eruditiſſimis diſſertationibus illuſtravit Cardinalis Noriſius. Iſtius Periodi, quæ progreditur ab anno 1. Æræ Dionyſianæ, ſive ab anno Juliano 44. perutilis eſt uſus ad inveniendum cyclum ſolarem, novilunia, diemque Paſchalem. Quæ enim competunt anno primo Æræ Chriſtianæ, eadem, cyclo illo revoluto, convenient anno 1933. prout conſtat ex tabulis expanſis in Calendario Romano F. Guillelmi Bonjour.

CAPUT IX.

DE EPOCHIS, ÆRISQUE PRÆCIPUIS, AC PRIMUM DE MUNDIALI.

Hactenus de Periodis: nunc de Epochis notioribus pertractabimus, a mundana ducentes initium, Ἐποχὴ apud Philosophos idem est, ac quædam mentis remora, vel cohibitio assensionis, a verbo ἐπέχω, *contineo*, *cohibeo*: apud Astronomos autem ἐποχὴ est status cœli, situs siderum, & gradus planetarum in Zodiaco; atque apud Chronologos illustre aliquod exordium futuri temporis, quod & Æra appellatur.

Æram vero Isidorus dictam putat a priori censu, quo C. Augustus universum orbem descripsit, & omnis orbis professus est *æs reddere* eidem *Augusto*. Id contigit ex Lapide Ancyrano, & ex Dione libro 53. Cos. Augusto VI. & Agrippa, id. anno V. C. 726. ante Æ. Chr. 28. Quidam Æræ nomen derivant, ex quo Arabibus irruentibus in Hispaniam cœperint anni Epochæ Hispanicæ, quæ figitur anno 38. ante Dionysianam, adnotari hisce litteris A. ER. A. *Annus erat Augusti*; vel potius ab eo tempore Hispani cœperint Romanis *Æra* persolvere. Sunt denique nomen Æræ deducentes ab *Arah*, *supputare*. Frustra in origine nominum vestiganda immoraremur, posteaquam assecuti sumus eorum significationem.

Princeps itaque Epocharum est Mundana, quæ scilicet a creatione mundi inchoatur. De hac pertractaturi supponimus, mundum aliquando habuisse principium; neque id esse inanem persuasionem, fabulamque senilem, ut permulti effutiunt apud Gisbertum Voetium in Opusculo de Atheismo, & apud Mersennium in Genesim. A qua opinione non abhorruisse Galilæam, & Thomam Hobbes, censet Tribecchovius in dissertatione, quam inscripsit, *Veritas creationis mundi*; quamquam mathematici plures non alia

fortaſſis ratione tanquam athei audierint ſi, niſi quod ſcripſerint, quæſtionem de origine mundi non poſſe dirimi phyſicis arguments.

Arbitramur tamen nos, humana quoque evinci ratione, mundum ſempiternum non eſſe. Æternitas enim eſt Numinis attributum; & neceſſum eſt, ut quidquid eſt ex nihilo, aliquando non fuerit. Fruſtra etiam fingitur illa mundi longævitas, quam nullæ produnt hiſtoriæ: quod pariter aſſerendum eſt de naufragiis & cataclysmis, quibus autumant periiſſe vetuſtiſſimarum rerum memoriam. Quis enim, ſi homines univerſi aut igne, aut aqua conſumpti ſunt, præteritorum vitam nuntiavit? Si vero a communi interitu ſervati ſunt aliqui; cur ii, ſecus ac fecit Noe a diluvio ſervatus, nil prorſus de majoribus ſuis tradiderunt? Demum, ut cætera mittam, artes, ſcientiæ, bella, & quidquid novi decurſu temporis contigit, fictam mundi æternitatem evertunt. Non fugit hæc ratio ipſos contemptores divinitatis, & religionis; inter quos T. Lucretius lib. 5. de Rer nat. ait:

Præterea, ſi nulla fuit genitalis origo
Terrarum, & cæli, ſemperque æterna fuere,
Cur ſupra bellum Thebanum, & funera Trojæ
Non alias alii quoque res cecinere pœtæ?
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur.
Nunc etiam augeſcunt?

Tametſi autem hæc momenta nullum robur haberent; nihilominus ad aſſerendam mundi nativitatem & initium divina nos Scriptura compelleret.

Verum quæſtio agitur graviſſima, num Hebraicorum, num Græcorum Codicum ſit præferenda Chronologia. Illi nos adhærendum exiſtimamus, quam exhibent Hebraica exemplaria. Principio nos movet, quod, codicibus diſcrepantibus, confugiendum ad illos ſit, qui primum editi fuerunt, & purior ex fonte, quam e rivulis aqua hauriatur. Deinde diverſitatem numerorum, aliter ſe habentium in Codici-

dicibus Græcis, aliter in Hebraicis, tribuendam esse Scriptori, qui de Bibliotheca Ptolomæi Græca Biblia describenda primus accepit, monet l. 15. de C. Dei cap. 13. S. Augustinus. Præterea Hebraicam supputationem sequitur Latina Vulgata, quam Tridentina Synodus Canonicam definivit: etsi divinæ Scripturæ auctoritati sola numerorum varietas, vel similia Amanuensium errata parum officiant. Fieri ulterius non potuit, ut in codicibus tam multis, ac tam longe lateque dispersis Judæorum malitia annorum seriem perverteret; neque causa potest excogitari, cur id attentarent, cum sua potius, quam Græcorum chronologia, ipsorum confutetur impietas. Ad hæc Hieronymus ad Chromatium scribens Versionem LXX. corruptam atque violatam esse testatur; & Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, atque Origenes Homilia 12. in Jeremiam vocant Judæos Helleniſtas Scripturarum falsarios. Si denique non malitia, sed imperitia adulterata est in sacris Bibliis series numerorum, facilius id evenire potuit in Græcis codicibus, quam in Hebraicis, cum isti annos designent integris dictionibus numeralibus, non elementorum apicibus, notisque arithmeticis. Vide, quæ sequenti capite dicentur de Epocha universalis diluvii.

Recepta itaque Hebræorum Chronologia, Epocha mundi figenda est in anno P. Julianæ 710. ante Æram Christianam 4004. Etsi enim certo definiri nequeat, quo anno mundi natus est Christus; tamen secundum illam supputationem a mundi exordio usque ad Nativitatem Domini fluxere, plus, minus, anni 4000. & ab ipsa Nativitate usque ad Æram Vulg. anni 4. quæ est sententia recentiorum Chronologorum, æris paulo infra explicandis cohærens, & juvandæ memoriæ aptior cæteris.

Epocha tamen Hebræis communior (nam variæ supputationes reperiuntur etiam apud Rabbinos) inchoatur ab anno 3761. ante Æram Christianam a *Tisri* septimo mense annos enumerando.

Inter Græcos Antiocheni a mundi exordio usque ad Incarnationem Domini enumerant annos 5493. (g) Constantinopolitani & Moschovitæ annos 5509. Alexandrini 5501. sed hi biennio Natale Christi præmittunt; incarnatum enim, natumque ex Virgine Dei Verbum existimant anno 43. Juliano, C. Augusti 42. cum Antiocheni, & Constantinopolitani Incarnationem, & Nativitatem Domini consignent anno 45 Juliano, & C. Augusti 44. Itaque Antiochenorum Æra decennio discrepat ab Alexandrina, & hæc a Constantinopolitana annis 8. juxta communiorem Græcorum Æram natus est Christus anno a creatione mundi 5493.

Igitur, si dato anno Æræ Vulgaris addantur anni 4004. erit annus mundi juxta nostram, & omnium fere recentiorum Chronologiam: si addantur anni 3761. erit annus mundi juxta vulgatum computum Hebræorum; & si addantur anni 5493. erit annus Mundi juxta Æram inter Græcos communiorem. Ab aliis autem recentioribus in hoc discrepamus, quod hi in autumno, & die 23. Octobris, nos verno tempore; ac die 21. Martii, quando Sol constituitur in 1. gradu Arietis, arbitramur Deum produxisse cœlum, & terram. Opinionis autem nostræ alibi munimenta produximus.

CA-

(g) Etsi Moschovitæ Russique Græcorum Schismati hærentes ante Constantinopolitana Æra uterentur, attamen sub Petro I. ac sub initia postremi hujus Seculi XVIII. adhibere cœperunt communem vulgaremque supputationem Epochæ Dionysianæ: juxta tamen consuetudinem protestantium, qui Correctionem, Kalendarii factam sedente Romano Pontifice *Gregorio* XIII. nondum recepere.

CAPUT X.

AFFERUNTUR EPOCHÆ SACRÆ, QUÆ ÆRAM CHRISTIANAM PRÆCESSERUNT.

Sex sunt illustriores Historiæ sacræ Epochæ, unde a mundi creatione usque ad Christum totidem distinguuntur ætates. Ac prima est, quæ ab ipsa mundi productione ducit initium, de qua pertractatum est nuper. Altera, quæ inchoatur ab universali diluvio. Tertia progrediens a vocatione Abraham. Quarta, quam auspicamur a Lege per Moysem lata. Quinta ducens initium ab ædificatione Templi. Sexta, quam a soluta per Cyrum captivitate exordimur.

Epocha *diluvii* figenda est in anno P. Jul. 2366 Mundi 1656 ante Æram Ch. 2348. Ex Chronologia enim Bibliorum Hebraicorum, & Latinæ Vulgatæ

Adam genuit Seth anno ætatis suæ	130
Seth Enos an.	105
Enos Cainan an.	90
Cainan Malaleel an.	70
Malaleel Jared an.	65
Jared Henoch an.	162
Henoch Mathusalam an.	65
Mathusala Lamech an.	187
Lamech Noe an.	182
Diluvium vero cœpit anno Noe	600
Conficiunt hi anni summam.	1656

Græci quidem ab Orbe Condito ad Diluvium usque numerant annos 2242. & Samaritani annos 1307. At supra ostendimus, præferendam esse Chronologiam Hebraici Textus, cui & Chaldæus, & Latinus consentiunt. Deinde Græci Codices inter se discrepant. Nam in Vulgatis editionibus LXX. habetur, Adam genuisse filium Seth anno ætatis suæ 230. in

Verſione autem, qua uſus eſt S. Joannes Chryſoſtomus, & in ea, quam adhibuerunt Flavius Joſephus in Antiquitatibus Judaicis, & Theophilus Antiochenus lib. 3. ad Autolycum, necnon in Bibliis Aldinis legitur, ab Adamo genitum Sethum τριακοσῶ και τριακοσιοσῶ, *trigeſimo ac trecenteſimo:* quam lectionem probarunt quoque Suidas, & Joannes Antiochenus, annos ab origine mundi usque ad diluvium 2342. non vero 2242. enumerando. Imo S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. aliam ſecutus ſupputationem ab Adamo ad Diluvium numerat annos 2148. Non poſſumus itaque calculos adeo diſcrepantes, neglectis hebraicis approbare.

Idem eſt aſſerendum de computo Samaritanorum. Etenim S. Hieronymus, libro Tradit. Hebraic. teſtatur, tam in Hebræis, quam in Samaritanorum libris legi, Mathuſalam genuiſſe Lamech anno ætatis ſuæ 187. & nihilominus in autographo, ut fertur, Codice Samaritano, quem laudant Scaliger in notis Euſebianis, & Seldenus Præfat. in Marmora Arundelliana, habetur, Mathuſalam genuiſſe Lamech anno 77. atque in Bibliis Samaritanis in lucem editis, nec non apud Voſſium diſſ. 4. Chronologica, & apud Petavium lib. 9. de Doctrina Temp. cap. 7. anno 67. Aperte denique S. Epiphanius Hær. 55. fatetur, omnia Samaritanorum exemplaria in numeris diſcrepare. Atque hæc præſtantiam Hebraicæ ſupputationis confirmant. Æra itaque Diluvii recte in anno Mundi 1656. conſtituitur: unde in Computo Judaico Hillel habetur, *Ab Adam ad Diluvium usque anni mille ſexcenti quinquaginta ſex.*

Inchoatur tertia Mundi Epocha *ab Abrahami migratione*, & exitu a Meſopotamia, ſive a benedictione illa Gen. 12. 3. *In te benedicentur univerſæ cognationes terræ*, atque a promiſſione fœderis Evangelici. Statuitur autem hæc Epocha in anno P. Julianæ 2793. Mundi 2083. poſt diluvium 427. ante Æram Chriſt. 1921. Enimvero Æra Diluvii fixa eſt paulo ſupra in anno Mundi 1656

Sem genuit Arphaxad anno ætatis ſuæ centeſimo, & poſt diluvium 2

Arpha-

Arphaxad Sale anno æt. ſuæ (*h*)	35
Sale procreavit Heber an.	30
Heber Phaleg anno	34
Phaleg Rehu an.	30
Rehu Sarug anno	32
Sarug Nachor an.	30
Nachor Thare anno	29
Thare Abraham an.	130

Thare autem poſt annos 75. vita functo, dum ætatis ſuæ annum ageret 205. Deus iniit fœdus cum Abraham.

Conficiunt prædicti anni ſummam annorum 2083. & ſecluſis annis 1656. qui fluxerunt ante diluvium, ſummam annorum 427.

Græci tamen a Diluvii initio usque ad migrationem Abraham numerant annos 1311. & Samaritani annos 1077. ita, ut Codices Samaritani ſuperent Hebræos annis 650. Græci Samaritanos annis 234. & Hebræos annis 884. At neceſſum non eſt repetere, cur Hebraicam ſupputationem computo Samaritanorum Græcorumque præferamus.

Sunt nihilominus, qui noſtræ adhærentes Chronologiæ a Diluvio ad migrationem Abrahæ ex Haran urbe Meſopotamiæ, ubi Thare deceſſit, enumerant ſolummodo annos 367. Hi nimirum natum putant Abraham anno Thare 70. non 130. Fulcitur ex ſententia verbis Gen. 11. 26, *Vixit Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abraham*: pugnatque pro illa acerrime Petavius lib. 9. de Doctr. temp. c. 18. Sequimur tamen nos Uſſerium, aliosque viros doctiſſimos, qui docent Abraham natum anno Thare 130. Ratio eſt, quoniam ex præcit. cap. 11. Gen. verſu 32. Thare mortuus eſt in Haran anno vitæ ſuæ 205. Quando autem Abraham jubente Domino,

(*h*) Inter Arphaxad, & Sale, quidam ducti auctoritate LXX. Interpretum, & S. Lucæ Evangeliſtæ, locant Cainanam; plura autem de ea quæſtione, an inferendus ille ſit, an abrædendus, diximus de Theol. diſcipl. libro XXVI. cap. 4.

& patre defuncto egressus est de Haran, *septuaginta quinque annorum erat*, ex cap 12. Gen. vers. 4. Si modo annos istos 75. Abrahæ subtraxerimus ab illis annis 205. vitæ Thare; residui erunt anni 130. Hac itaque ætate Thare genuit Abraham. Porro cap. 11. Gen. v. 26. non tantum Abraham commemoratur, sed etiam duo illius fratres. Legitur enim: *Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abraham, Nachor, & Aran.* Fieri non potuit, ut hi tres eodem anno 70. Thare nascerentur. Abraham itaque priori loco nominatus est, non quia πρωτότοκος, & natu major; sed promissionis, & dignitatis causa. Hinc Aran, qui ante Thare patrem suum mortuus est in Ur Chaldæorum, genuit filiam nomine Melcham, quæ nupsit Nachor patruo suo. Videtur itaque Aran senior duobus fratribus suis Nachor, & Abraham. Eadem ratione, non ætatis, sed dignitatis privilegio, inter filios Noe primo loco nominatur Sem, Gen. 5. 31. *Noe vero cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Japhet;* quamquam Japhet fuerit filiorum Noe primogenitus, ut probabilius existimant Rabbinorum doctissimi, R. Salomon, Aben Ezrae. R. Levi Ben-Gerson, Moses Gerundensis, nec non Procopius, Cajetanus, aliique apud Vossium diss. 5. Chronolog. cap. 5. Vossius idem, & Hugo Grotius in Genesim, atque Jacobus Usserius in Annalibus Vet. & Novi Testam. 1. & 2. æt. Mundi. His adstipulatur, quod Gen. 9. 24. Cham. dicitur filius Noe *minor*, & Japhet 10. 21. juxta Hebraicos Codices, de quorum tamen sensu contentiose differitur, *magnus*, aut *major*.

Quarta Epocha progreditur *ab exitu filiorum Israel de Ægypto* & a lege data per Moysem. Egressi sunt autem Israelitæ de Ægypto anno P. Julianæ 3223. anno Mundi 2513. & anno ante Æram Christianam 1491. Enimvero quando Abraham egressus est de Haran, agebat annum ætatis suæ 75. ut dictum est supra, ejusque anno centesimo natus est Isaac. Numerantur itaque ab exordio peregrinationis Abrahæ usque

ad Isaac anni	25
Isaaco nascuntur Jacob, & Esau an.	60

Ja-

Jacob cum universa familia in Ægyptum descendit annos natus	130
Moritur ibidem post annos	17
Fluxerunt deinde usque ad Exodum.	198
Sunt anni	430
Præcesserant vocationem Abrahæ anni a creatione Mundi 2083. Adde nunc annos 430. conficitur Epochæ Mundialis summa annorum	2513

Habetur de annis illis 430. peregrinationis, ac servitutis, illustre testimonium Exodi 12. 40. *Habitatio autem filiorum Israel in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum.* Enimvero annos istos 430. a peregrinatione Abraham supputandos esse, aperte docet Apostolus ad Galatas 3. 17 Consentiunt Patres; inter quos S. Hieronymus in hunc locum inquit: *Computandi isti anni 430 ab eo tempore, quo Deus ad Abraham locutus est, dicens: In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Idem tradit Josephus lib. 2. Antiq. cap. 5. Κατέλιπον δὲ τὴν Αἴγυπτον, μενὶ Ξανθικῷ πεμτῇ καὶ δεκάτῃ κατὰ σελήνην, μετὰ ἔτη τριακοντα καὶ τετρακόσια ἢ τὸν τρόγεον ἡμῶν Αἰβράμον εἰς τὴν Χαναναίαν ἐλθεῖν. *Reliquerunt autem Ægyptum mense, Xanthico, luna 14. anno quadringentesimo trigesimo, postquam pater noster Abraham in Chananæam venit.* Abierunt in eamdem sententiam Rabbinorum doctissimi, nec non Severus Sulpitius, Beda, Rupertus, Tostatus, ut sexcentos alios omittam. Suffragatur quoque Versio LXX. quæ citato cap. 12. Exodi habet, ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, καὶ ἐν γῇ Χαναὰν. Haud secus legitur in Codice Samaritano.

Profecti sunt Israelitæ Rameſſe inferioris Ægypti urbe, quam putant aliqui eamdem esse cum Arsenoite (*i*) die 15. mensis Abib, seu Nisan, Exodi 12. 37. Tertio autem post exitum mense Moyses in mon-

(*i*) Vide Tabulas Geographicas Aug. Lubin. In Lexico Baudeand, *Rameſſes* dicitur *Iskaal Lein Alschemes*, aliis *Eusiris* memorata a Plinio, Strabone, &c.

monte Sinai, cunctis ab acceſſu prohibitis præter Aaron, ſed majeſtatis fulgorem cernentibus ac trepidantibus, a Domino legem accepit Exodi 19. 20. Quare Epocha Exodi, & Legis latæ eodem anno Mundi 2513. ſtatuitur.

Subducitur Epocha quinta *a jactis a Salomone fundamentis templi*, id eſt, exactis ab exitu filiorum Iſrael de Ægypto annis 479 & anno 480 inchoato, nimirum anno P. Jul. 3702. Mundi 2992. Ante Æram Chr. 1012. Fulcitur hæc Epocha hiſce calculis.

Moyſis poſt datam legem numerantur anni	40
Joſue, & Seniorum	17
Judicum	299
Heli Sacerdotis	40
Samuelis, & Saulis	40
Davidis item	40
Salomonis jam completi	3
Sunt in unam ſummam redacti	479

Quibus ſi addantur anni 2513. qui a creatione mundi fluxerunt ante legem ſcriptam, conſurgit annus Epochæ Mundialis 2992. in quo jacta fuerunt Templi fundamenta.

Commonſtrant hujus Epochæ initium, quæ leguntur lib. 3. Regum 6. 1. *Factum eſt ergo quadringenteſimo, & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de terra Ægypti, in anno quarto, menſe Zio (ipſe eſt menſis ſecundus) regni Salomonis ſuper Iſrael ædificari cœpit domus Domino.* Idem legitur lib. 2. Paralip 3. 2. Conſentiunt Codices Hebræi, horumque Chronologia, quæ inſcribitur *Seder Holam.* Idem habetur in Bibliis Græcis juxta editionem Complutenſem, & melioris notæ alias; tametſi in quibusdam pro ὀγδηκοστῷ exaratum ſit τεσσαρακοστῷ. In depravatum hujus generis Codicem incidit Carolus Sigonius, qui Comment. in Hiſtoriam ſacram Severi Sulpitii inquit: *Capite 6. lib. 3. Regum in Codice Hebræo numerantur anni* 480. *in Græco* 440. Habetur tamen ἐν τῷ τεσσαρακοστῷ καὶ τετρακοσιοστῷ ἔτει, in Romana LXX. Interpretum editione; ſed mendum

dum ipſe quoque Sulpitius lib. 1. memoratæ Hiſtoriæ longe antea deprehenderat. Jam ergo anni 479. transacti erant ab Exodo, & decurrebat quadringenteſimus octogeſimus, quando a Salomone Templum cœpit ædificari, ut diximus paulo ſupra.

Supputatur Epocha ſexta *a fine captivitatis Babylonicæ*, & a libertate Judæis per Cyrum reſtituta, anno P. Jul. 4178 Mundi 3468. ante Æram Chriſtianam 536. Nam a jactis Templi fundamentis usque ad invaſionem Judææ factam a Nabuchodonoſor, & ad initium captivitatis fluxerunt anni 407. In Captivitate Judæi permanſerunt an. 70. Sunt omnes anni 477. Addantur 2991. qui ante ædificationem Templi præceſſerant, ſecundo enim menſe anni Mundi 2992. incepta fuit ſacræ ædis ſtructura, Reſultat ſumma annorum 3468. Mundanæ Epochæ.

Hujus Epochæ initia ex Chronologia Regum Juda, & Iſrael magis apparent. Defuncto enim Salomone, cum regnaſſet annis 40. ex 3. Regum 11. 42. ideoque cum vixiſſet a fundatione templi annis 36. Roboam ejus filius décem a ſe Tribus avertit, quæ venerunt in ditionem Jeroboami; atque ita Regnum Juda, & Regnum Iſrael diſtracta ſunt, & regnarunt ab anno M. 2992.

REGES JUDA.		REGES ISRAEL.	
Salomon	36.		36.
Roboam	17.	Jeroboam	22.
Abias	3.	Nadab	1.
Aza	41.	Baaza	24.
Joſaphat	25.	Ela	2.
Joram	7.	Zambri 7. d.	
Ochozias	1.	Amri	12.
Athalia	6.	Achab	22.
Joas	40.	Ochoſias	2.
Amaſias	29.	Joram	12.
Ozias	51.	Jehu	28.
Joathan	16.	Joachas	17.
Achaz	16.	Joas	16.

Eze-

Ezechias	27.	Jeroboamus II.	41.
Manasses	55.	Interregnum	11.
Amon.	2.	Zacharias 6. m.	
Josias	31.	Selhum 1. m.	
Joachas 3. m.		Manahem	10.
Joachim	4.	Phacee	20.
Captivitatis	70	Osee anno	9.
Summa	477	venit in potestatem Salmanasaris Regis Assyriorum: unde ad libertatem Judæorum numerantur anni.	192.
		Summa	477.

Perspicua erit hujus calculi ratio, si animadvertatur, Captivitatem Babylonicam cœpisse anno 4. Joakim, & Mundi 3398. Oseam vero regem Israel subjugatum fuisse a Salmanasare anno regni sui 9. & Mundi 3276. a jactis Templi fundamentis 285. Sive autem anno M. 3398. addas annos 70. Captivitatis, sive anno M. 3276. addas annos 192. qui a Salmanasare ad restitutam per Cyrum libertatem fluxerunt, pervenies ad annum M. 3468. & a fundatione Templi 477.

A libertate Judaici populi, & a Monarchia Persarum fundata per Cyrum, usque ad Christi Nativitatem numerantur 532. nimirum a Cyro usque ad

Alexandrum Macedonem computantur anni	201.
Ab Alexandro ad Antiochum	112.
Hinc ad Joannem Hircanum.	90.
Ab Hircano ad Herodem Magnum	93.
Hujus anno trigesimo sexto, si ejus anni computentur ab eo tempore, quo salutatus fuit Rex a Romanis, natus est Christus.	36.
Summa annorum	532.

Addatur hæc summa Epochæ libertatis Judaicæ, sive anno Mundi 3468. & conflabitur summa annorum 4000. quos a mundi creatione usque ad Redemptoris nostri Nativitatem innixi eruditissimorum virorum calculis diximus numerandos.

Habet

Habet iſte computus præſidium aliquod in traditione Hebræorum attributa Eliæ Prophetæ in Talmud lib. Sanhedrim cap. Helec, quæ eſt hujusmodi: *Sex millia annorum mundi, & poſtea interitus: duo millia inanitatis, duo millia legis, duo millia annorum Meſſiæ,* (k) Sed quoniam hæc traditio non eſt Eliæ Thesbitæ, ſed Rabbini ejusdem nominis, qui floruit circa annum 154. a reſtituto Templo, atque noſtrum non eſt definire futura tempora, quæ, ut legimus Act. 1. 7. *Pater poſuit in ſua poteſtate;* idcirco non alius erit nobis traditionis illius uſus, niſi ad revincendam pervicaciam Judæorum, qui, licet exacti ſint Herode alienigena inter ipſos regnante anni 4000. irritis tamen votis, & per orbem diſperſi adhuc Meſſiam præſtolantur.

Conſtat ex dictis, ſex Mundi ætates ante Chriſti adventum diſtingui,

I.	A creatione ad diluvium annorum	1656.
II.	A diluvio ad vocationem Abrahæ	426.
III.	A vocatione Abrahæ ad Exodum	430.
IV.	Ab Exodo ad Templum	479.
V.	A Templo ad finem Captivitatis	477.
VI.	A ſoluta Captivitate ad Chriſtum	532.
Summa annorum		4000.

CA-

(k) Nicolaus Cardinalis de Cuſa in *Conjectura de noviſſimis diebus* num. 12. & 13 verius eſſe opinatur, tot annos a Moyſis morte usque ad Chriſtum fluxiſſe, quot ab Adam usque ad dies Noe, & quot a diebus diluvii ſub Noe usque ad mortem ipſius Moyſis; adeo ut tot fluere debeant a Chriſto usque ad complementum annorum. Ita præeunte Philone omne tempus dividit in quatuor partes, quarum poſtrema a Chriſti reſurrectione ad mundi finem extendatur. Qua ſententia, ſi vera foret, apertum eſſet, quomodo Chriſtus dicatur mortuus *in medio annorum*, & quare tempus, quod a morte Chriſti ad mundi finem decurrit, ſeu poſtremum quaternarium, appelletur *finis ſæculorum*, ac *tempus noviſſimum*. De hac pariter conjectura nihil temere definimus.

CAPUT XI.

PROFANÆ EPOCHÆ, QUÆ PRÆCEDUNT ÆRAM CHRISTIANAM.

Sequuntur modo Epochæ illustriores, quarum in Historia frequentior est usus. Harum prima est *Imperii Assyriorum*, cujus initia recentior Chronologia statuit in anno P. Julianæ 3447. Mundi 2737. ante Christum 1267. (*l*) quo tempore Ninus Beli filius, inito fœdere cum Ariæo rege Arabum, Asiam fere totam in sui potestatem redegit; ut litteris tradiderunt Herodotus, Appianus Alexandrinus, & Dionysius Halicarnassensis. Petavius tamen lib. 13. de doctrina Temp. statuit imperii Assyriorum primordia in anno P. Jul. 2604. ante Christum 2110. Is enim putat, Ninum fuisse Assur filium Nemrod filii

(1) Ita etiam in IV. Mundi Ætate Jacobus Usserius. Plures statuerunt hujus Imperii, regnique Babylonici initia in anno M. 1717. eoquod Calisthenes Philosophus dixerit captam ab Alexandro Macedone Babylonem anno Epochæ Assyriorum 1903. captam vero Babylonem ab Alexandro anno M. 3619. a quo deductis annis solidis 1903. manet initium Babylonis in anno 1717. Ita Galvisius; sed Alexandro dedita est Babylon an. P. J. 4382. Mundi 3672. ante Christum, seu ante Æram Christianam, 332 Franciscus Junius, Pareus, Pilcator, altique auctorem Imperii Assyrici faciunt non Assur, aut Ninum, sed hujus parentem Nemrodum. Hunc autem & Ninum eumdem hominem fuisse contendit in sua Chronologia Mercator. Semiramidem Nino uxorem fuisse tradit Diodorus Siculus. A Semiramide positum Nino Epitaphium excisum in columna, in libro *de Æquivocis* refert Xenophon. Epitaphium est, quod sequitur: *Mihi pater Jupiter Belus. Avus Saturnus Babylonius. Proavus Chus, Saturnus Æthiops. Abavus Saturnus Ægyptius. Atavus Cœlus Phœnix Ogyges.* Hunc esse Noe perspicuum est; ideoque Saturnus Ægyptius est *Cham* & Ninus fuit filius Beli, filii Nemrod, filii Chus, filii Cham, filii Noe. At qua ratione cogimur Epitaphium illud probare, & subscribere Xenophonti?

filii Chus, filii Cham, filii Noe, ac Nemrodum esse Belum, qui condidit Babylonem, de quo Gen. 10. 10. Non videtur mihi ea opinio inverisimilis; nam Babylonem conditam a Belo tradiderunt quoque Abydenus apud Eusebium lib. 9. de Præp. Evang. cap. 41. & Dorotheus Sidonius eo versu,

Antiqua urbs Babylon, Tyrio quæ condita Belo.

Nemrod autem dictus est *Belus*, quoniam Ninus, ut inquit S. Hieronymus in cap. 2. Oseæ patrem suum in Deum retulit; ac Deus in Daniele *Bel* dicitur; unde *Belus* Assyriorum, & *Baal*, quem Sidonii, & Phœnices coluerunt.

Certior est Epocha secunda *Excidii Trojæ*, regiæ olim & clarissimæ urbis Phrygiæ minoris sitæ ad montem Idam, oramque maritimam. Nam Ilium eversum anno 408. ante primam Olympiadem fere omnes consentiunt, Cappellus, Petavius, Usserius, alii; idque Græcorum Chronica testantur, auctore Eusebio in X. de Præp. Evang. Quamvis autem Tatianus apud eumdem Eusebium & Eratosthenes apud Clem. Alexandrinum in 1. Strom. a Trojæ excidio ad priorem Olympiadem numerent annos 407. hæc tamen unius tantum anni differentia nequit nos a communi opinione divellere. Annus vero 408. ante Olympiadem I. est annus P. Jul. 3530. Mundi 2820. Ante Christum 1184. In hoc itaque anno Troja capta, & Ilium dirutum est.

Tertia est Epocha *Regni Argivorum*, quorum primus Rex Inachus in Peloponneso principatum iniit anno P. Jul. 2858. M. 2148. ante Æram Christianam 1856. Ab anno tamen superiori Inachi regnum auspicatur Petavius lib. 13. de doctr. temp. quod, cum minimum discrimen sit, non moramur.

Proxima est Epocha *Olympiadum*, quæ statuitur omnium suffragio in anno P. Julianæ 3938. Mundi 3228. ante Chr. 776 die 19. mensis Julii. Loquimur de Olympiadum supputatione, qua utuntur Græcorum Historiæ, ab hoc dumtaxat tempore meliori annorum rerumque serie digestæ, ac minus fabulo-

ſæ. At Græci enumerant Olympiades a prædicto anno P. Jul. 3938. quo anno ludos Olympicos inſtauravit Iphitus, & ſtadio vicit Coroebus Eleus. Hinc Olympiades iſtæ *Iphithææ* vulgo appellantur. Verum ante annos 430. agonem Olympicum conſtituerat Hercules Idæus, & quinto quoque anno juſſerat celebrari, auctore Pauſania in Eliacis. Eſt Olympias ſpatium annorum quatuor, ex eo appellata, quod juxta Olympiam Elidis civitatem, quæ & Piſa dicta eſt, quinto quoque anno fierent certamina gymnica in honorem Jovis Olympii. Ita Voſſius in Etymologico. Quatuor itaque annis transactis nova inchoatur Olympias, adeo, ut Æra Chriſtiana, quæ figitur in anno Iphitæo 777. initium ducat ab anno 1. Olympiadis 195.

Quinta eſt Epocha *Urbis Conditæ*, conſtituenda in anno P. Jul. 3961. Mundi 3251. ante Æram communem 753. Quamvis enim diverſa ſtatuantur a Chronologis Urbis initia, quæ a M. Porcio Catone, a Faſtis Capitolinis, a Fabio Pictore & Lucio Cincio traduntur, atque in partes diſtrahunt Chronologos; nihilominus recentiores ſenſu unanimi auſpicantur Æram Chriſtianam ab anno U. C. 754. ideoque ſupponunt ante eamdem Æram annos Urbis 753. præteriiſſe. Atque recentiorum ſententiæ ſuffragatur, quod hæc ſit opinio Varronis, & communiori recepta plauſu,, unde anni U. C. hinc ſupputati appellari ſolent anni Urbis *Varroniani*. Deinde Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. 1. Cato, aliique ſcribunt conditam Romam anno 432. poſt Trojæ excidium, qui annus concurrit cum anno P. Julianæ 3961. Præterea juxta Varronem, & Plutarchum natalia Urbis ſtatuuntur in anno Iphiti 24. id eſt, anno 4. Olympiadis 6. *(m)* qui unus idemque eſt cum prædicto anno P. Julianæ 3961. ante Chriſtum 753.

Hanc

(m) Conditam Romam *anno 2. Olympiadis ſeptimæ* ex ſententia Cornelii Nepotis[& Lutatii ſcribit *Palyhiſt. cap.* 1. Solinus. Antea appellatam *Valentiam* quidam putant. Vide ibi *Exercit. Salmaſii.* Ex nomine ſententiarum eſt ortadiverſitas; ſiquidem & Ῥώμη, & *robur*, *ac Valentia* idem ſonant.

Hanc itaque Epocham & nos sectabimur in annis Urbis enumerandis. At prætermittere nolumus non minori probabilitate inniti sententiam illorum, qui censent conditam Romam anno P. Julianæ 3966. Mundi 3256. ante Christum 748. id est, toto quinquennio post Palilia Varroniana. Fulcitur hæc opinio, quam cæteris præferendam putant Panvinius noster, & Jacobus Usserius, Fabii Pictoris auctoritate, & Secularium ludorum, Fastorumque ratione; quibus momentis evincitur, Romam fuisse conditam anno Iphiti 29. seu anno 1. Olympiadis 8. ante Æram Christianam 748. atque anno 6. Varroniano.

Sexta Epocha est *Nabonassari*, statuenda in anno P. Jul. 3967. M. 3257. ante Ch. 747. Primum quoniam communi fere Chronologorum consensione prior annus Nabonassari incidit in annum Iphiti 29. labentem, sive in annum 1. Olympiadis 8. itidem labentem, atque in annum U. C. 7. si a Calendis Januariis, non a Pallibus computetur: atque hi omnes characteres quadrant anno P. J. 3967. Deinde in Canone Regum Babyloniorum edito a Ptolomæo a principio regni Nabonassari usque ad obitum Alexandri Magni numerantur anni 424. decessit autem Alexander anno P. J. 4390. ante Æ. Chr. 324. qui est annus quadringentesimus vicesimus quartus computatus ab anno P. Jul. 3967. Præterea Censorinus, qui scribebat librum de die Natali *Coss. Ulpio & Pontiano*, c. 13. eundem Consulatum adscribit anno Nabonassari nongentesimo octogesimo sexto. Incidit vero Consulatus Ulpii & Pontiani in annum Æ. Chr. 238. Adde huic numero annos 747. ante vulgarem Æram, conficitur summa annorum 985. qui ante prædictum Consulatum fluxerunt. Igitur anno 747. ante Æram Ch. sive anno P. Jul. 3967. constituenda est Epocha Nabonassari (*n*)

(*n*) Hac Æra Nabonassari nihil antiquius reperiri in Chaldæorum Astronomia, plures viri docti observarunt, unde constat, portentosam esse ipsorum Chaldæorum jactantiam, dum ab eo tempore, quo astra observari cœperunt usque ad expeditionem Alexandri Magni fluxisse autumant annos 470000.

Inquiritur, quisnam fuerit Nabonassarus, cujus Epocham nuper definivimus. Andreas Oleander, Joannes Funcius, & Bontinghus existimant, Nabonassarum esse eundem cum Salmanasare patre Sennacherib, de quo 4. Regum 18. 9. ac putant, opinionem suam comprobari nominum similitudine; sed illos prolixe refellit Isagoge Chronologica Sethus Calvisius. Et quidem ratio temporum non convenit: nam quo tempore Salmanasar imperabat Assyriis, Babyloniorum rex erat Berodach Filius Baladan, Regum 4. 20. 12. sive Merodach Baladan, Is. 39. 1. Iste vero Merodach non alius est, quam Maidoch Cempad, qui juxta Canonem Ptolomæi regnavit in Babylone anno 27. postquam Imperium illud instituit Nabonassarus. Igitur Nabonassarus alterius Imperii fuit moderator, alterius Salmanasar; & ille aliquantulum senior. Neque ulla est nominum similitudo; cum Salmanasar scribatur, *Salman-esel*, & Nabonassarus *Nebonepter*, si recurramus ad fontes. Nabonassarus itaque idem est, ac Baladan primus, unde genitus est Merodach Baladan memoratus ab Isaia. Appellatur idem Baladan ab Herodoto Belesus; atque is est, qui conspirante Arbace, aut Pharnace Mediæ præfecto destruxit Imperium Assyrium, regnumque Babyloniæ occupavit. Ita Imperii Baladan initia adeo fuerunt conspicua, ut Æram hanc constituerent, quam dicimus Epocham Nabonassari.

Septima Epocha est *Cyri*, *seu Monarchiæ Persarum*, figenda in an. P. Jul. 4178. M. 3468. ante Æram Ch. 536. Hoc enim anno Cambyse patre in Persia defuncto, Cyrus potitus est Monarchia totius Orientis, Judæisque in Regno suo versantibus facultatem concessit in patriam redeundi, ac templum Jerosolymitanum iterum ædificandi, ut diximus cap. præcedenti.

Octava Epocha est *Monarchiæ Græcorum*, cujus initia referri debent ad an. P. Jul. 4384. M. 3674. ante Ch. 330. Enimvero Alexander Philippi Macedo succesit patri defuncto anno ætatis suæ vigesimo. P. Iul. 4378. & anno 1. Olympiadis 111. quo

anno

anno Philippum inter ludos occiſum a Pauſania ſcribunt Diodorus, Plutarchus, & Arrianus. Delevit autem Alexander Darii copias, & ipſe Darius Beſſi parricidio interiit anno 3. Olymp. 112. P. Julianæ 4384. atque ita Alexander anno Regni ſui ſexto, ut Hiſtorici tradunt, toto Oriente potitus eſt; Æra itaque Græcorum, ſi computetur a Monarchia Alexandri, recte in anno 330. ante Æram Vulgarem conſtituitur.

Alexandri tamen diſtinguuntur Æræ aliæ duæ: quarum prima ſupputatur a morte Philippi, id eſt, ab anno 1. Olymp. 111. ante Æram Chriſtianam 336. ut nuperrime dicebamus; altera vero ab anno 3. ejusdem Olymp. 111. ante Chr. 334. & P. Jul. 4380. quo anno idem Alexander electus Græcorum adverſus Perſas Imperator in Aſiam transmiſit; & Darium ad Granicum amnem illuſtri certamine ſuperavit. Atque hæc Æra in Anno tertio Regni Alexandri figenda, a Diodoro, Plutarcho, Curtio cæterisque Hiſtoricis peculiari ratione adnotatur, iidemque Hiſtorici Olympiadem centeſimam undecimam, in quam incidit, vocare ſolent antonomaſtice τὴν Ἀνολυμπιάδα.

Complures dum annos Græcorum enumerant, utuntur *Epocha Seleucidarum*, quam nono ponimus loco. Pro hujus Epochæ intelligentia ſciendum eſt, ab Alexandro, qui naturæ conceſſit anno P. Jul. 4390. Olymp. 114. anno 1. & ante Chr. anno 324. poſtea quam a morte Philippi regnaſſet annis 12. & menſibus 8. nullum deſignatum fuiſſe Imperii ſucceſſorem, tametſi apud Perdiccam, cui moriens annulum ſuum dederat, ſumma poteſtas aliquamdiu viguerit. Diviſo itaque inter Macedones Imperio, Seleucus Babylonem invaſit, atque inde expulſo Nicanore Duce Antigoni, Mediam, Suſianam, cæterasque finitimas Regiones in ſuam redegit poteſtatem. Contigit id anno 1. Olymp. 117. id eſt, anno P. Julianæ 4402. Mundi 3692. ante Chriſtum 312. & Urbis Conditæ 442. Atque hæc eſt Epocha Seleucidarum, quam auctor libri 1. Machabæorum computat a menſe Niſan, & a verno tempore; au-

ctor autem 2. libri ab autumno & a menſe Tiſri. Quare nulla eſt contradictio, quod lib. 1. Mach. cap. 7. 1. ſtatuitur initium regni Demetrii in anno Seleucidarum 151. & lib. 2. cap. 14. 4. in anno 150. Hæc Seleucidarum Æra ab autumno ſubducta appellari conſuevit *Æra Contractuum*, quod autumnali tempore collectis ſegetibus, & vindemia peracta, prædia novis colonis inito contractu locentur.

Me non latet, nonnullos ſupputare annos Seleucidarum, non ab initio regni Seleuci in Babylone, ſed ab initio regni ejusdem Seleuci in Syria, id eſt, ab anno 4. Olymp. 119. ante Chriſtum 301.; in quo anno ab exercitu Seleuci, Lyſimachi, & Caſſandri Antigonus, & Demetrius devicti fuerunt, & Seleucus condidit Antiochiam. Sed qui ita ſentiunt, facili negotio refelluntur. Primo, quoniam Euſebius in Chron. refert Natalia regni Babylonis, Syriæ, & ſuperiorum locorum, in annum 1. Olymp. 117; & in lib. 8. Demonſtrat. Evan. in annum duodecimum poſt mortem Alexandri, ideoque in annum P. Jul. 4402. Deinde quia Concilium Nicænum, quod conſtat celebratum fuiſſe anno Ch. 325. Act. 2. Synodi Chalcedonenſis, nec non ab Euſebio, a Dionyſio Exiguo, a Creſconio, aliisque dicitur celebratum *anno Græcorum* 636. quod falſum erit, niſi Græcorum ſive Seleucidarum Æram computaverimus ab autumno anni 312. ante Chriſtum. Poſtremo quoniam Cardinalis Noriſius Diſſ. 2. de Epochis Syromacedonum tam invicte hanc Æram Seleucidarum definivit, ut nullus ſit in præſentiarum Chronologus, qui hanc ſententiam oppugnet.

Jam vero Epochæ, quæ remanent explicandæ, in concuſſum habent certiſſimumque principium. Decima itaque eſt *Æra ſubactæ a Romanis Judææ*, & diebellatæ a Pompejo Jeroſolymæ. Hæc Æra in anno P. Jul. 4651. M. 3941. ante Chriſtum 63. ſtatuenda eſt. Nam Pompejus an. U. C. 691. *Coſſ. Cicerone & Antonio*, capto Templo in ſolemni Jejunio tertii menſis, hoc eſt, die 28. Casleu, ver-

tente

tente anno 2. Olymp. 179. Judæos fecit tributarios Romano populo; & licet Hircano reddiderit Pontificatum, abſtulit illi tamen diadema, & Syriam Scauro Quæſtori ſuo regendam commiſit. Quæ ex Joſepho lib. 14. Antiq. c. 8. & lib. 1. de Bello c. 5. ex Dione lib. 37. ex Severo Sulpicio lib. 2. Hiſt. Sacræ, aliisque Hiſtoricis, ſatis comperta ſunt. Profecto adnotatione dignum eſſe videtur, quod eadem die 28. Menſis 3. Jeroſolyma ante annos 543. a Nabuchodonoſor capta fuerat, eademque die poſt annos 26 rurſus ab Herode, & Soſio fuit expugnata, ita, ut uno, eodemque die Judæorum populus olim Babyloniis, deinde Romanis, poſtea Herodi Idumæo cœperit inſervire.

Undecima eſt *Æra Antiochena*, cujus initium locandum eſt in anno P. Jul. 4665. M. 3955. ante Chr. 49. ſive anno 4. Olymp. 182. & U. C. 705. *Coſſ. Claudio Marcello, & L. Cornelio Lentulo.* Hanc Epocham illuſtravit prælaudatus Cardinalis Noriſius Diſſert. 3. de Epochis Syromacedonum ex nummis ſub Publio Licinio Muciano & ſub Pomponio Flacco procuſis. Ex utroque enim numiſmate conſtat, Epocham Antiochenam progredi ab autumno prædicti A. U. 705. & P. Jul. 4665. Nam Mucianus fuit Syriæ adminiſtrator an. U. C. 821. & Flaccus Syriam obtinuit anno U. C. 786. In priore autem numiſmate ſub Muciano ſignatur annus Epochæ Antiochenæ 117., in altero ſub Flacco annus ejusdem Epochæ 82. Ut vero annus Antiochenſium 117. incidat in annum U. 821. neceſſum eſt, ut primus annus Epochæ Antiochenorum concurrat cum anno U. 705.; idque pari ratione conſequitur, ſi annus U. 786. ſit Æræ Antiochenæ 82. His, aliisque graviſſimis munimentis Noriſius refellit Longium & Scaligerum, qui Æram Antiochenam inchoarunt ab anno U. C. 706. P. Jul. 4666. nec non Chriſtmannum & Hervartum, qui annos Antiochenos cœpiſſe autumarunt una cum annis Julianis. Quod Noriſius validiſſime propugnavit, tradiderant aliis monimentis innixi Petavius lib. 10. de Doctr. Temp. cap. 64. & Uſſerius ad annum P. Jul. 4665.

Duodecima est Epocha *primi anni Juliani*, quæ omnium consensu computatur ab anno U. C. 709. ante Æram Christianam 45. sive P. Julianæ 4669. Mundi vero 3959. Siquidem annus iste, a Calendis Januariis computandus, primus est, qui sequitur annum *Confusionis*, & Reformationem Calendarii factam a Julio Cæsare, ut luxantes annos ad certos limites revocaret.

Decima tertia est Epocha *Cæsaris Augusti*, sive Romani Imperii. Principatus autem Cæsaris Augusti varia statuuntur initia. Vel enim computantur a nece Julii Cæsaris avunculi sui, qui idibus Martiis occisus est in Senatu anno U. C. 710. atque ita Augustus imperare cœpit anno P. Jul. 4670. M. 3960. ante Æram Christianam 44. Vel numerantur ab inito Triumviratu, seu fœdere, & conspiratione Augusti, Lepidi, & Antonii, qui prætextu Reipublicæ constituendæ imperium indepti sunt anno U. C. 711. die 27. Novembris; atque ita cœpit Augusti Principatus anno P. Jul. 4671. M. 3961. ante Christum 43. Vel supputantur a pugna Actiaca, seu navali certamine, quo apud Actium, urbem & promontorium Epiri, Antonio devicto an. U. C. 723. quarto Nonas Septembris, cessit Augusto universum Romanum Imperium; & sic ipsius Principatus inchoatur ab anno P. Jul. 4683. Mundi 3973. ante Æram Christ. 31. Hæc a nullo erudito Chronologo controvertuntur, ac prolixa dissertatione etiam a nobis alibi complanantur.

Decima quarta est *Æra Hispanica*, computanda ab anno P. Julianæ 4676. M. 3966. ante Æram Chr. 38. Labente enim anno U. C. 715. *Coss. L. Marcio & C. Sabino*. Domitius Calvinus Hispaniam Augusto subegit, ut lib. 18. narrat Dio: ac a proximis Kal. Januariis anni U. C. 716. qui est P. Jul. 4676. cœperunt Hispani inire novum annorum computum. De hac Epocha S. Julianus Archiepiscopus Toletanus lib. 2. contra Judæos inquit: *Æra inventa est ante 38. annos, quam Christus nascere-*

fceretur. (o) *Nunc autem acclamatur Æra 724. Detractis itaque 38. annis, ex quo Æra inventa eſt, uſque ad Chriſti Nativitatem reſidui ſunt anni 686.* Diximus cap. 9. non deeſſe, qui ipſum commune *Æræ* nomen repetant ab Epocha iſta Hiſpanorum.

Poſtrema, & quinta decima Epocha eſt *Herodis Magni*, quo regnante in Judæa natus eſt Chriſtus. At non unum eſt Regni Herodis principium. Is enim, cum alienigena eſſet, & Idumæus genere, teſte Joſepho lib. 14. Antiq. cap. 2. poſt occupatam ab Antonio Syriam, ejusdem Antonii opera declaratus fuit Rex a Romanis, *Domitio Calvino, & Aſinio Pollione Coſſ.* teſte eodem Joſepho cit. libro cap. 14. & lib. 1. de Bello cap. item 14. Perſpicuum eſt autem, conſulatum Calvini & Pollionis incidere in annum U. C. 714. & 1. Olympiadis 185. ſive in annum 6. Julianum, & quintum Principatus Auguſti, ſi a nece Julii Cæſaris computetur. Atque annus iſte eſt P. Jul. 4674. Mundi 3964 ante Æram Chr. 40. At Herodes ſumma rerum potitus eſt *Vipſanio Agrippa & Caninio Gallo Coſſ.* anno U. C. 717. quando captis Jeroſolymis periit Antigonus, quaſi recurrente in idem temporis momentum illata a Pompejo Judæis calamitate, ut prænotatum eſt ſupra, & præcitatus Joſephus ſcribit lib. 14. Antiq. cap. 28. Itaque ab anno U. C. 717. & 4. Olymp. 185. Juliano 9. & Auguſti 10. ſive, quod idem eſt, ab anno P. Jul. 4667. M. 3967. ante Æ. Chr. 37. computanda eſt hæc Epocha Herodiana. Hinc eſt, quod Herodes regnaſſe dicitur annos triginta quatuor a morte Antigoni, triginta vero ſeptem, ex quo declaratus fuit Rex a Romanis, teſte eodem Joſepho lib. 17. Antiq. c. 10. & lib. 1. de Bello cap. ultimo. Mortuus eſt autem Herodes anno U. 751. anno Juliano 43. C. Aug. 42. & P. Julianæ 4710.

(o) Loquitur S. Julianus de Natali *Dionyſiano*, nimirum de tempore, a quo Dionyſianam, communemque Æram auſpicamur.

circa festa Paschalia, ut lib. 29. Th. Discipl. cap. 1. prop. 3. demonstravimus. Atque hæc de Epochis, quæ Nativitatem Domini præcesserunt.

CAPUT XII.

DE ANNO DOMINICÆ NATIVITATIS, ET DE ÆRA CHRISTIANA.

Non eadem est, ut quidam existimarunt, Æra Christiana, & Epocha Natalis Christi; nam hæc incerta est, illa vero omnino explorata, & singulis manifesta. Controvertitur, quo anno intemerata Virgo Christum peperit; omnesque tandem consentiunt vel anno U. C. 748. 3. Olymp. 193. P. Julianæ 3708. & Cæsaris Augusti 39. vel anno proxime sequenti, in lucem editum fuisse Generis nostri Reparatorem. Postremam sententiam nos post Norisium, Cappellum, Usserium, Natalem Alexandrum, Graveſonium, aliosque permultos, amplexati sumus; pro altera Pagio, Blanchinio, Scheleſtrateno, cum illustri aliorum Eruditorum copia, certantibus.

Sententia igitur nostra Maria Primogenitum suum in lucem edidit anno 41. Juliano, Cæsaris Augusti 40. U. C. 749. Olympiadis 193. anno 4. P. Jul. 4709, & quinto ante Æram communem ad finem properante. VIII. Calend. Jan. *Augusto XII, & L. Cornelio Sulla Coss.* Produximus vero sententiæ hujus nostræ munimenta cum lib. 26. Theologicarum disquisitionum cap. 2. tum in dissertationibus Chronologicis, quas prælo commisimus.

At Vulgaris Æra progreditur a Calendis Januariis anni 46. Juliani, C. Augusti 45. U. C. 754. Olympiadis 195. anno primo, Per. Jul. 4714. solido quadriennio post Christi Nativitatem. Apertissime enim viri clarissimi, Petavius lib. XI. de doct. Temp.

Temp. c. 29. Norisius in Dissert. de duobus Nummis Diocletiani & Licinii, & Pagius ad annum Chr. 284. demonstrarunt, Æram Diocletianam, seu Martyrum Alexandrinorum, incipere a Consulatu *Carini Augusti II. & Aurelii Numeriani A. II.* id est, a prædicto anno 284. P. Jul 4997. & U. C. 1037. Detractis itaque ab Æra Diocletiani annis 283. qui præcesserunt ab exordio Æræ Christianæ usque ad Imperium ejusdem Diocletiani, residuus erit annus P. Jul. 4714. & U. C. 754 in quo proinde rectissime constituuntur ipsius Christianæ Æræ principia.

Hæc Vulgaris Æra eadem est cum illa, quam Dionysianam appellitant. Dionysius enim Exiguus loco Cycli annorum 95. quem S. Cyrillus cœpit ab anno 153. Diocletiani, Ær. Chr. 436 ac terminavit in Anno Diocletiani 247. Christi 530 induxit Cyclum Victorianum annorum 532. suisque Cyclis noluit memoriam impii persecutoris innectere, sed magis elegit ab Incarnatione Domini tempora prænotare; ut Dionysius ipse testatur in sua ad Petronium Epistola. Cum autem idem Dionysius Cyclos suos inchoaverit ab anno Diocletiani 248 & Æræ Chr. 531. ut ibidem Dionysius declarat, & docet quoque Venerabilis Beda de Rat. Temp. c. 45. sequitur annum 1. Cycli Dionysii esse annum Julianum 45. qui proxime initia Æræ Christianæ præcessit, & eumdem Cyclum ab Æra Dionysiana discrepare, ut demonstrat Petavius lib. 12. de Doctr. Temp. c. 2. imo Vulgaris Æræ non Dionysium revera auctorem fuisse, sed Bedam, quemadmodum in Dissert. 3. de Cyclo Paschali Ravennate cap. 5. animadvertit Norisius.

In eo tamen a Bedæ computo discrepamus, quod is a Christi Domini Conceptione, nos ab ejus Nativitate, seu potius neglectis diebus septem anni exeuntis, a proximis Calendis Januariis annos Chr. Epochæ supputamus. Quamquam rationem illam computandi annos a Dominica incarnatione Orientis Ecclesiæ, & diu in publicis monumentis Florentini, aliique servaverint. Imo Pisani ad nostra usque

tempo-

tempora unum annum Æræ Conceptionis Domini addiderunt, fortaſſe enumerationem illam ſecuti Cycli decemnovalis, cujus præceſſerat unus annus, *quando facta eſt Incarnatio*, ut inquit Beda præcitato cap. 45. & in libro de argum. Lunæ pag. 215. Sed provide, ſapienterque inſtituerunt paucis ab hinc annis Provinciæ noſtræ Rectores, ut ad confuſionem omnem vitandam *communi ſtylo*, uteremur.

Nunc ſtatuto Vulgaris Æræ principio in anno Juliano 46. U. C. 754. & P. Jul. 4714. facillimum eſt cum annis Chriſti Epochas illas componere, quas duobus præcedentibus capitibus explicavimus. Adde E. G. anno 1774. annos 776, & habebis annum Iphitæum, ſive Olympiacum 2550. Adde annos 753. & emerget annus U. C. 2527. Adde annes 330. & erit annus Græcorum 2104. Adde annos 424. & conflabitur annus Seleucidarum 2198. Adde annos 45. & exſurget annus Julianus 1819. Adde annos 38. & occurret annus 1812. Æræ Hiſpanicæ. Adde annos 4713 & efficietur annus P. Julianæ 6487. Ita de reliquis Epochis agendum eſt, addendo annis Æræ Chriſtianæ annos, qui eamdem Æram præceſſerunt, alterius Epochæ, cujus computus inveſtigatur.

CAPUT XIII.

DE ANNIS CHRISTI, ET DE EPOCHA TIBERII CÆSARIS.

Definito anno Dominicæ Nativitatis, arduum non eſt annos reliquos vitæ Salvatoris noſtri adinvenire. Nam ex Ægypto, quo illum una cum Matre adſportaverat S. Joſeph, ab Angelo monitus de proxima cæde Bethlehemiticorum puerorum, rediit JEſus defuncto Herode, & in Judæa regnan-

te

te Archelao, anno U. C. 751. Juliano 43. Auguſti 42. ante Æ. V. 3. atque ætatis ſuæ an. ſecundo; ſiquidem hoc anno contingit circa Feſta Paſchalia mors Herodis, & peracto Paſchate Archelaus Romam veniens confirmatus fuit Ethnarcha ſuper Judæam, Idumæam, & Samariam, cæteris regni Herodis provinciis Philippo, & Herodi Antipæ diſtributis, ut narrat lib. 17. Antiquit. c. 10. Flavius Joſephus. De hoc reditu de Ægypto pertractat S. Matth. c. 2. 19.

Duodecim annos natus Jeroſolymam a parentibus ductus Chriſtus ad Feſtum Paſchæ, Jeroſolymis permanſit, & per triduum quæſitus, inventus eſt in atrio Templi ſedens, ac diſſerens inter Legiſperitos, Lucæ 2. 40. Quod contigiſſe anno Æ. V. 8., Herodis Antipæ, & Philippi Anno 11., Juliano 53. Cæſaris Auguſti 52. & U. C. 761. ex prædefinito tempore Dominicæ Nativitatis aperte conſequitur.

Baptizatum Dominum a Joanne, cum ingredi cœpiſſet annum trigeſimum, teſtatur S. Lucas c. 3. 23. ideoque conſignandus eſt Chriſti baptiſmus anno Æ. V. 26. Julianæ 71. U. C. 779. Herodis Antipæ, & Philippi 29.

Inter Chriſti baptiſmum, ejusque crucifixionem quatuor interceſſiſſe Paſchata colligimus ex Evangelica Hiſtoria: de quorum 1. agitur Joannis 2. 13. de altero Joan. 5. 1. de tertio Joannis 6. 4. Poſtremum vero illud eſt, quo celebrato affixus eſt cruci: ideoque paſſio Domini conſignanda eſt anno ætatis ſuæ 33. Ær. Vulgaris 29. Olympiadis 202. anno primo, Correctionis Julii Cæſaris 74. P. Julianæ 4742. Herodis Antipæ, & Philippi 32. Conſulibus (ut memorabilem Redemptionis annum illuſtrioribus characteribus deſignemus) *Rubellio Gemino*, & *C. Fuſio Gemino*: quibus Coſſ. Dominum ſubiiſſe pro nobis teterrimum crucis ſupplicium ſententia eſt, & antiquior, & communior, & verior.

Videtur tamen huic ſententiæ adverſari, quod legitur Lucæ 3. 1. prædicationem & baptiſmum Joannis, a quo Dominus tinctus eſt in Jordane, cœpiſſe

pisse *anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæsaris.* Cum enim Tiberius Imperium adeptus sit statim post mortem Cæsaris Augusti, qui decessit *Coss. duobus Sextis*, anno U. C. 767. die 14. Calendarum Septembrium, id est, anno Æ. Vulg. 14. & die 19. Augusti; sequitur, annum Tiberii decimum quintum incidere in annum Æ. Vulg. 29. & U. C. 782. quo anno, aut sequenti, Dominum venisse ad baptismum, contendunt cum Usserio plerique Recentiores. Qui proinde passionem Domini differre coguntur ad annum Æ. V. 33. veræ ætatis Christi trigesimum septimum, U. C. 786. ac Tiberii Cæsaris 19.

Verum hæc sententia, quæ aperte & veterum traditioni, &, ni fallor, Evangelio quoque repugnat (propterea quod non anno 34., ut autumant recentiores illi Chronologi, sed anno tricesimo ineunte baptizatum Dominum Lucas narrat absque ullis involucris verborum,) nunquam mihi probari potuit; atque ad Evangelicam cum Romana conciliandam historiam, cum viris eruditissimis recurrendum esse censeo ad Epocham Imperii Proconsularis Tiberii Cæsaris.

Itaque præter Imperium Augusteum, quod diximus collatum Tiberio anno U. C. 767. die 19. mensis Sextilis, admittendum est imperium Proconsulare ejusdem Tiberii; de quo scribit Vellejus Paterculus lib. 2. cap. 121. *Senatus Populusque Romanus postulante patre ejus, ut jus æquum ei in omnibus provinciis exercitibusque esset, &c.* Atque hoc Imperium concessum Tiberio, dum ex Pannoniis, Dalmatisque triumphum egit, tradit eo loci Paterculus. Triumphus autem Tiberii consignatur a Scriptoribus Romanæ Historiæ *Tiberio Germanico Cæsare, & C. Fontejo Capitone Coss.* anno U. C. 765. & Vulg. Æ. 12 Bene ergo se habet. Anno Æ. V. 26. quo consignavimus baptismum Domini, vertebatur annus Imperii Proconsularis Tiberii Cæsaris *decimus quintus*, ut inquit Lucas Evangelista, & annus Imperii Augustalis 12. absolvendus 14. Cal. Septembris: & anno Æ. V. 29. quo asserimus

Chri-

Christum in ara crucis fuisse immolatum, fluebat annus Imperii Proconsularis 28. annus autem Imperii Augustei 15. Atque ita Tertullianus lib. adv. Judæos c. 8. ait passum Christum *quinto decimo anno Imperii Tiberii*, & in 1. contra Marcionem *baptizatum anno 12. ejusdem Tiberii Cæsaris.* Quæ de solo Imperio Proconsulari, prout a nobis fixum est, possunt intelligi.

CAPUT XIV.

DE EPOCHIS, QUARUM INITIUM STATUITUR POST ÆRAM CHRISTIANAM

Consueverant plerique Veterum supputare annos *a Passione Domini*, quam superiori capite consignandam diximus in Consulatu duorum *Geminorum*, & in anno Vulg. Æræ 29. S. Hieronymus de Script. Eccl. & S. Isidorus Hispalensis in libro de Vita, & Morte Sanctorum, docent, Petrum Apostolorum principem coronatum fuisse martyrio *anno 37. post Domini Passionem:* & Hippolytus Portuensis apud Canisium, & Scheleſtratium, ait annum 13. imperatoris Alexandri esse *a Passione Christi* 206. At Petrum subiisse martyrium *Coss. Nerva, & Vestino*, anno Æræ Vulg. 65. affirmat S. Epiphanius h. 26. cap. 6. & consonat Catalogus Romanorum Pontificum tempore Liberii exaratus. Annus vero 13. imperii Alexandri, successoris Æliogabali, concurrit cum anno Æræ Vulg. 234. Nequit autem annus *a Passione Christi* 37. incidere in annum Æræ communis 65. neque annus ab eadem *Passione* 206. in annum Æræ 234., nisi Mors Christi consignetur in anno Æræ Vulgaris 29., & in Consulatu *Geminorum*: quæ aperte Epocham Dominicæ Passionis stabiliunt, & corroborant, quæ de annis Domini dicta sunt capite præcedenti.

Diu

Diu etiam in usu fuit *Æra Diocletiani*, seu *Martyrum*, quam cap. 12. figendam dixi in anno Æræ Christianæ 284. quod Baronius ad eundem annum, Petavius de doctrina Temp. lib. 11. cap. 30. Norisius in Diss. de duobus Nummis Dioclet. & Licinii, & Emanuel, a Schelestrate diss. 2. Antiq. Eccl. c. 8. veteribus inscriptionibus, Ambrosii, & Evagrii testimoniis, aliisque monumentis tanta evidentia statuerunt, ut rejecta opinione Scaligeri, Chronologi omnes in illorum sententiam descenderint. (p)

Illustris item est *Epocha Constantini* inter Imperatores, qui palam professi sunt religionem Christianam, (q) primi: quam Epocham quidam a devicto Maxentio, & a restituta Ecclesiæ pace, quidam vero a celebrata Nicæna synodo auspicantur. Constantinus imperare cœpit ex Fastis Idatio attributis, *Constantio Chloro Aug. VI. & Galerio Maximiano Aug. VI. Coss.* nempe anno Chr. 306. VIII. Calendas Augusti. Maxentium vero superavit juxta præcitatos Fastos, *Constantino Augusto II. & Licinio Aug. II. Coss.* scilicet anno Chr. 312. V. Calendas Novembris, quo tempore, ut inquit Severus Sulpitius, impositus est finis persecutioni. Nicæna demum Synodus, ipso Constantino imperante, celebrata est *Coss. Paulino, & Juliano*, Id est, anno Chr. 325. XIII. Calendas Julias, quemadmodum præter Historicos omnes testantur in præfat. ad Symbolum Patres Concilii Chalcedonensis.

Apud Arabes, & Saracenos in usu est Epocha, quam *Hegiram* vocant, sive a fuga Mahumedis, sive ab Hagar, a qua gens Hagarena ducit originem. Statuendum initium Hegiræ in anno Christi 622. & die

---

(p) Æra Diocletiani, quam diximus appellari *Æram Martyrum*, ab Eusebio vocatur *Æra Persecutionis*, ab Æthiopibus *Æra Gratiæ*, & ab Mahumetanis *Æra Elkupti* seu *Coptitarum*. Cum subducatur ab obitu Numeriani, quo occiso Diocletianus assumpsit imperium anno Chr. 284. XV. Kalendas Octobris; convincuntur errasse, quotquot aliunde hujus Æræ primordia sunt auspicati.

(q) Dixi *Palam*, ut evitetur quæstio de Religione utriusque Philippi: de qua alibi.

die 16. Julii ineunte feria sexta, (r) cujus diei nocte Pseudopropheta ex urbe Mecha invalescentibus hostibus coactus est fugere, protritum est, ac vulgare. Sed quoniam singuli Turcarum menses sunt Lunares, & ideo anni Hegiræ varia habere solent initia, ut prænotavimus cap. 5. ad revocandos annos Hegiræ ad annos Julianos nullam aliam viam adinvenimus magis expeditam, quam si post triginta duos annos Julianos, exactos & absolutos dixerimus annos Hegiræ 33. siquidem intervallo annorum 32. communium redit Hegira ad idem fere principium, & dies 10. horæ 21. & minuta 12. quibus annus Hegiræ minor est anno Juliano, unum annum ejusdem Hegiræ superaddunt (s).

Addamus Epocham Caroli Magni, seu fundationis novi Imperii, atque finis Imperii Græcorum, & initii Imperii Turcarum. Carolum Magnum inauguratum fuisse solemni ritu a Romano Pontifice Leone III. faustisque populi acclamationibus dictum *Imperatorem Romanum & Augustum*, anno Christi 800. hora secunda matutina diei 25. Decembris, scribit in ejus vita cap. 28. illius Cancellarius Eginhardus. Hinc itaque initia ducit Occidentis Imperium. Græcum autem ad Turcas pertransiit anno Christi 1453. quando Mahumetes II. filius Amuratis II. anno tertio principatus sui, Hegiræ 857. Constantinopolim expugnavit. Mirum, quod primus in Oriente Imperator Christianus fuit Constantinus Magnus filius Helenæ, & ultimus Constantinus Palæologus itidem filius Helenæ. ECCLE-

(r) Die Julii 16. sive XVII. Kal. Augusti, unde inchoatur *Hegira*, erat dies lunæ 5. Epacta enim erat signanda XIV & Aureus Numerus 6. Erat item annus Cycli Solaris 6 & notandus *lit. Domin.* C. ideoque *Dies Veneris*. Concurrebat autem annus ille 622. cum anno 1371. Æræ Nabonassaris, ab U. C. supputato a Palilibus 1375., ab institutione Olympiadum 398. atque vertebatur Heraclii Imperatoris annus XIII.

(s) Omittimus Epocham Persarum institutam anno 631. dictam vero *Yezdejerd* a Yezdejerdo filio Schariari Persarum rege: cujus Epochæ anni ratione quantitatis sunt Nabonassarei, sive Ægyptiaci veteres.

ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ BREVIARIUM.

Conſtitui hoc Opere tyronibus ſacrarum ſcientiarum ſtudio animum intendentibus, memoriæ juvandæ cauſa, improbique laboris vitandi, tradere univerſæ Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Proſpectum quemdam, vel Epitomen, iis, quæ ad res humanas profanasque attinent, penitus non prætermiſſis. A Natali autem Salvatoris noſtri *Dionyſiano*, ad hæc usque tempora, facta Seculorum partitione, Opus iſtud progreditur. Natali illo, communisque Æræ inſpectis primordiis, miſſo vero Dominicæ Nativitatis anno in controverſia maxima poſito, illuxit primum Chriſtiani nominis Seculum, *C. Cæſare*, & *L. Æmilio Paulo Coſſ.* anno Octaviani Auguſti 45. computato a cæde Julii Cæſaris Dictatoris. Inchoatus tunc erat annus quintus ætatis Chriſti, in ſententia eorum, qui natum propugnant anno U. C. 749. primus enim annus communis Æræ concurrit cum anno U. C. 754. P. Jul. 4714. Correct. Julianæ 46. & Primo Olympiadis 195. Anno autem ejusdem Æ. V. 26. decimoquinto Imperii Proconſularis Tiberii Cæſ. incœpit Præcurſoris Domini prædicatio, quam ſubſecutus eſt Reparatoris baptiſmus. Is vero juxta vetuſtiſſimam ſanctorum Patrum traditionem immolatus in ara crucis pro univerſi humani generis redemptione lytrum perſolvit anno communis Æræ 29. ætatis ſuæ 33. imperii Auguſtalis Tiberii 16. Proconſularis 19. *Coſſ. duobus Geminis*, ac primo Olympiadis 202. Poſtquam vero reſurrexit, & quadraginta dierum ſpatio Eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo, fidei ac myſteriorum traditione formavit; ad cœlos victor conſcendens, eandem Eccleſiam Romanis Pontificibus, vices ſuas gerentibus, inſtituendam regendamque commiſit.

PRI-

PRIMUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

DE ROMANIS PONTIFICIBUS PRIMI SECULI.

Administrarunt itaque Romanam Ecclesiam primo seculo *Petrus*, *Linus*, *Cletus*, & *Clemens*.

I. Petrus Galilæus genere, Apostolorum princeps, & Cephæ, id est, *Petræ* nomine insignitus, Romam sub *Claudio* venerat circa initia anni 42. Æ. V. id asserentibus Eusebio, Hieronymo, & Severo Sulpitio. Rediisse rursus ad eamdem urbem imperante *Nerone*, nullus dubitat: nec desunt, qui hunc unum statuant ejus in urbem adventum, innixi testimonio Lactantii in lib. *de mortibus Persecutorum*. Ibidem Simonem Samaritanum magum vaferrimum, cui erectam a Romanis statuam affirmat Justinus Martyr. (*t*) (*Semoni Sango* Deo Sabinorum erectam fuisse putant alii) volare tentantem oratione e sublimi aere dejecit. (*u*) In persecutione Neronis obiit affixus Cruci *Coss. Nerva*, & *Vestino*, id est, anno 65. post passionem Domini 37. tertio Kal. Julias, cum a priori in Urbem adventu tenuisset ibidem Cathedram sacerdotalem circa annos 25.

(*t*) Etiam Eusebius lib. II. H. E. cap. 14. Statuamque Simoni Mago erectam fuisse diversam a statua erecta Simoni Sango Deo Fidio demonstrat ad an. 44. Ven. Card. Baronius:

(*u*) Id quidam recentiores in dubium revocant; sed vide Ven. Baronium ad an. Christ. 68. & Ven. Bellarminum lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 23. & lib. 2. cap. 2.

II. Linus Volaterris, ut fertur, (*x*) exortus, & in Eccleſiaſticis tabulis appellatus *e regione Tuſciæ*, ſucceſſit Petro; ſeditque juxta vetuſtiores Catalogos, emendatosque Codices libri Pontificalis, annis undecim; & martyrio coronatus eſt, quamquam id negent recentiores nonnulli, anno Æ. V. 76. Coſſ. *Veſpaſiano VII.* & *Tito V.* nona die Kalendarum Octobris.

III. Succeſſor Lini juxta traditionem Romanæ Eccleſiæ, præferendam Criticorum commentationibus, (*y*) fuit *Cletus* patria Romanus; qui Epiſcopatum geſſiſſe dicitur annis 12. menſes enim diesque in hac ſynopſi ut plurimum prætermittimus. Quare obiit Coſſ. T. *Aurelio Fulvo* 11. & *A. Sempronio Atratino*, nimirum anno Æ. V. 89. eique in Pontificatu ſucceſſit *Clemens*.

IV. Hunc Romanum, & præclariſſimo natum genere opinabatur antiquitas: recentiores leviſſima ducti conjectura putant ex Judaica ſtirpe procreatum. Epiſcopatum tenuit annis 9. ſcilicet, usque ad annum Chriſti 98. quo imperante Trajano, in Cher-

---

(*x*) *Linus natione Tuſcus, patria Volaterranus*, inquit Baronius ad an. 69. & ita Pagius, cæterique; in Catalogis tamen & in libro Pontificali habetur duntaxat, *Linus natione Italus e regione Tuſciæ, ex patre Herculano*, &c. Sunt qui procreatum ſcribunt ex præclariſſima *Maurorum* gente.

(*y*) Lino quidam Clementem, non Cletum ſucceſſiſſe opinantur, & fulcitur horum opinio auctoritate SS. Optati Milevitani lib. 2. & Auguſtini epiſtola 165. Vetuſta tamen Romanæ Eccleſiæ monumenta Clementem faciunt ordine quartum. Orta priorum ſententia, ex quo Celetum eumdem eſſe cum Anacleto crediderint, nominis decepti ſimilitudine. Fuerunt ex hæreticis, qui Cletum ſimul cum Lino ſediſſe autumarunt. Fallax aſſertio, traditioni, Catalogis pervetuſtis, & unitati Apoſtolicæ Sedis repugnans, æque abſurda, ac ſit illa, quæ Petrum, & Paulum eadem poteſtate, eodemque jure Eccleſiæ Romanæ aſſerunt præfuiſſe. Hæc eſt autem utriusque Pagii Chronologia, Romanus Petri Pontificatus incœpit anno Æræ Vulgaris 55. Lini 65, Clementis 67. Cleti 77. Anacleti 85. Evariſti 95. &c.

Cherſoneſum Thraciæ deportatus, poſt exactum ærumnis, & egeſtate biennium, in mare demerſus eſt, anno tertio imperii ejusdem Trajani, V. Æ. 10. ut inquiunt Euſebius lib. 3. H. E. cap. 34. Hieronymus de Script. Eccleſ. Martyrologium Bedæ XI. Kal. Decembris, & MSS. Codices Florentini libri Pontificalis. Unde apparet recentioris Chronologiæ, Clementis obitum ſtatuentis in anno 77. haud certa, & labilis ſupputatio. (z)

PATRIARCHARUM NOMINA.

Hoc primo Seculo Alexandrinam Eccleſiam rexerunt *S. Marcus* Evangeliſta, *Anianus*, *Avilius*, & *Cerdo*. Antiochenam poſt Petrum, *Evodius*, & *Martyr Ignatius*. Jeroſolymitanam *Jacobus Alphæi*, & *Simeon*.

(z) Chronologia Romanorum Pontificum, qui ſederunt prioribus ſeculis, adeo implicata eſt, ut diverſam ſupputandi rationem complures inierint. Vide Baronium, Petavium, Papebrochium, utrumque Pagium, Tillemontium, Pearſonium, Dodwellum, & alios. Ad hanc præferendam nos impulerunt, quæ de Petri in urbem adventu, & de obitu Clementis Trajano imperante Veteres tradiderunt. Quod adverſus Clementis Chronologiam ab Euſebio traditam opponunt ex Epiſtola ejusdem Clementis *ad Corinthios* Iſaac Voſſius epiſt. 2. ad Rivetum, Pearſonius in Vindiciis epiſtolarum S. Ignatii & Antonius Pagius ad annum 78. ſolvitur a Schelſtrateno diſt. 2. Antiq. Eccl. cap. 1. Legendus ad annum 69. & 93. Venerabilis Annalium Conditor Baronius. In ea, quam ſequimur, Chronologia etiam Pontificatus Anacleti comprehenditur in primo Seculo. De illo tamen agendum ſeculo proximo, quoniam ei complures tribuunt 9. aut decem annos Epiſcopatus, & hunc Ven. Baronius inter annum 103. & 112. circumſcribit.

CAPUT II.

DE CONCILIIS PRIORI SECULO CELEBRATIS.

Tria primo vertente seculo celebrata fuerunt Concilia in Actibus Apostolorum descripta.

Concilium primum congregatum fuit paulo post adventum Spiritus sancti, ut alius Apostolus eligeretur in locum Judæ proditoris. Electus est autem *Mathias* in concursu Barsabæ cognomento Justi. Vide Act. Apostol. cap. 1.

In altero Concilio septem electi fuere diaconi, non administri duntaxat mensarum, ut inquiunt Novatores, sed liturgiæ inservientes, & ordinati manuum impositione. Quorum primus *Stephanus* sapientia & signis præclarus obrutus lapidibus retulit præsignatam nomine proprio coronam, Act. cap. 6. & 7. Hæc duo Concilia paulo post Ascensionem Domini contigere.

Tertium celebratum fuit circa annum Christi 50. jam promulgato in Palæstina Evangelio, decretumque ea in Synodo, ne regenerandis baptismate circumcisionis, rituumque legis Mosaicæ onus imponeretur, ibid. cap. 15. Convenerunt ad hanc Synodum Apostoli omnes, & presbyteri, non vero plebs ac fidelium multitudo; omniumque primus locutus est, judiciumque protulit Petrus, sed cæterorum quoque Apostolorum nomine promulgata sententia; atque ita futuris Sacerdotum conventibus præscripta forma.

Sunt, qui putant, aliud ab Apostolis coactum Concilium ad condendum Symbolum, promulgandosque canones, qui *Apostolici* nuncupantur. (a) Ve-

(a) Quidam octo Apostolorum Concilia recensent, quorum tamen octavum vel dubium, vel supposititicium esse opinantur. Videsis Apparatum Annati lib. 5. Sectione 2.

Verum quod ad *Symbolum* attinet, nec de tempore, nec de modo, quo conditum fit, conveniunt historici. *Apostolicum* dici arbitramur, quod Apostolicam comprehendant doctrinam. Eadem ratione laudati canones dicti sunt *Apostolici*: imo hos inter spurii extant nonnulli; unde liber, quo 84. continentur, can. *Sancta Romana* dist. 15. declaratur apocryphus.

CAPUT III.

DE HÆRETICIS PRIMI SECULI.

Eruperunt primo Seculo hæreses Simonis, Cerinthi, Menandri, Ebionis, Saturnini, Basilidis, & Nicolaitarum. (*b*)

Simon genere Samaritanus, baptizatus a Philippo, in eam primum prolapsus est impietatem, ut crediderit, dona Spiritus sancti pecunia obtineri. De se adeo superbe sensit, ut sese Deum Judæorum legislatorem, mundique Reparatorem, & Paracletum quoque jactaret. Helenæ, quam deperibat, sub Minervæ nomine cultum impendit latriæ. Dogmatizavit præterea mundum productum ab angelis, animasque solutis corporibus in alia corpora trans-

(*b*) Omittimus hæreses sectasque adhuc persistentes, Judæorum nempe, *Pharisæorum*, quorum origo refertur ad tempora Machabæorum, nomen vero est a *Pharas*, *segregavit Sadducæorum*, qui dicti sunt a *Psedech* vocabulo significante *justitiam*. Essæorum, obscuri nominis, neque in libris novi testamenti occurrentis. *Herodianorum*, de quibus cap. 22. S. Matthæus. *Primi* frivolas traditiones legi contrarias servabant. *Secundi* negabant animas post obitum permanere, esse spiritum, & futuram resurrectionem. *Tertii*, cum alioqui cælibes essent ac religiosi, sacrificia exteriora damnabant. *Postremi* credebant, Herodem fuisse Messiam in lege promissum. Adde *Samaritanos* a Judæis schismate separatos.

migrare. Fertur & negaſſe futuram mortuorum reſurrectionem.

Cerinthus in Aſia natus, viventibus adhuc Apoſtolis, commentus eſt, Deum non eſſe Creatorem mundi. Legem Moyſis etiamnum ad ſalutem neceſſariam aſſeruit. Mille annorum regnum carnalibus voluptatibus, victimisque cruentis tranſigendum invexit; & Chriſtum purum hominem ex Maria & Joſeph procreatum auſus eſt affirmare.

Menander, & *Ebion*, (*c*) eidem hæſerunt luto, fuitque unus Simonis conterraneus, & diſcipulus, alter e ſecta Phariſæorum, & Pauli Apoſtoli infenſiſſimus hoſtis, *mendicus*, quod ejus nomen ſonat, & inops.

Saturninus ac *Baſilides* (*d*) fuerunt Menandri auditores. Addidere tamen illius erroribus peculiaria figmenta, ut 365. angelorum propaginem, parem cœlorum membrorumque humani corporis nume-

---

(*c*) Ebionem emerſiſſe ſtatim poſt excidium Jeroſolymitanum tradit Euſebius.

(*d*) Tertullianus de Præſcript. cap. 46. & S. Hieronymus in Amos ajunt, Deum omnipotentem a Baſilide appellari *Abraxam*. S. Irenæus in voce illa *Abraxas* contineri docet numerum illum cœlorum 365. Perſpicua eſt computatio; nam Græce A. valet 1. β. 2. ρ. 100. α. 1. ξ. 60. α. 1. ς. 200. Quorum numerorum ſumma eſt 365. Voſſius in 1. de Idol. eo nomine deſignari putat Deum Perſarum *Mithram*, id eſt Solem, qui annuo curſu implet numerum illum dierum. Baſnage & Beauſobre nomen illud reperunt ab Ægyptiorum ſuperſtitione. Non ſunt audiendi, qui in ipſo vocabulo *Abraxas* Trinitatis & Incarnationis myſteria veſtigant. A. inquiunt, eſt *Ab* Pater, B. *Ben* Filius, R. *Ruach* Spiritus, A. *Achodes* Sanctus, Σωτηρία *Salus*. A. Απὸ *Per*, ξ. ξύλον *Crucem*. Nemo non videt hujus interpretationis auctorem modo ad Hebraicum, modo ad Græcum Alphabetum confugere, litterasque e ſuo loco amovere. Quis etiam credat vel Ægyptios vel Hæreticos primi Seculi propugnaſſe divinarum Perſonarum Trinitatem, & Domini Incarnationem? Idem dicendum de *Abracadabra*, voce a prædicto vocabulo *Abraxas* derivata.

merum, & quosdam prophetas barbaris insulsisque nominibus designatos.

Nicolaitarum impura secta admittebat mulierum, etiam conjugatarum, promiscuum usum, esumque carnium idolothyti. Nomen accepere a *Nicolao* Diacono, qui uxori imprudenter dimissæ facultatem fecit, ut nuberet, cuicumque vellet. Commemorantur Nicolaitæ cap. 2. Apocalypseos. Apollonius Tyanæus Romæ sub Domitiano exercebat præstigia. *(e)*

(e) Quidam post S. Philastrium memorarunt *Judaistas*, qui proditionem laudarent. Alii Thebutis, qui apostatavit a fide Hymenæi, Phileti, & Alexandri, de quibus Paulus Apostolus, Diotrephis, de quo ep. 3. Joannes, mentionem fecere. At non omnes impii, & communione privati nomen Sectæ alicui dedere.

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS I. SECULI.

Si Epistolæ JEsu Christi *ad Abgarum* Regem Edessenorum, & B. Mariæ Virginis ad *Messanenses* & *ad Florentinos* exploratæ essent auctoritatis; principem sibi locum isto in capite vindicarent. Verum supposititicæ censentur; quamvis prima ob Eusebii assertionem *lib.* 1. *H. E. cap.* 13. propugnatores habeat complures. *(f)*

Memorandi sunt itaque Scriptores Agiographi, quorum libri in canone divinarum Scripturarum habentur; tum recensendi sunt cæteri.

(f) De hac Epistola in utramque Partem disputavimus lib. 29. de Theol. discipl. cap. 6. num. 4.

S. MATTHEUS, qui & *Levi*, Evangelium conscripsit Hebraica lingua, circa annum 8. a Christi resurrectione; ipse autem circa annum Æ. V. 60. martyrium perpessus est Hierapoli in Parthia.

MARCUS ex Hebræo Matthæi, atque ex his, quæ audierat a Petro, Evangelium mandavit litteris Romæ, Græca, quæ tum communis erat, lingua, non autem Latina; idque circa annum 40. Æ. Vulg. & post decimum a Christi passione.

LUCAS Antiochenus, & medicus (Pictorem quoque nonnulli faciunt, scriptura, ac antiquitate silentibus) Evangelium Græce scripsit in Achajæ, vel Bæotiæ partibus circa annum Æ. V. 56. Scripsit & Actus Apostolorum; atque ipse martyrio affectus est in Bithynia, anno ætatis suæ, ut fertur, 84. cum vitam egisset cœlibem.

JOANNES filius Zebedæi, & Salomis Evangelium edidit reversus Ephesum, Nerva imperante, anno 97. cum tamen relegatus a Domitiano in insulam Pathmum, superiori anno 96. scripsisset *Apocalypsim*. Ephesi itidem, eodemque tempore, quo Evangelium, tres conscripsit Epistolas, quæ habentur in canone: senioque confectus tranquillo fine quievit post initia proximi seculi, id est, anno 104.

PAULUS, *Saulus* antea, Cilix ac patria Tarsensis anno Æ. V. 31. ad Christum conversus, & factus ex persecutore Apostolus Evangelium longe lateque promulgavit, suisque Epistolis erudivit Ecclesiam. Extant Pauli epistolæ XIV. Una *ad Romanos*, & *ad Corinthios* duæ, scriptæ circa annum 57. *Ad Galatas* quarta, adversus Judaizantes, data ante priorem *ad Corinthios* juxta Dodwellum, & Caveum, seu potius anno 58. Ex urbe Roma scripsit circa annum 60. *ad Ephesios*, *ad Philippenses*, *ad Philemonem* & *ad Hebræos*: epistola pariter ad *Colossenses* eodem tempore, eodemque loco scripta est. Duæ *ad Thessalonicenses* datæ videntur Corinthi anno 52. *Ad Titum* scripsit ex Epiro, vel Macedonia anno 64. & *ad Timotheum* epistolas duas, paulo ante martyrium, consignandum anno 65. non

ut

ut quidam autumant, 68. Affictæ autem ac suppositæ sunt, quæ sub Pauli nomine ab aliquibus laudantur, *ad Senecam*, atque *ad Laodicenses*.

PETRUS quoque duas Epistolas Roma conscripsit ad electos Ponti, Asiæ, Bithyniæ, & finitimarum provinciarum, plenas instituendæ vitæ præceptis: unam anno 43. dum Marcus Alexandriam profecturus Roma discedetet; alteram postremo vitæ suæ tempore, instante jam depositione *tabernaculi* sui, scilicet, corporei carceris, ut inquit cap. 1. 14.

JACOBUS *Aphæi* primus Jerosolymorum Episcopus, *columna* appellatus a Paulo, epistolam scripsit argumento multiplicem, in qua docet, fidem sine operibus nihil prodesse: quæ Epistola appellatur *Catholica*, & edita est anno 61. paulo ante, quam præcipitaretur de pinna templi, & a Synedrio damnaretur procurante Anano Pontifice.

JUDAS, vel *Thaddæus* prædicti Jacobi germanus frater scripsit & ipse brevem Epistolam, de qua olim hæsitarunt nonnulli, quoniam de libro *Henoch* qui Apocryphus est, testimonium assumit. Sed communi tandem approbatione tanquam canonica recepta est. Ex versu 18. constat, fuisse scriptam post secundam Petri. Libris hactenus recensitis Novum componitur Testamentum. *(g)*

Modo Scriptores laudabimus alios: ac primum *Clementem* Romanum Pontificem, cujus duæ extant *ad Corinthios* Epistolæ, quarum prima communi eruditorum consensu recipitur; aliam vero Hieronymus, Photius, & recentiorum plures existimant reprobandam. Eidem Clementi perperam adscribuntur octo *Constitutionum Apostolicarum* libri, *Itinerarium Petri*, disputatio *Petri* & *Apionis*, & epistolæ aliæ quinque.

BAR-

(g) Codicem Apocryphorum librorum Novi Testamenti compilavit, ediditque Fabricius. Qui de Apostolis scripsere, a Sagittario quoque in Introduct. ad Hist. Eccl. & a Franc. Buddæo de Eccl. Apostolica laudantur.

BARNABAS, qui & *Joseph Levites*, unam conscripsit epistolam: quam tamen Hieronymus & Eusebius vocant *apocryphum*, nempe extra Canonem divinorum librorum.

HERMAS], seu *Pastor*, edidit Opus tripartitum, complectens, *visiones*, *statuta*, *ac similitudines*, sed *apocryphum* declaratur decreto Gelasii. *(h)* Scripsit HERMAS circa an. 92.

Etiam *Flavius Josephus*, & *Philo* Alexandrinus Judæorum doctissimi solent hic recenseri: ille ob testimonium de Christo, quod habetur *libro* 18. *antiq. Judaic.* iste autem, quod in *vita eorum, qui Ascetæ dicuntur*, videatur plurimum commendare Christianos Alexandrinos. Utrumque tamen ambiguum est, atque obscurum. Commemorat S. Hieronymus in Catal. n. 34. *Justum a Tiberiade* Josepho æqualem.

Prætermitto *Acta presbyterorum Achajæ*, seu Martyrii S. Andreæ Apostoli Scripta, quæ tribuuntur *Prochoro*, *Lino*, & *Abdiæ*, Epistolas *Martialis Episcopi Lemovicensium*, *(i)* atque *Acta Pilati*: de quibus varia sunt sapientissimorum virorum judicia, nec aliquid certi possumus definire. *(k)*

CA-

(h) Olim tamen a pluribus magno in pretio habitus, & in quibusdam perlectus Ecclesiis. Nicodemi Evangelium, aliaque spuria prætermittimus. *Dionysium Areopagitam*, ac primum Athenienſium Episcopum Eusebius lib. 3. H. E. cap. 4. cæterique commemorant. An sit auctor librorum, qui sub ejus nomine circumferuntur, &, an distinguendus sita S. Dionysio Parisiensium Antistite, controvertitur.

(i) Habendus eodem in loco *Aurelianus* S. Martialis auditor, & in Episcopatu successor.

(k) Dionysium Areopagitam, eique adscripta Opera, ob dissensiones Auctorum, cum de uno aut duplici Dionysio, tum de libris Dionysii nomine insignitis, consulto prætermisimus. Sed Areopagitæ libros, præter Maximum monachum, Syncellum Suidam, Photium, aliosque Græcorum, laudant Trithemius,

CAPUT V.

DE ROMANIS IMPERATORIBUS, MARTYRIBUS, ET SANCTIS ALIIS PRIMI SECULI ILLUSTRIORIBUS.

Octavianum *Augustum* e Velitris oriundum, sed natum Romæ juxta Suetonium, Velitris auctore Dione, Romanum tenuisse imperium, quando natus est Christus, & ejusdem Cæsaris anno 45. inchoandam Æram Christianam, dictum est supra. Obiit autem Augustus *Coss. duobus Sextis*, id est, anno Æ. V. 14. die 19. mensis Sextilis, cum imperasset annis fere 58. vixisset autem 76. Augusto imperante ab Herode Ascalonita Judæorum rege interfecti fuere in omnibus finibus Bethlehem cuncti infantes bimuli, quos Ecclesia numerat inter martyres. Contigit immanissima hæc cædes quarto ante Æram communem anno.

Augusto successit imperio Tiberius e gente Claudia, filius Tiberii Neronis, & Liviæ Drusillæ, Augusteum principatum indeptus eodem an. 14. cum tamen ante exactum biennium consecutus fuisset imperium Proconsulare; cujus Epocham sequitur Lucas Evangelista. Decessit autem Tiberius anno Christi 37. *Coss. Acerronio* & *Nigrino*, die 16. Martii: eoque impe-

---

mius, Facultas Parisiensis in sua contra Erasmum Censura, Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. S. Bellarminus lib. de Script. Eccl., Baronius ad an. 100. Possevinus in Apparatu sacro Nat. Alex. dissert. 22. Seculi 1. Annatus, & alii, in oppositam partem abeuntibus Erasmo, Rivero, Dallæo, Launojo, Morino, Blondello, Caveo; Papebrochio item, sed hoc, aliisque orthodoxis alieno spiritu ab iis, qui Ecclesiasticam studeant evertere Hierarchiam.

Sibyllarum libri, qui modo extant, communiori Eruditorum judicio habentur supposititii.

imperante anno 28. Æræ vulgaris, jussu Herodis Antipæ, & saltatrice puella petente decollatus est S. Joannes Baptista: & proximo anno suffixus cruci Caput martyrum, mundique Redemptor. *(l)*

Post Tiberium imperavit *Cajus* cognomento *Caligula* filius Germanici, & Agrippinæ, confossus a Cassio Chærea triginta vulneribus die 24. Januarii, dum quartum cum *Sentio Saturnino* gereret consulatum, anno sc. Vulg. Æræ 41. quo imperante egregiam fidei Catholicæ navavit operam S. Barnabas, eamdemque fidem amplexus est Cornelius Centurio baptizatus a Petro: atque fideles an. 40. cœperunt Antiochiæ denominari Christiani. *(m)*

Succes.

(l) Tiberius ob vitium ebrietatis *Biberius* a joculatoribus dictus, atque ob portentosam libidinem, cujus nefanda exempla in secessu insulæ Capreensis invexit. *Caprineus* appellatus & *Hircus*: unde in Epigrammate Ausonius:

Prænomen Tiberi nactus Nero prima juventæ
Tempora laudato gessit in Imperio.
Frustra dehinc solo Caprearum clausus in antro,
Quæ prodit vitiis, cerdit operta locis.

Protomartyr Stephanus lapidibus, obrutus, Tiberio imperante, *Act. cap.* 7. Vide Baronium ad annum Christi 34. Per idem tempus persecutionem magnam factam in Ecclesia Jerosolymis testantur præcit. *Act. Apost. cap.* 8. 1. referenda potius ad anni 33. exitum. Suetonius & Tacitus tradunt, Tiberium obiisse die 16. Martii, Dio autem die 26.

(m) Eodem anno 40. Cajus Caligula jussit statuam suam poni in templo Jerosolymitano. Verum id differente Petronio Syriæ præside, & contrainente Agrippa mandatum non fuit executioni: erratque Grotius asserens imperium in Cajo, quod scribit Apostolus in 2. ad Thessalonicenses cap. 3. 4. & illum esse prænunciatum eo loci Antichristum. *Caligulam* dictum volunt a caligis, quas ornatas margaritis portaverit, vel potius a caligis, quas deferebant gregarii milites. Ausonius præmisso Tiberio,

Post hunc castrensis caligæ cognomine Cæsar,
Successit sævo sævior ingenio.

Succeſſit Cajo *Claudius* frater Germanici, & filius Druſi & Antoniæ, ſublatus veneno in boletis ſumpto, conſcia uxore Agrippina die 13. Octobris, *Coſſ. M. Aſinio Marcello*, & *M. Acilio Aviola*, nempe anno Ch. 54. A Claudio Herodes Agrippa adauctus Judææ & Samariæ principatu in Eccleſiam deſæviit, & Jacobum fratrem Joannis occidit gladio, ac Petrum carceri, unde ab angelo ereptus eſt, mancipavit. (*n*)

Poſt Claudium imperium tenuit *Nero* e gente Domitia, filius Domitii Ænobarbi, & Agrippinæ, qui ſeipſum interemit die 10. Junii, *Coſſ. Silio Italico*, & *M. Galerio*, nempe anno Chr. 68. Undecimo Neronis anno, Ær. Chr. 64. exorta eſt prima, poſt Herodianam, ſeu Judaicam, perſecutio, in Chriſti fideles incendii Urbis & exitioſæ ſuperſtitionis confiata calumnia. (*o*) Non modo Romæ, ſed ubique perſecutio deſæviit. Necati in Urbe Apoſtolorum Principes, *Proceſſus* & *Martinianus*, *Baſiliſſa*, *Anaſtaſia*, *Herodion*, *Olympias*, aliique Apoſtolorum diſcipuli. Interfecti item Mediolani an. 65. *Nazarius* & *Celſus*, necnon *Gervaſius* & *Protaſius*. Per idem temporis *Torpes* Piſis martyr occubuit (*p*).

Poſtre-

(*n*) Repudiaverat Claudius Æmiliam Lepidam, Plautiam Herculanillam, & Æliam Petinam nobiliſſimas Matronas Meſſalina altera Claudii uxor, adeo impura, utro vivente, palam nuberet Cajo Silio, jugulata eſt, proco quoque Silio necato. Agrippina filia erat fratris ſui Germanici: unde a S. C. poſtulavit, ut nuptiæ inter patruos neptesque ratæ haberentur. A Nerva abrogatum fuit hoc Senatus conſultum, repugnans etiam divinis legibus *Levitici*. 18. 12.

(*p*) Decem vulgo ante Conſtantinum Magnum enumerantur perſecutiones Eccleſiæ, de quibus ſingulis ſuo loco. I. Neronis. II. Fl. Domitiani. III. Ulpii Trajani. IV. M. Aur. Antonini Veri. V. Sept. Severi. VI. Maximini Thracis. VII. Decii. VIII. Valeriani. IX. Aureliani. X. Diocletiani & Maximiani.

(*q*) Decem millia Martyrum in eadem civitate ſub Nerone martyrium perpeſſi ſunt. Putarunt nonnulli, Neronem iterum ventu-

Postremo autem Neronis anno *Marcus* Evangelista prope Urbem Alexandrinam, & *Evodius* Antiochiæ, cujus post Petrum gessit Episcopatum, martyrium perpessi sunt. Fertur anno Neronis quarto obdormisse, & ad cœlum fuisse assumptam beatissimam Christi Matrem; an Jerosolymis, an Ephesi, Patres, & Historici non consentiunt. Concurrit quartus iste annus cum anno Æ. V. 57. *(q)*

Extincto Nerone, regnarunt unius anni intervallo *Sergius Sulpicius Galba*, *Marcus Salvius Otho* & *Aulus Vitellius*: quibus, uno post alium interfectis, imperium indeptus est *Flavius Vespasianus* anno Christi 69. Kalendis Junii. Anno Vespasiani 2. Æræ Vulg. 70. a morte Christi 42. a Tito ejus Filio expugnata est Jerusalem Kal. Sept. in cujus Urbis obsidione perierunt undecies centena millia Hebræorum, & 97. millia in captivitatem adducta sunt. *(r)* Vespasianus vero naturæ concessit anno Chr.

---

venturum, & futurum fore præcursorem Antichristi. Tradit id Lactantius de Mortibus Persecut. cap. 2. At variant lectiones; & qui credunt, Neronem esse translatum, & adhuc vivere, ibidem appellantur *deliri*. Reversurum scribit Instruct. 42. Commodianus.

(q) In fragmento Hippolyti Thebani inter Codd. Vaticanos habetur, Deiparam vixisse post Domini passionem annis XI., omnes vero illius annos fuisse LXI. Apostolis de quibus in I. P. adde LXXII. Discipulos Domini, *Timotheum* discipulum Pauli primum Episcopum Ephesiorum, & *Cæsarium* Tarracinensem, ac sanctis mulieribus, quæ Dominum secutæ sunt, *Mariam Cleophe*, *Salomen*, *Martham*, & *Mariam Magdalenam* sorores *Lazari*.

(r) Excidium Jerosolymitanum prædictum a Daniele cap. 91. 26. & a Christo Domino Matth 24. 15. ante annos septem ingentibus clamoribus annuntiare cœpit JEsus F. Anani, anno nempe Æ. V. 63. atque an. 65. die 21. Maii visi in aere currus exercitusque pugnantes, atque die 29. in festo Pentecostes audita vox illa excedentium Angelorum, *Migremus hinc*. Legitote Joseph de Bello.

Sub Vespasiano dirutum fuisse templum illud Judæorum in Ægypto, quod ædificaverat annos fere 256. Onias a Jasone

Chr. 79. die 24. Junii, in Consulatu suo nono, imperiique anno 10. Sub Galba fertur in Achaja pro Christo mortem crucis pertulisse *S. Andreas* Apostolus, & anno post Jerosolymitanum excidium, nempe Æ. Vulg. 71. *Bartholomæo* in majori Armenia detracta cutis, & caput abscissum.

Imperavit post Vespasianum invictissimus ejus filius *Titus*, qui post biennium fatis cessit *Silvano & Pollione Coss.* anno Chr. 81. idibus Septembris. Post quem Imperium arripuit *Domitianus* ejus frater, & filius Vespasiani, & Domitillæ.

Domitianus Imperium administravit annis 15. interiitque XIV. Kal. Octobris *Coss. Valente*, & *Antistio*, anno Chr. 96. Erupit Domitiano imperante secunda Ecclesiæ persecutio, anno Chr. 93. Pergami in Mysia *Antipas* inclusus in bovem æneum candentem: Romæ *Joannes* in olei ferventis dolium: (s) *Flavius* Clemens Domitiani patruelis percussus gladio: *Flavia Domitilla* in insulam Pontiam relegata: Cum duobus eunuchis *Nereo*, & *Achilleo*, postea Tarracinæ martyrium passis: occisus *M. Acilius Glabrio* Exconsul: *Felicula:* item Virgo inedia, fame, & equuleo necata; & *Nicomedes* Presbyter plumbatis cæsus. Jussit quoque Domitianus occidi omnes posteros Davidis, ut inquit Eusebius lib. 3. H. E. c. 19. (t) Hoc Cæsare qui-

---

ne fratre suo dejectus Pontificatu. Ab hoc templo derivatum quidam putant fabulam *Asini*, quem Judæi ab Ethnicis coluisse dicuntur; Neque enim inverisimile est illud, quod erat appellandum τὸ ἱερὸν Ὄνος appellatum fuisse neglecta minima littera *Jota* τὸ ἐδίρδν Ὄνος.

(s) Eumdem Joannem vixisse annos CX. usque ad Domitianum, legitur in prælaudato Fragmento; at post obitum Domitiani ex Pathmo rediisse Ephesum, ibique Ecclesiam rexisse usque ad Trajani tempora tradit Hieronymus.

(t) Alibi 20. Domitianus ipse dicitur a Juvenale *Calvus Nero*, a Tertulliano *Portio Neronis in crudelitate*, a Lactantio Non

quidam Athenis affectum martyrio ajunt *Dionysium Areopagitam*, mortuumque *Onesimum* Ephesiorum Episcopum, repugnante tamen Baronio.

Domitiano successit *Nerva Coccejus* Naniensis, qui regnavit tantummodo usque ad diem 27. Januarii anni Chr. 98. quo obiit stomachi dolore correptus. Post Nervam autem imperavit *M. Ulpius Trajanus* Hispali natus: de quo proximo secundo seculo.

CAPUT VI.

DE PRIMI CHRISTIANI SECULI DOCTRINA, AC DISCIPLINA.

Quidquid modo credendum proponit Romana Ecclesia, a Christo, vel Apostolis traditum fuit. Articulos fidei initio expositos colligitur e *Symbolo* edito pro initiandis baptismate. Trium Personarum Divinarum distinctionem miracula, quæ evenerunt baptizato Domino, & forma baptismi Evangelici aperte confirmant. Verbi Divinitatem execratio hæresis Cerinthianæ, & Evangelium, Joannis præsertim, commonstrant. Eucharistiæ Sacramentum, & Sacrificium comprobatur institutione Dominicæ cœnæ, litterisque Apostolicis ad Corinthios, & ad Hebræos. Sacramentalem absolutionem

---

minor Nerone tyrannus, ab Eusebio *Neronianæ impietatis & odii adversus Deum successor*. Vide Not. Baluzii in lib. de Mortibus Persecut. cap. 3. Non videtur itaque a cæde Christianorum, ut Dodwellus & Gisb. Cuperus autumant, abstinuisse.

Dio in *Domitiano* pluresab eo necatos commemorat, aliorumque interficiendorum nomina sub pulvinari scripta in tabulis tiliaceis, maturatas in ejus necem insidias, Domitia uxore, Norbano P. P. & Petronio II. haud ignaris, inflicta illi vulnera, cadaver a Phillide nutrice sepultum.

nem demonſtrat collata Apoſtolis facultas ligandi, & ſolvendi. Extremæ Unctionis egregium eſt teſtimonium cap. 5. Epiſtolæ Jacobi. Sacrorum librorum Canonem ab initio conditum inde eruitur, quod non inveniatur, a quo, & ubi primum fuerit inſtitutus. Traditionem aliorum dogmatum ab ætate Apoſtolorum viguiſſe oſtendimus, ex quo aliquo exorto errore, ſtatim Eccleſia illum proſcripſerit. Eccleſiaſticam Hierarchiam, diſtinctionem Epiſcoporum a Presbyteris, & ſacram Ordinationem impoſitione manuum peractam, Acta declarant Apoſtolica, & Pauli Epiſtola ad Titum. (*u*)

Ad Diſciplinam quod attinet, abrogatis cæremoniis, quæ typus erant futurorum, retinendos crediderunt Apoſtoli ritus ad res Divinas decentius tractandas perutiles, ut lumina, thura, indumenta. Statis diebus, Septimo primum hebdomadis die, tum Dominico conveniebant in unum, feſtaque religioſe ſervabant. Pro templis fuerunt principio privatorum hominum ædes. Præmiſſis precibus, ſacrorumque librorum lectione, unde Liturgia derivavit, fiebat oblatio, & ſub utraque ſpecie communio. Non omittebatur utilis exhortatio: & addebantur ſobria quædam convivia, quæ Agapæ dicebantur. Communis erat fidelium vita, & in unum ſingula conferebantur. Gravioribus vitiis polluti privabantur communione ſacrorum; quam pœnam Apoſtolus inflixit cuidam Corinthio. Exortas controverſias Apoſtoli aut voce, aut per litteras componebant: his denatis, dirimebat antiſtes;

(*u*) Liturgiam in Eccleſiæ primordiis cum ſola oratione Dominica, paucisque precibus peractam, poſt Gregorium Papam in Epiſt. ad Joannem Syrac. tradiderunt Valafridus Strabo, Rupertus, Stephanus Auguſtod. Honoratus, Durandus, aliique de divinis Officiis, & ſacris Ritibus pertractantes. Quare ab eruditis inter ſpurias rejiciuntur Liturgiæ, quæ ſub nomine Apoſtolorum Petri, Matthæi, Marci, nec non Jacobi cæteris forte antiquior, atque XII. ſimul Apoſtolorum laudantur. De illa, quæ legitur in Conſtitutionibus Clementis Rom. idem ferri ſolet judicium.

aut communi consensione terminabantur. Ne Religionis nostræ mysteria irriderentur a paganis, arcani disciplina caute servata est; unde fideles cœnæ *Thyesteæ*, aliorumque criminum insimulabantur ab iis, qui nesciebant, quid in eorum congressu ageretur. (x).

APPENDIX

DE EXTERNIS EVENTIBUS.

Perpauca ex profana historia hic ducimus subjicienda, ad Judæos, Romanosque spectantia.

Anno. 1. Æræ Christianæ *Cajus Cæsar* iniit consulatum in Syria. 2. *Lucius Cæsar* repentino morbo obiit Massiliæ. 3. *C. Cæsar* Tigranem Armenia expulit, præfecitque Ariobarzanem origine Medum. 4. *Augustus* renuit appellari a Populo Romano *Dominus*, & adoptavit Tiberium. 5. Consecta

---

(x) Auctor Constitutionum Apostolicarum lib. 5. cap. 18. affirmat, instituta fuisse ab Apostolis Festa Dominicæ Resurrectionis, Dominicæ in Albis, Ascensionis Domini, & Pentecostes. Idem tradit de Paschatis custodienda vigilia. Jejunium 4. temporum esse pariter ex traditione Apostolica, alibi diximus, idque non uno in loco asserit Leo Magnus. Apostolorum, & Stephani Protomartyris Festa indicta fuisse a Discipulis ipsorum Apostolorum, affirmat idem Auctor Constitutionum lib. 8. cap. 33.

Altaria quovis tempore ad oblationem Sacrificiorum erecta, Ecclesia etiam Christi ad sacram Synaxim adhibuit. Lege Apostolum ad Heb. cap. 13. Tertullianum de Orat. cap. 14. & 1. ad Uxorem cap. 7. Cyprianum epist. 66. altaria tanquam primitus condita commemorantes. Lignea initio fuisse constat; sed aliqua pro locorum opportunitate fuisse lapidea, censet lib. 1. Rerum Liturg. cap. 20. Cardinalis Bona. Idem præcedenti capite 19 ab Apostolorum ætate templa extitisse, & etiam a Pontificibus consecrata, plerumque tamen constructa in cœmeteriis cryptisque Martyrum (unde Martyria quoque dicebant

ſpecta Romæ die 28. Martii eclipſis Solis, de qua Dio libro 55. *Agrippæ* nepoti Auguſti data toga virilis. 6. *Archelaus* Romam accerſitus, & Viennam ob tyrannidem, quam in Judæos & Samaritas exercuit, pulſus eſt in exilium. 7. Judæa, Samaria, & Idumæa a *Sulpicio Quirinio* redactæ ſunt in provinciam, & oppreſſus eſt *Judas Galilæus*, qui concitaverat ad arma Judæos. 8. Dejectus Pontificatu *Joazar*, & ſubſtitutus *Ananus*: profanatum a Samaritanis templum, oſſibus mortuorum ubique ſparſis. 9. Lata ab Auguſto in cœlibes lex *Papia Poppæa*: confectum a Tiberio bellum Pannonicum: extinctus in Germania cum tribus legionibus *Quinctilius Varus*. 10. *Tiberius* ſuo, Druſique fratris nomine dedicavit Romæ ædem Concordiæ: & fato functa eſt Salome, ſoror Herodis Magni. 11. In Germaniam *Tiberius* & *Germanicus* irruperunt. 12. *Annius Rufus* miſſus eſt in Judæam Procurator: exauctoratus ab ipſo *Ananus*, & huic ſuffectus eſt *Iſmael*. Romæ *Tiberius* de Germanis triumphavit. 13. *Auguſtus* in decennium, veluti invitus, ſuſcepit regimen Reipublicæ. 14. Idem *Auguſtus* luſtrum condidit, & Nolæ in Campania deceſſit. 15. *Druſus* Tiberii filius dictus eſt Cæſar. Procurator Judææ in locum Annii Rufi *Valerius Gratus* conſtitutus eſt a Tiberio. 16. *Archelaus* Cappadociæ Rex Romam evocatus, ibi angore ſenioque confectus eſt. 17. Triumphavit *Germanicus* de Cheruſcis, Cattis, & Angrivariis. Pulſus in exilium *Ovidius*. Ingens terræ motus in Aſia. *Valerius Gratus* detruſo Iſmaele Pontificem Judæorum ſubrogavit *Eleazarum* filium Anani. 18. *Germanicus* victo Orode res Armeniæ compoſuit; & Je-

bantur) multiplici eruditione demonſtrat. Quænam extiterint in Urbe Roma, docebit Aringhus. Primam vero Chriſtianorum Eccleſiam fuiſſe ajunt domum, in qua Dominus celebravit poſtremum Paſcha, & inſtituit Euchariſtiam. Illic ordinatos ſeptem diaconos, & conſecratum Jacobum primum Jeroſolymitanum Epiſcopum, tradit Nicephorus lib. 2. cap. 3. ductus teſtimonio non ſatis explorato, Evodii Epiſcopi Antiocheni, qui primus poſt Petrum ſedit Antiochiæ, ut ait Euſebius libro 3. H. E. cap. 22.

rosolymis renunciatus a Valerio Pontifex Jud. *Simon F. Camithi.* 19. Discussa Romæ Sibyllarum oracula: Ægyptia, & Judaica sacra interdicta, dirutum Isidis templum, & in Tiberim simulacrum demersum: *Germanicus* a Pisone, ut vulgo creditum, sublatus veneno. 20. *Piso* judicio postulatus sibi mortem conscivit. 21. Vita functus est *P. Sulpicius Quirinus*, qui censum peregit in Syria. 22. *Cn. Sentius* e Syria revocatus, eique suffectus est *L. Pomponius Flaccus* 23. *Ælius Sejanus* Drusum Tib. F. veneno, ei per Lygdum spadonem propinato, e vita sustulit: *Livia* Drusi conjuge adulterio corrupta. Dejecto Simone P. Jerosolymis suffectus *Josephus Cajaphas.* 24. *Philippus Tetrarcha* instauratam Paneadem urbem vocavit *Cæsaream Philippi.* 25. *Pontius Pilatus*, revocato Valerio Grato, factus Procurator Judææ. 26. (y) Thraces domuit *Sabinus.* 27. *Herodes Antipas* præcursorem carcere Macherunte detinuit. 28. Deducitur ab hoc anno *Victoriana Periodus*, quæ cum annis Æræ Vulgaris conjungitur, si ab his anni 27. detrahantur. 29. Obiit *Livia Mater* Tiberii, 86. anno æta-

---

(y) Pilatus jubente Tiberio anno Christi 35. vel 36. Romam venire jussus, misso in Judæam Marcello, qui interim Procuratoris munere fungeretur. Non pervenit tamen Romam Pilatus ante obitum Tiberii, qui decessit anno 37. die 19. Martii, ut diximus cap. 5. Propria se manu Pilatus interfecit anno Ær. Vulg. 39. juxta alios an 40. Relegatus dicitur a Caligula Viennam Galliæ. Deportatum Lugdunum scribit in *Apologia contra Galli calumnias*; Franciscus Petrarcha, pag. 1079. edit. Basil. Ait ibidem Petrarcha, Pilatum fuisse Gallum. Quod ajunt Prætorem fuisse Aretii, ubi extant *Pilati* nomine ædes, crediderim esse popularem credulitatem.

Prætermisimus hujus seculi eventus alios complures, nempe ingentem in Asia terræmotum anno juxta Eusebium 20. incensum theatrum Pompeji anno 23. pernicioſam amphitheatri ruinam in urbe Fidenatium cum magna hominum clade memoratam a Tacito, allatam ex Ægypto miræ pulchritudinis phœnicem, de qua idem Tacitus, Dio, ac Plinius. Lugdunum incendio conflagratum *Aproniano & Capitone Coss.* id est, anno Christi 59. &c.

ætatis suæ. 30. *Sejanus*, dissimulante Tiberio, honoribus afficitur a Senatu. 31. Idem e curia in carcerem adductus occiditur, ejusque cadaver in Tiberim demergitur. Judæis infensissimum appellat Philo *de legatione ad Cajum*. 32. *Junius Gallio* immodicus Tiberii adulator damnatus exilio. 33. Mortuo Pomponio Flacco Præfecto Syriæ successit *L. Vitellius*. 34. Obiit *Philippus Tetrarcha*. 35. In locum Cajaphæ Vitellius pontificem renunciavit *Jonatham Anani F.* 36. Visam in Ægypto phœnicem Dio, Plinius, & Solinus testantur. 37. Mortui Tiberii successor *Caligula* Judææ procuratorem loco Pontii Pilati constituit *Marullum*. 38. *Caligula* ad mortem adegit *Macronem* P. P. *Flaccum* hujus amicum in Andrum insulam relegavit. 39. *Herodes Antipas* exspoliatus est Tetrarchia, & Lugdunum prius, tum in Hispaniam relegatus. 40. Orta Alexandriæ inter Judæos, & Græcos seditione, *Philo* Judæus, & *Apion* Grammaticus Romam venerunt. *Agrippa* a Cajo patrui Herodis Tetrarchiam obtinuit. 41. Cajo Caligula occiso a Cassio, *Claudius Cæsar* Agrippam catena aurea donavit: atque is Jerosolymam reversus, amoto a Sacerdotio Theophilo Anani F. substituit *Simonem* cognomento *Cantharam*. 42. Revocato Petronio Præses Syriæ renunciatus est *Vibius Marsus*. Agrippa Simonem exuit Pontificatu, quem contulit *Mathiæ* fratri Jonathæ. Romæ laboratum maxima frumenti penuria. 43. Invasit *Claudius*, domuitque Britanniam: ademptum Mathiæ Pontificatum Agrippa *Max. Elionæo* dedit. Fames prænunciata ab Agabo irrupit. 44. Triumphavit *Claudius* de Britannis: illi Romæ, & in Galliis arcus triumphalis decretus: *Messalinæ* ejus uxoris carpentum, ut olim Liviæ A. concessum. Obiit Judææ Rex *Agrippa*; regnique Procurator missus est *Cl. Cuspius Fadus*, cui successit *Cassius Longinus*. 45. *Agrippa Junior* jus in templum, & sacrum ærarium consecutus, Pontificatu decoravit *Josephum Canei F.* 46. *Messalina* Claudii conjux veneno sustulit *M. Vinucium* recusantem cum ipsa stupri consuetudinem. *Helena* Adiabenes in veteri Syria Regina laboran-

tes fame Judæos juvit; quod & fecit Jzates Rex illorum Religionem amplexus. 47. C. Silio Nervæ *Meſſalina* palam in urbe nupſit, raptoque Silio ad ſupplicium, impuriſſima fœmina occiſa eſt in hortis Lucullianis. Poſt Cuſpium Fadum Judæam adminiſtravit *Tiberius Alexander*. Opera *Herodis* Regis Chalcidis Pontificatus a Joſepho Canei F. translatus in *Ananiam Filium Nebedæi*. 48. *L. Annæus Seneca* e Corſica, quo eum Caligula relegarat, a Claudio revocatus hortatu Agrippinæ alterius uxoris ſuæ, inſtituendæ pueritiæ Neronis F. præficitur. In procuratione Judææ Tiberio Alexandro ſucceſſit *Ventidius Cumanus*; & per id temporis naturæ conceſſit *Herodes Rex Chalcidis*. 49. Miſſus ad regendam Samariam *Ant. Claudius Felix*, Claudii imp. libertus, regnumque Chalcidis Agrippæ Juniori collatum eſt: Judæi Roma expulſi. *Seneca* geſſit præturam. 50. *Claudius* opera Pallantis liberti adoptavit Domitium Neronem. 51. Præfuit Syriæ *F. Vinidius Quadratus:* Parthi in Armeniam irruperunt, collatumque Neroni fuit Imperium Proconſulare. 52. Propter cujusdam Galilæi cædem, magni Judæos inter ac Samaritas excitati tumultus. *Claudius* edidit Naumachiam; Nero *Octaviam* Claudii filiam duxit uxorem. 53. Propter rixas Samaritarum venerunt Romam Jonathas, Ananias, & Ananus principes Sacerdotum: Agrippæ præter regnum Chalcidis data Philippi Tetrarchia. 54. Extincto Claudio ſucceſſit *Domitius Nero*, ejus gener, filiusque Agrippinæ. 55. Latronibus, magis, & impoſtoribus referta Judæa, quam *Felix* præfectus animadvertendo in improbos purgare curavit. Interfectus tamen eo hortante etiam *Jonathas* Pontifex a Dora Jeroſolymitano. 56. Corinthii ſcortis liberius abutebantur. 57. *Demetrius* faber argentarius Dianæ Epheſiæ conflabat & vendebat ædiculas. 58. Parthi rurſus cum Romanis pro Armenia certarunt. 59. Subortam Cæſareæ ſeditionem inter Judæos, ac Gentiles, utriusque urbem illam eſſe ſuam afferentibus, *Felix* minaci edicto ſtuduit compeſcere. 60. Revocato Felici ſucceſſor datus eſt *Porcius Feſtus*, qui latrones provinciam infeſtantes

juſſit

jussit comprehendi. *Agrippa* Pontificatum contulit *Ismaeli Phabei F.* 61. Propter magnum cœnaculum ab eodem Agrippa ædificatum prope *Xystum*, unde prospiciebat, quidquid agebatur in templo, in Regem Jerosolymitani proceres surrexere. 62. *Nero*, dimissa Octavia causans sterilitatem, & relegata in Pandatariam, uxorem duxit *Poppæam* Sabinam. (z) Exauctorato Jerosolymis Ismaele, Pontifex creatus est ab Agrippa *Josephus Simonis F.* cognomine *Cabeus*; ac Porcio Festo defuncto successor missus a Nerone *Albinus*. 63. *Vologeses* Syriam occupans repellitur a *Corbulone* Proconsule; Rex *Agrippa* Pontificem Max. nominavit *Jesum F. Gamalielis* post *Jesum* alterum *F. Damnæi*. 64. Nero ut cerneret Trojæ ardentis imaginem, Romam incendit; & ad invidiam declinandam jussit Christianos exquisitissimis pœnis affici. 65. Interfecti a Nerone *Lucanus* Poeta, & *Seneca* præceptor suus: *Poppæa* etiam gravida ictu calcis perempta. Jerosolymis vacca ad aram mactanda peperit agnum: visæ per aerem discurrentes igneæ phalanges; atque vox illa excedentium Angelorum, *Migremus hinc*. 66. Vexante *Gessio Floro* Judæos, hi contra Romanos delectis belli ducibus arma sumpserunt. 67. *Vespasianus* inita contra Judæos expeditione, recuperavit Galilæam, Jotapatam expugnavit, urbes alias in deditionem recepit, adaucto Romanorum exercitu legionibus, quas Titus ejus Filius abduxit Alexandria. 68. *Vespasianus* compositis Galliarum motibus, in Judæam redux Jerichuntem occupavit; misitque Cæsarea Romam Titum, ut *Galbæ*, qui successit Ne-

(z) Rapuit postea Nero Statiliam Messalinam uxorem Attici Vestini Consulis, ipso nuptiarum tempore trucidato. Vim intulit Rubriæ virgini Vestali, & Sporum exsectis virilibus duxit in conjugem, imo & ipse nupsit Liberto Doryphoro. Turpissima patravit alia; de quibus Dio, Suetonius, Tacitus. Matris Agrippinæ cædem Nero mandavit Aniceto Centurioni, corpusque parentis vulneribus confossum ac denudatum inspicere ausus est. Apposita fuit ad Agrippinæ statuam tabella cum hac inscriptione, *Ego quid potui? Sed tu culeum meruisti*. Pœnam scilicet paricidæ descriptam a Tullio in Orat. pro Sex. Roscio Amerino. Vide Pompejam legem Digest. lib. 48. titulo 9. l. *Quamquam*.

roni, gratularetur Imperium, & novi principis juſſa capeſſeret. 69. *Titus* audita, dum præternavigaret Achajam, cæde Galbæ, remeavit ad Patrem: extincto autem Vitellio, *Veſpaſianus* ad Imperium evehitur, dum adhuc moraretur in Syria. 70. Patre in Italiam reverſo, *Titus* Jeroſolymas cinxit obſidione, paulo ante diem Azymorum, concurrentem cum 14. Aprilis: eamdemque urbem penitus occupavit die 8. *Gorpiæi*, ſeu 1. Septembris. *Titus*, ac Pater de ſubacta Judæa triumpharunt. Miſſus in ipſam Judæam legatus Cæſaris *Lucilius Baſſus*. Indictus *fiſcus Judaicus*, id eſt, juſſi Hebræi, ubicumque degerent, pendere Capitolio binas drachmas, quas antea templo ſolvebant. 72. *Nazaræi*, qui Legem, & Evangelium ſervabant, ſunt appellati. 73. Sublato e vivis Lucilio Baſſo, Judææ obtinuit regimen *Flavius Silva*. Sexcenti ſicarii ad *Lupum* Ægypti præſidem adducti ſunt puniendi. 74. *Jonathas* Judæus Cyrenenſes pauperes in ſolitudinem adduxit, quaſi illic miracula patraturus: at detecta, ac punita eſt impoſtura. 75. Advenit Romam *Berenices* Agrippæ majoris filia, quam Titus adamavit, & in Palatio detinuit; quod cum ægre ferrent Romani, invitus invitam dimiſit. 76. Claruit *Q. Aſconius Pedianus* hiſtoricus. 77. Natus eſt Imp. *Hadrianus*. 78. Obiit Ravennæ *S. Apollinaris* martyr. 79. *Veſpaſianus* in villa ſua apud Sabinos profluvio ventris extinguitur. Imperat *Titus*. Veſuvii incendium in Campania vicinas urbes, hominesque combuſſit. 80. Extruxit *Titus*, dedicavitque Romæ amphitheatrum, ac thermas. Pantheon, & templa Serapidis, Iſidis, & Neptuni flamma vaſtavit. 81. *Domitianus* Imperium indeptus Septembrem *Germanicum*, Octobrem *Domitianum* dici voluit: vites in urbe ſeri prohibuit: pepulit inde Philoſophos, & Mathematicos. 82. In Germaniam *Domitianus* cum exercitu profectus, rediit ut victor, cum nullo hoſte congreſſus. 83. Tres Virgines Veſtales ob ſtuprum vivæ defoſſæ ſunt. 84. Florebat hoc tempore *Apollonius Tyaneus*, ſophiſta, mendaciis ineptiisque celebris;

cujus

cujus vitam descripsit Philostratus. 85. *Domitianus* Consul XI. de Cattis, Dacis & Germanis triumphum egit. 86. Institutus fuit primus agon Capitolinus. 87. *Deum*, se ac *Dominum* appellavit Domitianus. 88. Celebrati fuerunt ludi seculares, & Daci rursus bello devicti. 89. Cœpit, ut inquit Tacitus, per intervalla ac spiramina Domitianus, interfectis viris illustribus, rempublicam exhaurire. *L. Antonius* Præfectus Germaniæ rebellavit, & a *L. Maximo* superatus, & captus. 90. Decennalia Domitiani celebrata fuere. 91. *Apollonius* conjectus in carcerem, & postea adductus ad Cæsarem, fertur ab hujus oculis evanuisse. Ædificata hoc anno Capitolium, Stadium, Forum transitorium, horrea piperatoria, fanumque Minervæ. 92. *Cornelia Maximilla* Vestalis viva ob stuprum defossa fuit. 93. Cœpit Domitianus omni sævitiæ genere vexare Christianos. 94. Exornabat hoc anno *Flav. Josephus* libros Antiq. Judaicarum. 95. Lapidibus strata est via, quæ est inter Puteolos & Sinuessam. 96. Libertinorum conspiratione, nec uxore ignara, *Domitianus* interfectus est 14. Kal. Octobris. 97. Initio principatus *Nervæ*, decreto S. C. revocati ab exilio fuerunt, quos relegaverat Domitianus. Sublata item Judaici fisci calumnia. Adoptatus a Cæsare *M. Ulpius Trajanus*. 98. Obiit *Nerva*, tenuitque Trajanus rerum habenas. 99. Adveniens *Trajanus* Romam Congiarium distribuit, & a S. P. Q. R. *Optimus* appellatur. 100. Proficiscitur *Trajanus* ad bellum Dacicum. *C. Plinius Secundus* Consul suffectus fuit cum Cornuto Tertullo a Kalendis Septembris.

Floruerunt primo Christi seculo litteris, *Pub. Ovidius Naso* Sulmonensis, Poeta facilis, ac tersus, sed in elegiis paulo lascivior. *Titus Livius* Patavinus Romanæ pater Historiæ, cui ab Asinio *Patavinitas* objecta. *Strabo* veterum Historiarum accuratus Collector. *Phedrus* Thrax, libertus Augusti, festivissimus, & latinissimus fabulator. *M. Annæus Seneca* philosophus, declamator, & rhetor. *Valerius Maximus* dictorum, factorumque me-

memorabilium collector, Ciceroni tam similis ajebat Erasmus, quam mulus homini. *C. Vellejus Paterculus* Romanus Historicus, luculentus, pressus, ac nitidus. *Philo Judæus* Alexandrinus sententiis locuples, ac disertissimus, Platoni ab aliquibus comparatus. *Aulus Persius Flaccus* Volaterranus Satiricus, acutus quidem, sed obscurus. *Pomponius Mela* Hispanus Geographus elegans & accuratus. *Lucius Junius Moderatus Columella* Gaditanus, qui de re rustica, agrorumque cultu, neque rustice, neque inculte pertractavit. *M. Annæus Lucanus* Cordubensis, Oratoribus potius, quam Poetis annumerandus; quamvis carmine scripserit, mascula & concitata dictione. *T. Petronius Arbiter* Eques Romanus, scriptor purissimæ, ut inquit Vossius, impuritatis. *C. Silius Italicus*, qui majori cura, quam ingenio, carmina scripsisse fertur. *C. Valerius Flaccus* Campanus, qui Apollonium imitatus ceciuit Argonauticen. *Plinius Secundus* Veronensis, appellatus a Budæo veritatis antistes, censorque liberrimus. *Q. Curtius Rufus* rerum ab Alexandro Macedone gestarum candidus, & elegans enarrator. *Epictetus* Hieropolitanus Philosophus Stoicus: cujus Enchiridion dici solet *Anima moralis Philosophiæ*. *M. Valerius Martialis* Hispanus, a quo conscripta Epigrammata sale, felle, verborumque licentia. *M. Fabius Quintilianus* Calaguritanus, instituendæ pueritiæ artifex, & eloquentiæ magister. *Sextus Julius Frontinus* Vir Consularis, expolitus, & minime verbosus Geometra. *Pub. Papinius Statius* Neapolitanus, Poeta cultissimus, prope ad Virgilianam majestatem accedens. *Fl. Josephus* sacerdotali regioque sanguine editus, quem S. Hieronymus *Græcum* Livium appellat. *Decius Junius Juvenalis* Aquinas in Satyris, judicio Scaligeri, tanto melior Horatio, quanto Horatius Lucilio. (*a*)

Com-

(*a*) Fertur eodem anno, quo Ovidius, natus Romæ *Albius Tibullus* Hirtio & Pansa Coss. ab U. C. 711. Utriusque amicus fuit *Sex. Aurelius Propertius* ex Mevania Umbriæ oppido. Floruerunt eodem tempore *Cassius Severus* Parmensis, *Domitius* Marsus

Commemoravimus in fine capitis quarti *Acta Pilati*, & diximus, non unum de iis esse virorum eruditissimorum judicium. Eadem quidem *Acta* extitisse compertum est; eadem etenim laudant Justinus Martyr in secunda Apologia ad Antoninum Pium, Tertullianus adversus Gentes cap. 21. & Eusebius libro 2. H. E. cap. 2. Adulterarunt ea tamen *Acta* tum Hæretici, ut inquit S. Epiphanius Hær. 1. num. 1. tum Gentiles, ut narrat prælaudatus Eusebius libro 9. cap. 5. Hac de re *Acta Pilati*, quæ citato cap. 4. inter dubia rejecimus, isto in loco rursus citavimus. *Plinium Secundum*, qui hoc labente Seculo, & inchoato sequenti floruit, appellavimus *Veronensem* secuti Christophorum Landinum, qui ejus Historiam donavit Italica lingua, & hanc esse testatur opinionem multorum, innixam auctoritati ejusdem Plinii, qui sibi communem patriam esse testatur cum Valerio Catullo, procul dubio Veronensi. Vide Prolegomena Cl. Jo. Antonii Vulpii in Catullum cap. 4. At complures Plinium *Novocomensem* fecerunt. Nolumus huic urbi talem auferre concivem. *Plinii* hoc seculo mentionem fecimus, quoniam Domitiano Imperatori Historiam suam nuncupavit.

SECUN-

---

sus, & alii, ut *Athenodorus* Tarsensis, *Socion* Alexandrinus magister Senecæ præstantes Philosophi. Grammatici item *Theon* & *Apion* Alexandria Romam profecti, *M. Verrius Flaccus*, *Menelaus*, de quo Genebrardus. Oratores percelebres *Q. Atherius*, *Cassius Severus*, *Clodius* Arelatensis, *Surculus* Tolosanus, atque poetæ haud obscuri, *Petronius* impurissimus, *Julius Pomponius* Tragicus comparatus Pindaro, *Sulpitia* matrona, &c. Claruit quoque imperante Augusto (nescio an ad Christi ætatem pervenerit) *Manilius*, cujus opera perfectum Obeliscum ad deprehendendas Solis umbras, ætate nostra effossum in Campo Martio, colligimus ex Plinio libro 36. cap. 10. A Manilio, qui Carmine tradidit Astronomiam, secernendus videtur. Synchronus huic *Strabo* Cretensis, *Pomponius Mela* Cosmographus, *Priscianus* Cæsareensis, & A. *Julius Solinus* Grammatici, prælaudatus *Plinius II.* Veronensis ad Imp. Domitianum libris XXXVII. Historiarum conscriptis, *Theo* Smyrnæus, aliique hoc primo Seculo cessisse fatis dicuntur. Inter quos memorandus *Aurelius Cornelius Celsus* rei Medicæ peritissimus, qui floruit sub Tiberio, sive ut aliis placet, imperante Nerone, integro ante Galenum Seculo, &c.

SECUNDUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

DE ROMANÆ ECCLESIÆ PASTORIBUS.

Romanam Ecclesiam secundo Seculo gubernarunt *Anacletus*, *Evaristus*, *Alexander*, *Sixtus*, *Telesphorus*, *Hyginus*, *Pius*, *Anicetus*, *Soter*, *Eleutherus*, & *Victor*.

V. Anacletus Athenienſis, quem ob nominis ſimilitudinem nonnulli confundunt cum Cleto, ſedit poſt Clementem annis 2. computato tempore, quo Clementis in Cherſoneſum deportati geſſit vices. Obiit itaque anno 100. Trajano A. III. & Julio Frontino Coſſ. dicata in Vaticano ſacra Ædе Petri. (a)

VI. Poſt

(a) *Anacletum* poſt Clementem recenſent ii quoque, qui *Cletum* omiſerunt, ut lib. 2. contra Parmen. Optatus, & Epiſtola 165. ad Generoſum Auguſtinus. In vetuſtiſſimis autem diptychis Romanæ Eccleſiæ, & in melioris notæ catalogis Pontifices hoc ordine numerantur, *Petrus*, *Linus*, *Cletus*, *Clemens*, *Anacletus*. Auctor Carminis contra Marcionem Anacletum præponit Clementi. Nonnulli Græcorum pro Ἀνακλήτῳ, quod idem ſonat, ac *Revocato*, ſcripſere Ἀνεγκλήτῳ, *inculpato* ſcilicet, ſeu *irreprehenſo*. Hinc Papebrochius contendens Cletum & Anacletum fuiſſe eumdem Pontificem, inquit Lini ſucceſſorem Cletum ab Urbe expulſum a Veſpaſiano ſuadente Muſonio ceſſiſſe Pontificatum Clementi, ipſoque Clemente juſſu Domitiani pulſo in exilium rurſus Cletum priſtinam ſedem occupaſ-

VI. Post Anacletum Ecclesiam rexit *S. Evaristus* Bethlehemita annis 9. nempe usque ad annum 109. quo Consules extiterunt *A. Corn. Palma II.* & *C. Calvisius Tullus II. Coss.* Distributi ab Evaristo Tituli presbyteris, sacra nempe loca concionibus, & Sacramentis administrandis percommoda.

VII. Successit *S. Alexander* Romanus, cui ritum benedicendi, & adspergendi lustralem Aquam attribuunt. Seditque annis 8. usque ad Consulatum *Quinctii Nigri*, & *Aproniani*, nempe usque ad annum Chr. 117. (*b*)

VIII. Deinde Pontificatum tenuit *S. Sixtus I.* qui post decennium subiit martyrium anno 127. Consulatum gerentibus, *Gallicano*, & *Cælio Titiano*. Trisagion liturgiæ a Sixto additum, formatasque litteras, unionis ecclesiarum tesseram, ajunt indictas.

IX. Administravit deinde Ecclesiam *S. Telesphorus* natione Græcus ab anno 127. usque ad annum 138. intervallo undecim annorum: eremiticæ vitæ olim cultor, jejunii quadragesimalis inculcator,

---

cupasse; ideoque appellatum fuisse *Anacletum*, nempe in Apostolicam Cathedram *Revocatum*. Verum istiusmodi conjecturis, quibus certiora testimonia adversantur, innitendum non esse, alii nos admonent.

(*b*) Henschenius in Apparatu ad Chronologiam Pontificiam, & Papebrochius in Conatu Chronico historico tradunt sedisse Alexandrum a Consulatu *Cornelii Palmæ*, & *C. Calvisii Tulli*, id est, ab anno 109. usque ad Cons. *Æmilii Æliani*, & *Lucii Antistii Veteris*, nempe, ad annum 117. exactum. Inniuntur antiquo Catalogo conscripto tempore Liberii Papæ, Alexandrum coronatum martyrio anno 117. quinto Nonas Majas alii tradunt. Uterque Pagius statuit *Anacletum* inauguratum Pontificem Maximum anno 85. *Evaristum* anno 95. Alexandrum anno 108. *Sixtum* 116. *Telesphorum* 126. *Hyginum* 137. *Pium* 141. *Anicetum* 151. *Soterem* 161. *Eleutherum* 170. & *Victorem* anno 185. Nos præmissa Seculo 1. Chronologia ad hanc impulit supputationem. Figentes tamen *Soteris* obitum in anno 177. *Eleutheri* in anno 192. hujusque Seculi exitum in anno *Victoris* consentientes habemus viros clarissimos.

tor, & coronatus martyrio in Consulatu *Sulpicii*, *Camerini*, & *Q. Nigri Magni*.

X. Episcopatum tum obtinuit *S. Hyginus* natus Athenis, post 4. annos, nempe an. 142. Coss. *Rufino* & *Quadrato*, damnato Cerdone, compositoque Clero, martyr effectus.

XI. Subrogatus Hygino *S. Pius I.* Aquilejensis. Is jussit, ut Pascha die Dominico juxta traditionem Apostolicam celebraretur: & postquam sedisset annis 16. non exactis, in Consulatu *M. Cejonii Silvani* & *C. Serii Augurini*, nempe anno 156. aut sequenti, sanguinem pro Christo fudit.

XII. Rexit postea Ecclesiam per annos 12. *S. Anicetus* natione Syrus, qui anno 168. in *Paulli*, & *Montani* Consulatu fuit præclara morte sublatus.

XIII. Deinde Episcopatum Urbis suscepit *Soter* Fundis in Campania ortus, beneficentia in Christianos ad metalla damnatos, & in exilium detrusos clarissimus: cujus beata mors contigit octo regiminis annis expletis, id est, anno Domini 177. *Coss. Aurelio Commodo*, & *Plautio Quinctillo*.

XIV. Sedit postea *S. Eleutherus* Nicopolitanus usque ad annum 192. quo anno expletis Episcopatus sui annis 15. *Commodo A. VII.* & *Pertinace II. Coss.* sancto fine quievit. (c)

XV. Victor fuit successor Eleutheri: cui gravis cum Asiaticis de die celebrandi Paschatis contentio. (d) Decessit autem Pontificatus sui anno 10. & Æræ Chri-

---

(c) Eusebius lib. 5. H. E. cap. 6. enumeratis Romanis Pontificibus usque ad Eleutherum inquit, Valesio interprete: *Hac serie, & successione tum traditio Apostolorum in Ecclesia, tum veritatis prædicatio ad nos usque pervenit.* Ex legitima Pontificum successione comprobari veritatem Apostolicarum traditionum, docet etiam S. Irenæus lib. 3. adv. Hær. cap. 2. & 3.

(d) Ante *Victorem*, quo die celebrandum sit Pascha, definierat S. Pius. Vide Spondanum ad annum 159.

Christianæ 201. *L. Annio Fabiano & M. Nonio Muciano* gerentibus Consulatum.

PATRIARCHARUM NOMINA.

Secundo Seculo Alexandriæ post Cerdonem sederunt *Primus*, *Justus*, *Hymenæus*, *Marcianus*, *Celadion*, *Agrippinus*, *Julianus*, & *Demetrius*. Antiochiæ post Ignatium M. *Hero Cornelius*, *Heros*, *Theophilus*, *Maximus*, & *Serapion*. Jerosolymis post Simeonem *Justus*, *Zacchæus*, *Tobias*, *Benjamin*, *Joannes*, *Mathias*, *Philippus*, *Seneca*, *Justus II.*, *Levi*, *Ephras*, *Joses*, *Judas*, † *Marcus*, *Cassianus*, *Publius*, *Maximus*, *Julianus*, *Gajanus*, *Symmachus*, *Gajus*, *Julianus II.*, *Capito*, *Maximus II.*, *Antoninus*, *Valens*, *Dolichianus*, *Narcissus*.

CAPUT II.

DE SECUNDI ECCLESIÆ SECULI CONCILIIS.

Qui de Conciliis pertractant, solent communiter unum duntaxat coactum *Romæ* a Victore circa annum 198. commemorare; in quo statutum fuit, non alia die celebrandum esse Pascha, quam Dominica ad Martii plenilunium sequente.

De eadem tamen re plura alia circa idem tempus habita fuerunt Concilia, quæ lib. 5. cap. 23. & seq. laudat Eusebius, *Cæsareense* in Palæstina sub Theophilo: in *Ponto* Ecclesiarum provinciæ Osdroenæ sub Palma: *Corinthiacum* sub Bacchyllo: *Lugdunense*

† Qui sequuntur, non fuerunt *Judæi* genere.

se sub Irenæo. Concilia hæc omnia Victoris, Romanæque Synodi comprobavere sententiam.

Contra *Ephesina* Asiaticorum Synodus sub Polycrate statuit Pascha celebrandum luna 14., in quamcumque hebdomadæ diem incidisset.

Auctor libri *Prædestinati*, & Baluzius meminerunt Synodi *Pergamensis* sub Theodoto, adversus hæresim Colorbasi paulo post describendam. At eruditi de hujus Synodi tempore non consentiunt.

In libello *Synodico* recensetur quoque Concilium *Hierapolitanum* sub Apollinario contra Montanum & Theodotum Coriarium; atque hoc Concilium a nonnullis refertur ad annum Christi 173.

Meminerunt nonnulli Concilii cujusdam *Siciliæ* sub Eustathio Episcopo Lilybæorum, ac Theodoro Panormitano, adversus Heracleonem hæreticum.

CAPUT III.

HÆRETICI SECUNDI SECULI RECENSENTUR.

Agmen Hæreticorum hujus seculi ducit *Carpocrates*, Alexandrinum vocat Clemens Alexandrinus, Epiphanius Samosatensem, Gnosticorum, hoc nomen sibi ob rerum notitiam arrogantium, Conditorem Eusebius. Erupit Carpocratis hæresis sedente in Petri Cathedra Aniceto. Ea Simonis & Cerinthi innovabantur figmenta, mundum non esse productum a Deo, dari transmigrationem animarum, Christum genitum esse ex concubitu, apparenter duntaxat subiisse crucem, omnemque licitam esse incestæ libidinis turpitudinem.

Valentini hæresis fabulosa Æonum procreatrix erupit imperante Antonino Pio. Fuit autem ille Ægyptius, patria Phrebonites. Fuerunt Valentini discipuli

scipuli *Secundus*, *Ptolomæus*, *Marcus*, *Bardesanes*, (e) *Colorbasus*, *Heracleon*, aliique nominis obscurioris: qui ad Æonum fabulam addiderunt commenta Basilidis; & quod fuit Gnosticorum commune placitum, negarunt, fas esse subire martyrium, & Christum corpus adsumpsisse æthereum, dogmatizarunt.

Fecunda Valentinianæ hæreseos fœtura: illinc enim prodiere, *Ophitæ*, *Archontici*, *Cajani*, & *Helcesitæ*. Ophitæ serpentem, a quo deceptus fuit Adam, Sophiam, seu Dei sapientiam putarunt, ab eoque nomen traxerunt; Græci enim serpentem *Ophin* vocant. *Archontici* spirituales substantias, tanquam ceterarum rerum principia venerabantur, ita appellati, quoniam *Archon* idem sonat ac *princeps*. *Cajani* Caim, ceterosque turpiora perpetrantes facinora viris melioribus præferebant. *Helcesitæ* ab Helcesa Arabe denominati, Christum creaturam, & Spiritum sanctum feminam ejusque sororem esse dicebant; ad vitandam mortem thura immolabant idolis: jurabant persalem, ventum & elementa, tanquam per numina; ac pulverem hærentem pedibus, sputaque quarumdam muliercularum religiose colligebant, & asservabant.

(e) *Bardesanes* juxta Chronicum Edessenum in lucem editum a Cl. Asseman, Edessæ natus est anno Ch. 154. S. Epiphanius H. 56. vixisse ait post mortem Abgari. Falli Epiphanium censet lib. 4. *Hist. Manich.* cap. 9. Beausobre, quoniam Abgarus regnavit Edessæ ab anno 152. usque annum 187. Epiphanius autem eo loci tradit Bardesanem pervenisse ad imperium Lucii Veri. At Lucius Verus apoplexia correptus interiit juxta Pagii Chronologiam anno 169. ideoque ante obitum Abgari. Nos ita Epiphanium intelligimus, ut Bardesanes vixerit sub Lucio Vero, & vitam protraxerit ultra obitum Abgari. Sunt vero plures, quibus nomen Abgari commune est; & ille, cui acceptus Bardesanes, fuit Abgarus filius *Maanus*. Bardesanes ad frugem revocatus dicitur. Illius & Bardesanistarum conscripsit Historiam Frid. Strunzius. Addendi *Floriani* a Florino, & *Adamitæ*, quos Isaac de Beausobre excusare peculiari dissertatione conatur.

Encratitæ auctorem habuerunt *Tatianum* Syrum, Sophistam, & Oratorem illustrem, qui floruit circa annum 170. Hi, præter Æones Valentinianos, damnarunt conjugia, negarunt Adami salutem, & a vino, etiam in sacris mysteriis, abstinuerunt, dicti propterea Encratitæ ἀπὸ ἐγκρατεῖν, quod significat esse continentem, ac temperantem.

Marcion Ponticus, patria Synopensis, discipulus *Cerdonis*, hæresim disseminavit imperante Antonino Pio, appellatus *Antonianus hæreticus sub Pio impius*. Fuerunt Marcionis dogmata, duo esse rerum omnium principia, unum bonum, alterum malum: (*f*) inhibitionem Adæ factam de non comedendo arboris fructu, legem, prophetarumque vaticinia, principii mali opus esse: Christum umbratilem assumpsisse carnem; & damnandas esse nuptias, tanquam intemperantiam ac stuprum. Quæ omnia circa annum 190. paucis immutatis adjectisque dogmatizavit *Apelles*.

Vixerat ante Apellem *Montanus* e Mysia, oppidoque contermino Phrygiæ, Montanistarum seu Cataphrygum parens. Duo ejus dogmata præcipua fuere; secundas nuptias a fornicatione nequaquam differre, & persecutionis tempore neminem posse fugam arripere. Illius insaniam, qua se spiritum Pa-

(*f*) Marcion Deo opposuit materiam innatam & infectam, deputavitque eidem materiæ innatum innatæ ex Tertulliano lib. 1. cap. 15. Idem statuisse Bardesanem & Manetem asserit Epiphanius. Hinc plerique putant, principium malum esse materiam innatam & informem, & ideo hanc adstruentes tradidisse mundum conditum ab angelis, quod Deo summo bono tribui nequeat creatio rerum materialium, quibus malum inhæret. Certe Hieronymus scribens ad Pammachium ait, Marcionem dogmatizasse, a Deo bono invisibilia, a Deo malo visibilia fuisse condita. Haustam hanc hæresim a Cerdone affirmat quoque Hæresi XVII. S. Philastrius. Diximus alibi, duorum principiorum, boni, & mali, dogma traditum olim fuisse a Zoroastre; & Marcionitarum, Manichæorumque principia parum differre *ab Oroſmade*, & *Arimanio* Persarum, *Iside* & *Osiride* Ægyptiorum, Græcorumque peccarum *Pandora*, & *Typhone*.

Paracletum, impurasque feminas Priscillam & Maximillam divino afflatas numine prædicabat, non opus est patefacere. Montanum laqueo sibi gulam fregisse an. 172. tradit Chronicum Eusebianum. (g)

Accessere *Theodotus Trapezita*, *Theodotus* alter *Coriarius* Byzantinus, *Artemon*, & *Hermogenes*. Affirmavit primus Melchisedech regem Salem fuisse Virtutem quamdam Christo superiorem. *Theodotus* Coriarius, & *Artemon* eumdem Christum nudum hominem appellarunt: *Hermogenes* demum Stoicus, pictor, falsarius, & adulter asseruit materiam Deo coæternam, & improductam.

CAPUT IV.

SECUNDI SECULI SCRIPTORES ECCLESIASTICI.

Permulti secundo seculo floruerunt Scriptores: quorum agmen ducit S. *Ignatius* Θεόφορος quoque appellatus. (h). Rexit is Antiochenam Ecclesiam

(g) Montanistas, & præsertim horum unum, Proclum nomine refutavit Cajus presbyter, cujus non semel meminit Eusebius.

(h) An Θεόφορος dictus sit, quod fuerit puerulus in ulnas sublatus a Domino, an quia ipse Christum fide, & sanctimonia gestaverit, incertum. Videtur secunda opinio probabilior; nam in ejus Martyrio, quod edidit Jacobus Usserius, interrogatus Ignatius, quinam esset *Theophorus*, respondit: *Is qui Christum gestat in Pectore.* Passum *Sura* & *Senecione Coss.* id est, anno 107. ejus Acta apud Ruinart innuunt. Sed vide ad hunc annum Ant. Pagium. De Ignatianis Epistolis egimus lib. 8. Theol. cap. 2. Ad illas, etiam ut editas a Vossio, & Usserio, rejiciendas tanquam spurias, post Salmasium, Blondellum, & Dallæum, nervos intendit in commentario de Script. Eccl. Oudinus. Ignatii martyrium Acta apud Ruinart referunt ad an. 107. Norisius in Epist. Consulari ad annum 113. Pagius, aliique ad annum 116.

fiam post Evodium supra annos 40. atque a Trajano, qui bellaturus cum Parthis Antiochiam pervenerat, damnatus ad bestias, & Romam missus, ibi in Amphitheatro discerptus & comminutus fuit a leonibus anno 116. die 21. Novembris. Septem Ignatii epistolas eruditi fere omnes post multas altercationes receperunt, ut genuinas: at Opus inscriptum Διδασκαλία, quod in VII. libros Constit. Apost. quidam distributum fuisse affirmarunt, nullo certo testimonio eidem adscribitur.

Sequitur *Polycarpus* (*i*) Joannis discipulus, & Smyrnensis Episcopus, cujus una extat ad Philippenses epistola ab Eusebio, a Hieronymo, a Photio summis laudibus celebrata. In Actis Ecclesiæ Smyrnensis apud Eusebium lib. 4. dicitur flamma consumptus VII. Kal. Majas. Annus passionis ejus incertus, creditur a plerisque 169.

Justinus, qui gladio percussus sub M. Aurelio anno 163. migravit ad Dominum, ortus in civitate Samariæ Sichem, seu Neapoli Flavia, Philosophus Platonicus, duplici pro Christianis Apologia, confutatione Tryphonis Judæi, & Oratione Parænetica ad Græcos magnum sibi nomen comparavit; atque immerito dicitur a Sandio, & Episcopio negasse Verbi divinitatem (*k*)

Pugnavit contra hæreses præsertim Valentinianam egregio Opere *S. Irenæus* Polycarpi discipulus, & Episcopus Lugdunensis, qui in persecutione Severi martyrii retulit palmam anno 202. Græce scripsit, non ut Erasmus putavit, Latine; eumque Ter-

[tul-

(*i*) Quo anno S. Polycarpus Romam venerit, incertum est. Pearsonius id contigisse scribit anno Christi 142. Tillemontius an. 161. at ceteris antiquior Eusebius anno 157. aut sequenti.

(*k*) *Justinus* cum Crescentio Philosopho Cynico de religione certavit.

tullianus contra Valent. cap. 5. fuisse testatur *doctrinarum omnium accuratissimum exploratorem.* (*l*)

Grassante persecutione, Apologetica Scripta pro Christiana religione ediderunt *Melito Serdicanus* anno 170. *Tatianus Syrus* sophista, & orator anno 172. *Athenagoras* philosophiæ Platonicæ sectator circa annum 169. *Theophilus Antiochenus* eodem anno ad Christum conversus, atque Hermogenis, & Marcionis acerrimus insectator. *Apollinaris* Hierapolitanus, cujus libros commemorat libro 4. cap. 27. Eusebius, quique per eadem tempora floruit M. Aurelio, & L. Vero imperantibus. Et *Aristides*, & *Quadratus*, de quibus hoc unum scimus, Apologias obtulisse Imperatori Hadriano, qui Trajano, ut paulo infra dicemus, successit.

Inter ceteros claruit, imperante Severo, & vergente hoc seculo ad finem *Tit. Fl. Clemens* Alexandrinus, discipulus Pantæni & præceptor Origenis, ac presbyter, non Episcopus, (*m*) a multis *Christianæ antiquitatis Varro* appellatus. Laudantur Clementis Protrepticum ad Gentes, libri tres Pædagogi, & Stromatum octo. Reliqua ejus Opera perierunt. Inexhaustæ doctrinæ, & sacræ atque exoticæ eruditionis copia mirifice fuisse præditum asserunt

(*l*) Qui Patrum traditionibus bellum indicunt, ut Dallæus, Barbeyrac, Clericus, Buddeus, alii, in priorum Seculorum Scriptoribus adnotant absurda Platonicæ Philosophiæ, assertum angelorum cum mulieribus concubitum, regnum Milenariorum, erroresque hujuscemodi, idque ad illorum elevandam auctoritatem; sed perperam; neque enim in quæstiunculis, in quibus discrepant, sed in doctrina, cui Catholici dogmatis fundamenta nituntur, eorum consensionem plurimum valere affirmamus. Lege Canum lib. 7. de Locis Theologicis.

(*m*) Episcopum tamen ac Præsulem dixit Jacobus Gaddius tom. 1. pagina 128. & Christianus Lupus Differt. Procœmiali in Canones Nicænos cap. 10. tradit, antiquam fuisse Alexandrinæ Ecclesiæ consuetudinem, abrogatam tamen ab Heracla Patriarcha, ut omnes presbyteri Episcopali consecratione decorarentur; cujus consuetudinis profert congruam quoque rationem. Sedit Heraclas III. Seculo, & Clemente e vivis sublato.

omnes, maxime Cyrillus Alexandrinus lib. 10. contra Julianum, & Eusebius lib. 2. de Præparat. Evang. nec non Hieronymus de Script. Eccles. (*n*).

Floruerunt eodem seculo viri; alii; percelebres, quos memorasse sat erit; nimirum *Abercius* Hierapolitanus, in cujus libro *de disciplina* Apostolicum fulsisse spiritum affirmat Baronius ad an. 163. n. 15. *Dionysius* Episcopus Corinthiorum martyrium perpessus circa annum 170. cujus epistolas laudat lib. 4. cap. 23. Eusebius. *Hegesippus* ex Judæo Christianus, qui obiit imperante Commodo. Ejus libri de martyrio Jacobi fratris Domini, & Simeonis Cleophæ filii, aliique de Jerosolymitana Ecclesia, & de Sectis Judaicis etiamnum extant. *Musanus* Encratitarum, ac *Modestus* Marcionitarum profligator, qui ambo vivebant an. 176. *Miltiades* rhetor, qui floruit circa annum 180. dictus a Tertulliano *Ecclesiarum Sophista*. *Asterius Urbanus* insectator Montanistarum, de quo Eusebius lib. 5. cap. 16. *Serapion* Antiochenus eorumdem hæreticorum debellator & hostis. *Theophilus* Cæsareensis, qui de die celebrandi Paschatis scribebat anno 196. *Maximus*, qui adversus Marcionem disputavit de origine mali, laudatus ab Eusebio lib. 7. Præp. Evang. cap. 22. male autem ab Huetio in Appendice *ad Origenian.* ad ætatem Constantini Magni detrusus.

Com-

(*n*) Addendi *Aquila* Ponticus appellatus a Hieronymo *proselytus & contentiosus interpres*, alicubi tamen laudatus, *Aristo Pellæus* Palæstinus auctor dissertationis *Jasonis & Papisci*, & *Pantænus*, quam Clemens Alexandrinus ejus, ut diximus, auditor appellavit *Apim Siculam*. Item *Agrippa Castor* debellator Basilidis, laudatus a Hieronymo in Catalogo, *Papias* Hierapolitanus Episcopus Chiliastarum auctor, *Philippus* Cretensis Antistes Marcionis confutator, *Apollonius* Senator Romanus, qui scripto & sanguine pro fide Christi certavit, *Polycrates* Ephesinus Quartadecimanus, *Athenogenes* clarus doctrina ac martyrio; *Rhodon* Asianus Marcionis impugnator, de quo Nicephorus post Eusebium & Hieronymum; *Heraclitus* qui Commentarios edidit in Epistolas Pauli, & *Candidus* qui scripsit in Haxametron, pariter ab Eusebio, & a S. Hieronymo laudati.

Commemorandus demum foret *Tertullianus*; sed quoniam dicitur vita functus circa annum 220. opportunius videtur de illo in historia proximi seculi pertractare.

CAPUT V.

DE ROMANIS IMPERATORIBUS, ET DE VIRIS CORONATIS MARTYRIO, ET SANCTITATE CONSPICUIS.

MUlpius *Trajanus*, qui anno Chr. 98. successit Nervæ, ineunte secundo Seculo moderabatur imperium, fato functus in Urbe Ciliciæ Salinunte, *Q. Nigro & Vipsanio Aproniano Coss.* anno 117. die 10. Augusti. Tertiam excitavit in Christianos persecutionem anno 107. & anilis est fabula, illius animam precibus S. Gregorii Magni fuisse ab inferis liberatam. (o) In ea persecutione affixus cruci *Simeon* Jerosolymorum Episcopus citato anno 107. ætatis suæ, 120. De Ignatio diximus præced. cap. Combustæ Antiochiæ mulieres quinque, earumque cineres permixtæ metallis, ex quibus conflati fuerunt in thermarum usum lebetes. Passi tum *Cæsarius* diaconus, & *Julianus* presbyter Tarracinæ, in Portu Romano *Hyacinthus*, Heliopoli *Eudocia*, Edessæ Episcopus *Barsimæus*, ac *Sarbelius*, & *Barbea* ejus so-

(o) Tametsi anno 102. Plinio in Bithynia Proconsuli Trajanus edixerit, Christianos non esse inquirendos, jussit tamen accusatos puniri, quod hostibus magnam præbuit occasionem nocendi.

soror, Romæ *Victorinus* Episcopus Amiterni, & *Romulus* aulæ ipsius Trajani præfectus (p),

Post Trajanum indeptus imperium *Ælius Hadrianus*, Hispanus genere, opera Plotinæ uxoris ejusdem Cæsaris, quæ illius capta erat amore, principis adoptionem mentitus, rempublicamque rexit usque ad annum 138. quo hydrope, & sanguinis effusione tabescens obiit apud Bajas Campaniæ oppidum 6. Idus Julias, *Camerino & Magno Coss.* & ejus cineres urna aurea reconditi sunt in Urbe ad pontem Ælium. (q) Quamvis autem sub imperio Hadriani persecutio aliquantulum remitteretur, perpessi tamen martyrium sunt prælaudati Romani Pontifices *Evaristus*, & *Alexander*, (r) *Justinus* & *Publius*.

(p) Obierunt circa hæc tempora *Titus* discipulus Pauli & *Marcus* adolescens sub Antonino; *Alexander* item martyr, quorum Inscriptiones profert in Itinere Italico Cl. Mabil. Ionius. *Innumeros cineres Sanctorum* celebrat hymno XI. περὶ στεφ. ad Valerianum Prudentius: ac plures refellunt Dodwellum adstruentem differt. XI. Cyprianica Martyrum paucitatem. Imperante Trajano Barchochebas dux Judæorum, qui se Messiam esse jactabat, exquisitis suppliciis plurimos Christianos necavit. Inter Martyres recensent quoque Martyrologia *Antistium* Macedonem, *Phocam* Episcopum Synopis in Ponto, *Maronem* sociosque, *Eustachium* cum *Theopista* conjuge ac liberis, *Eutropium* Episcopum Xanthi ceterosque sub Trajano interfectos.

(q) Hadrianum instante morte fecisse Spartianus inquit hosce versus:

Animula, vagula, blandula,
Hospes comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis jocos?

Paraverat sibi tumulum ex pario lapide, quoniam Mausoleum Augusti oppletum erat. Ubi moles illa Hadriani, extat modo arx S. Angeli.

(r) *Alexandrum*, cum duobus presbyteris *Eventio* & *Theodulo* passum sub Aureliano, Acta quædam testantur. Intelli-

ge

lius, Athenienſis Epiſcopus, *Marius* dux militum, *Fauſtinus* presbyter, & *Jovita* diaconus, *Sabina* nobiliſſima matrona Romana a *Seraphia* virgine Chriſtianæ fidei inſtituta præceptis, *Symphoroſa* cum ſeptem filiis, & *Getulio* viro, atque *Amantio* fratre, ipſius Hadriani tribunis, aliique plurimi: quorum nomina in libro vitæ inveniuntur deſcripta.

Adoptaverat Hadrianus *Antoninum Pium* filium Annii Veri fratris Sabinæ uxoris ſuæ, atque is extincto imperatori ſucceſſit; imperavitque ultra annos 22. abreptus placida morte ſomno ſimillima anno 161. die 7. Martii, *Coſſ. M. Aurel. Antonino III.* & *L. Ælio Commodo* (*s*). A Cæde Chriſtianorum penitus Antoninum non abſtinuiſſe, evincitur ex inſcriptione Alexandri Mart. reperta in Cœmeterio Calliſti, & ex Actis *S. Felicitatis*, & ſeptem filiorum, quos nolentes idolis ſacrificare vario pœnarum genere affecit.

Sed crudelius ſæviit Gentilium furor, imperium moderante *M. Aurelio Antonino Vero*. Is, qui Pii gener erat, vir nempe Valeriæ Fauſtinæ ejus filiæ, principatum exercuit usque ad annum 180. quo anno interiit apud Vindobonam, nunc Viennam Auſtriæ, 16. die Martii, *Fulvio Bruttio II.* & *Quintilio Candiano Coſſ.* Exorta hoc Cæſare IV. Eccleſiæ Perſecutio anno 162. in qua ſepeliendis martyribus. alendisque pauperibus pietatem exercuere *Paſtor* presbyter R. E., & *Pudentiana* atque *Praxedes* Virgines. Præter Juſtinum Romanosque Pontifices Pium,

---

lige Aurelianum Comitem & Judicem, non *Aurelianum Imperatorem*, ut legitur in quibusdam exemplaribus Uſuardi Paſſus circa hæc tempora *Oneſimus* Pauli diſcipulus.

(*s*) *Antonius Pius* ab anno 138. uſque ad annum 161. tenuit imperium, eique ſuffectus *M. Aurelius Antoninus Verus*, qui imperavit uſque ad annum 180. Interea tamen ab anno 161. uſque ad annum 169. rempublicam adminiſtravit etiam *Lucius Verus*, quem M. Aurelius adſcivit in conſortium imperii. Primum duorum ſimul imperantium exemplum.

Pium, Anicetum & Soterem superius laudatos martyrii palmam sub M. Aurelio consecuti fuerunt circa an. 167. duodecim Philadelphienses, Smyrnæ *Pionius*, Pergami *Parpus*, *Papulus*, & *Agathonica*, Martyres Lugdunenses 48. anno 177. quorum cineres projectos in Rhodanum scribit Augustinus in lib. *de cura gerenda pro mortuis* num. 8., Augustoduni *Symphorianus*, *Hermias* in Ponto, Antinæ *Julianus Pontianus* Spoleti, in Sardinia *Potitus*, Lugduni *Epipodius* & *Alexander*, Apameæ in Phrygia *Alexander* alter & *Cajus*, Cabilone *Marcellus*, Trinurtii *Valerianus*, Sidoteci *Andochius*, *Thirsius*, & *Felix*, Mediolani *Gervasius* & *Protasius*, Vesuntii *Ferreolus* presbyter cum *Ferrutio* diacono, Valentiæ Allobrogum *Felix* presbyter cum diaconis *Fortunato* & *Achilleo*, Divionone *Benignus*, Sagaris *Laodiceæ*, Heraclææ *Glyceria:* quos ex ingenti Martyrum numero sufficiat commemorasse (*t*). M. Aurelio cum Quadis ultra Danubium bellum gerente, & siti premente exercitum, Christianorum militum precibus e cœlo prodigiosum cecidisse imbrem, & hostes fulminibus in fugam versos, Eusebius lib. 5. cap. 5. aliique Scriptores posterorum memoriæ tradiderunt. (*u*)

Regnavit post M. Aurelium *L. Aurel. Commodus* ejus filius, Marciæ concubinæ insidiis præsentissimo hausto veneno, dum illud evomeret, a Narcisso palæstrita suffocatus pridie Cal. Januarias anno

(*t*) Apud Eusebium lib. 4. cap. 1. inter Martyres Lugdunenses commemorantur *Maturus* neophytus. *Attalus* Pergamenus, *Blandina*, & *Bibliades Ponticus* adolescens, & *Photinus* Episcopus major nonagenario. Ex illo capite constat, Gentiles objecisse Christianis Thyesteas cœnas, & incestos Oedipi concubitus.

(*u*) Hanc *Pluviam* Gentiles diis suis referebant acceptam, ut constat ex nummis, & ex sculpta in columna Antonini imagine *Jovis Pluvii*. Vide citato loco Eusebium, & adnotationes Valesii. Ven. Baronius plura ad annum 176. De nomine legionis *fulmineæ*, *seu fulminatricis*, quo designantur illi milites, complures adversantur Eusebio.

no 192. ipso *Augusto VII.* & *P. Helvio Pertinace II. Coss.* (*x*) Tranquillior fuit sub hoc principe status Ecclesiæ; tametsi anno 185. juxta Ruinartium capitali sententia damnatus sit *Apollonius* ordinis Senatorii, a proprio servo delatus Perenni Præfecto.

Arripuit extincto Commodo Imperium *P. Helvius Pertinax* ex civitate Alba Pompeja in Gallia Cisalpina ad Tanarum sita: sed Pertinace interfecto, cum vix dies 88. imperasset, anno 193. die 28. Martii, Imperium a Prætorianis pecuniæ pollicitatione, armorumque vi occupavit *M. Didius Severus Julianus Mediolanensis:* qui tamen promissorum immemor a gregario milite trucidatus fuit eodem anno 139. Kalendis Junii, *Q. Sosio*, & *Julio Erutio Coss.*

Renunciatus ab ea die Imperator *L. Septimus Severus Pertinax*, interim Pescennio Nigro in Syria & Clodio Albino in Britannia Imperii sibi arrogantibus auctoritatem: quorum unum apud Antiochiam proximo anno 194, Severus superavit; alterum vero sibi conciliare studuit oblata Cæsaris dignita-

---

(*x*) *Commodus* uxorem habuit Crispinam Quinctilii filiam, concubinas autem CCC. Appellatus fuit *Cæsar* anno Ch. 166. & anno proximo *Augustus*. Sororem Lucillam occidit, quæstionem exercente Perenne. Perstringit illius vita Lampridius. Spreviſſe prudentum consilia scribit Herodianus. Christianis peperciſſe fertur ob preces concubinæ suæ Martiæ. Latam ab eo legem adversus delatores Christianorum, punitumque fractis cruribus accusatorem Apollonii Martyris, tradit Eusebius lib. 5. cap. 21. Ceterum de M. Aur. Antonino, cognomento Philosopho, Commodi patre, ita Ausonius:

Successore suo moriens, sed Principe pravo,
Hoc solo patriæ, quod genuit, nocuit.

Julius Capitolinus Commodum ex illegitimo concubitu natum putat. Fuit enim Faustina ejus mater adulteriis infamis.

gnitate. (y) Movit Severus adversus Ecclesiam Persecutionem V. de qua proximo Seculo tertio.

CAPUT VI.

QUÆNAM SECUNDO VERTENTE SECULO FUERIT ECCLESIÆ DOCTRINA, AC DISCIPLINA.

Eadem semper, & invariabilis fuit doctrina Ecclesiæ, sed pro temporum opportunitate juxta Apostolorum traditiones majori in lumine collocata. Ipsæ traditiones, quas semper negarunt heterodoxi, a Romana Sede repetendas lib. 3. cap. 2, & 3. demonstrat adversus Valentinianos S. Irenæus. Is, aliique Patres in dogmate Trinitatis convenere; atque de iis evulsi & eradicati sunt cuncti recentiorum hæreticorum scrupuli. Nævi quidam in P. P. scriptis notati labefactare nequeunt fidem communi consensu firmatam. Celebrandum Pascha die Dominico, non luna 14. Statuta Pontificum, & hujus Seculi Concilia demonstrant. Adventus Polycarpi ab Asiaticis pro ea quæstione missi Romam ad Anicetum, & legatio Irenæi ad Eleutherum nomine Martyrum Lugdunensium, docent servandam esse cum

---

(y) Severus parentes habuit Marcum Getam, & Fulviam Piam. Cognominatus est *Pertinax* in honorem Helvii Pertinacis trucidati a Didio Juliano. Ante imperium militari forte obtinuerat Quæsturam Boeticam, tum Sardiniam, postea legationem Proconsulis Africæ, deinde creatus Tribunus plebis, & Lugdunensis provinciæ Legatus. Salutatus est imperator apud Carnutum a Legionibus Germanicis. Lege Ælium Spartianum. Dicitur solus ex Afris ad Imperium evectus, unde Ausonius:

Punica origo illi, sed qui virtute probaret.
Non obstare locum, cum valet ingenium.

cum Ecclesia Romana unionem, & majores causas ad Sedem Apostolicam referendas. Martyrum cultus, Sanctorum gloria, Parœciarum institutio, & Ecclesiastica hierarchia habent ex historia secundi seculi locupletissima testimonia. Sanctificatio item diei Solis, & fidelium conventus ad agendam Synaxim eodem seculo enituit.

Quantum attinet ad disciplinam, didicimus ex Justino collectis aliqua in domo tanquam in Templo fidelibus, illic Commentaria Apostolorum cum aliis Divinis libris fuisse lecta, habitum Sacerdotis sermonem, oblatam deinde Eucharistiam. Hæc etiam laicis sub utraque specie fuit administrata, & lactentibus ori infusa Divini poculi pars exigua. Sævientibus persecutionibus data in laicorum manus ad proprios ferenda lares. Baptizandi ter in aquam in Trinitatis nomine nudi immergebantur. Adhibitas ceremonias Exorcismi, insufflationis, inunctionis, & impositionis manuum Sacerdotis baptismum administrantis, scripta Patrum declarant. Mel quoque, & lac degustandum tradebatur baptizatis ad spiritualem nativitatem, morumque simplicitatem & innocentiam significandam. Fideles diebus Dominicis stantes orabant, ac ut plurimum facie ad Orientem conversa. (z)

APPEN-

(z) Templa secundo Seculo peculiaribus in locis constructa. Talia fuere distributi ab Evaristo Tituli. Inter istos domus Euprepiæ. Dicata a Pio successore Hygini Ecclesia in Thermis Novati. Enituit illic Praxedis virginis pietas. Est eadem sacra ædes perantiquus *Pastoris* titulus. Reliquos alibi descripsimus. Septem Diaconis ad curam pauperum gerendam commissæ Urbis regiones; qui propterea appellati sunt *Regionarii*. Ex Ignatii Martyris epistolis accepimus ratam non fuisse sine Episcopo Eucharistiam, hujusque oblationem. Baptismum item ab illo, aut ejus saltem nutu, administrandum. Inde & *Hierarchiam*, ordinesque sacrorum ministrorum didicimus, & Episcoporum præsertim a presbyteris distinctionem.

APPENDIX

DE EXTERNIS REBUS.

Anno 101. *Trajanus* Decebalum Dacorum Regem bello vicit. 102. Dacia in provinciam redacta: devicti Arabes: impositus pons Danubio. 103. Actus a Trajano de Dacis triumphus. 104. Alimenta ab Imperatore 5000. pueris Italis assignata. 105. Ædificatus a Trajano portus Anconæ. 106. Secundo Dacico bello *Decebalus* sibi mortem conscivit. 107. Aque Martiæ ductus 23. milliarium spatio refecti. 108. *Adrianus* Pannoniæ Pro-Prætor repressit Sarmatas. 109. Instaurata *Via Appia* a porta urbis Capena ad Capuam usque, atque inde Brundusium. 110. Dirutæ terræmotu tres Galatiæ urbes, ac Pantheon fulmine attactum. 111. *Trajanus* Romæ magnificas extruxit Bibliothecas. 112. Parthis Armeniisque bellum indictum. 113. Erecta in Foro, & dicata Trajano Columna. 114. Assyria venit in potestatem P. R. Trajani Forum, & Basilica Ulpia Romæ dicantur. (*a*) 115. Ingenti terræmotu quassata est Antiochia: Judæi Cyrenenses irruerunt in arma, & innumeros Romanos Græcosque occiderunt, eorumque viscera depasti sunt. 116. In eosdem Judæos Ægyptum vastantes missus a Trajano *Marcius Turbo* ingentem prostravit illorum numerum. 117. *Trajanus* Ctesiphontem cepit, ad Oceanum pervenit, Syriam adiit, in Cilicia decessit. 118. Remisit *Hadrianus*, crematis tabulis, Judæorum tributa. 119. *Trajanus* inter Deos relatus: Jerosolyma dicta est *Ælia*: Judæi in pago Terebintho equorum pretio venumdati. 120. *Hadrianus* in Sarmatas movit: eversæ terræmotu Nicomedia urbesque finitimæ. 121. *Circum*

(*a*) *Coss. Hasta*, & *Vopisco*, id est, anno 114. Judæi deficientes a Trajano eodem proximoque anno occiderunt in Ægypto hominum ducenta millia; atque in Cypro insula ducenta quadraginta millia itidem trucidarunt; ab hoc autem tempore capitale illis fuit illuc appellere.

rum Romanum Hadrianus refecit. 122. Barbaros a Romanis muro 80. M. divisit. 123. Ædem Augusti Tarracone restituit. 124. Sacra Eleusina celebravit Athenis. 125. *Serenus Granius* Proconsul Asiæ iniquum credidit Christianos nullo objecto crimine occidi. 126. Transmisit *Hadrianus* in Africam. 127. *Jovi Olympio* Ædem, sibique Aram Athenis Hadrianus dicavit. 128. *Sabinam* dicit Augustam: cum Rege Parthorum Cosrohe iniit amicitiam. 129. Terræ motu Nicopolis & Cæsarea corruerunt. 130. *Pelusium* veniens Imperator Pompeji tumulum magnificentissime ornavit. 131. Mergitur *Antinous*, quem Hadrianus perdite amabat, in Nilo; refertur inter Deos, atque ex ejus nomine *Antinoia* civitas conditur. 132. Athenienſem miri operis bibliothecam *Hadrianus* extruxit, & edidit agonem. 133. Missus *Julius Severus* contra Judæos Palæstinam depopulantes. 134. Æquatæ solo 50. Judæorum arces; & 980. vici ferro & igne vastati. 135. Judæis omnibus agro Hierosolymitano interdictum. *(c)* 136. Alani contra Romanos concitati repressi sunt a *Flavio Arriano*. 137. Absolvit *Phlegon* Hadriani libertus Opus *de Olympiadibus*. 138. Obiit Calendis Januarii *Ælius Verus* ab Hadriano creatus Cæsar, & adoptatus. 139. *M. Aurelius* ab Antonino Pio renunciatus est Cæsar. 140. Obiit Antonini uxor *Faustina*. 141. *Marcion* advenit Romam. 145. Uno partu mulier enixa est quinque liberos. 158. Restituit *Antoninus Pius*

ædem

(c) Ad annum imperii Hadriani 18. refert Eusebius lib. 4. cap. 6. edictum, ne Judæi in regionem circa Hierosolymam sitam auderent pedem inferre, citatque Aristonem Pellæum. Auctor seditionis Judaicæ debitas pœnas persolvit. Fuit is *Barchochebas*, quod nomen stellam significat, commemoratus cap. 5. in Notis ad Trajanum. Hunc ad fucum Judæis faciendum stipulam in ore accensam anhelitu ventilasse, ut flammas emovere videretur, scribit S. Hieronymus, II. adversus Rufinum Apologia.

ædem Augusti. 161. Secuta est Antonini mortem ejus apotheosis. 162. Exundavit Tiber, & Parthi cæsis Romanorum copiis Syriam vastarunt, & occuparunt Armeniam. 163. In Armeniam *Statius Priscus* irrupit. 164. Parthi ultra Euphratem pelluntur, & *Vologeses* illorum Rex a *Cassio* vincitur. 165. *Peregrinus Cynicus*, si fides habenda est Luciano, sese in rogum injecit. 166. Medos *Marcius Verus* invasit. 167. *M. Aurelius*, & *L. Verus* triumpharunt de Parthis. 168. *Avidius Cassius* vicit Bucolicos. Pestilentia multas vexavit provincias. 169. Germania Romanis subjicitur. 170. *Lucius Verus* extinguitur apoplexia. 172. Marcomanni transitu Danubii a M. Aurelio delentur. 173. In deditionem recepti, atque illorum plurimi in Italiam translati sunt. 174. Insignis de Quadis reportata victoria. 175. Arripuit *Avidius Cassius* tyrannidem: togam virilem induit *Commodus*. 176. Periit ex podagra in vico Hagale ad radices montis Tauri *Faustina* junior, conjux M. Aurelii, sed adulteriis infamis. 177. *Commodus* Crispinam duxit uxorem. 178. De Quadis & Hermaduris relata Victoria. 179. A *Paterno* barbari superantur. 180. Sirmii *M. Aurelius Antoninus* decessit. 181. Triumphavit *Commodus* de Germanis. 182. Alexandriæ *Serapidis* templum incenditur. 183. Daci & Germani recusantes *Commodi* Imperium bello impetuntur. 184. Britanni rebelles a ducibus Romanorum devicti. 185. In *Commodum* cum aliis conspiravit soror Lucilla. 187. Idem *Commodus* Anubim colit, & sacra Isidis celebrat. 189. Pestis in urbem Romam, & in Italiam desæviit. 190. Fames grassatur Romæ; & evitatis insidiis *Commodus* Cybeli sacrificat. 191. Palatium, Ædes Vestæ, urbisque pars maxima incenditur. 192. *Marciæ* pellicis, & *Electi* cubicularii Commodus interficitur. 193. *Pescennius Niger* a Syriacis Legionibus dicitur Imperator. 195. *A Severo* Nisibis, urbesque aliæ captæ fuerunt, vastata Arabia, Parthi, & Adiabenæ devicti. 197. Byzantini ad deditionem compulsi. 198. *Albinus in Galliis* a Severo expugnatur. 199. Is ad bellum Parthicum proficiscitur. 200. Ca-

ptæ

ptæ a Severo Babylonia, Seleucia, Cteſiphon, ac tota Parthiæ provincia.

Celebres ſecundo Seculo humana ſapientia fuerunt *Plutarchus* Cheronenſis ſacerdos Pythii Apollinis, qui Ethica, Hiſtorica, & Politica limatiſſimo ſtylo conſcripſit. Dio *Chryſoſtomus* orator, quem Syneſius Aquilam & Cygnum appellat. *Aulus Gellius* Grammaticus Noctium Atticarum candidus elucubrator. *Cornelius Tacitus*, cujus dictio in Libris Hiſtoriarum uberior, in Annalibus preſſior habetur. *Arrianus* Nicomedienſis, Epicteti diſcipulus, philoſophus, orator, hiſtoricus, dictus *Novus Xenophon*. *C. Suetonius Tranquillus*, cujus XII. Cæſarum Vitæ plus habent nervorum, quam corporis. *Appianus Alexandrinus* ſcriptor hiſtoriæ utilioris viris militaribus, quam civilibus. *Claudius Ælianus* Prænestinus Attica præditus eloquentia. *Pauſanias* Cappadox Græciæ antiquitates erudite, licet minus facunde, decem libris complexus. *Claudius Ptolomæus* Peluſienſis in Geographicis, & Aſtrologicis ſapientiſſimus. (*d*) *Diogenes Laertius* Cilix vete-

(*d*) Mittimus *Appollodorum*, *Sextum Julium Frontinum*, *Rab. Eliezer* & *Rab. Adæ Babylonium*. De *Claudio Ptolomæo* Alanus in Anti-Claudiano

Divitis ingenii vena Ptolomæus inundans
Devectus ſuperas curru rationis in arces,
Colligit aſtrorum numeros, loca, tempora, curſus.

Perveniſſe traditur ad tempora Marci Antonini, qui inauguratus eſt Imperator anno Chr. 161. *Epictetus* Hierapolitanus Philoſophus Stoicus, cujus *Enchiridion* Græce ſcriptum Latinitate donavit Angelus Politianus; ac tantæ admirationis, ut ejusdem Epicteti lucerna fictilis venum ierit tribus drachmarum millibus. Exiſtimo tamen fuiſſe aliquantulum ſeniorem. Romæ enim ſervivit Epaphrodito familiari Neronis, & imperante Domitiano rediit in Phrygiam. Nero autem ſeipſum interemit anno Ch. 26. qua ætate cum Epictetus adul-

tus

rum Philoſophorum ſedulus indagator. *Juſtinus* Hiſtoricus *Troji Pompeji* præceptoris ſui abbreviator nitidus, ac diſertus. *Claudius Galenus* Pergamenſis alterum ab Hippocrate decus Medicorum. *Athenæus* ſcriptor Δειπνοσοφιςῶν, id eſt *Sermonum Convivalium*, dictus ab aliquibus *Varro Græcorum*. *Hermogenes* Tarenſis rhetor, *Antiochus ſophiſta* vocatus. *Lucius Apulejus* Platonicus, de quo Vives, *Apulejus in Aſino plane rudit*. *Lucianus* Samoſatenſis Atheus, qui, ut ajebat Lactantius, nec diis, nec hominibus pepercit. (e) *Julius Pollux* Naucratita laudatus ob varietatem & copiam verborum, *Celſus Epicureus*, qui fidem, moresque Chriſtianorum Opere inſcripto ἀληθηλόγῳ oppugnavit. *Phlegontis* liberti Hadriani meminimus paulo ſupra. *Atticus*, Platonicus, *Herodianus* Græcus Hiſtoricus, *Oppianus* Cilix, qui carmine ſcripſit de Piſcibus, *Papinianus* cognominatus Aſylum Juris, *Maximus* Tyrius philoſophus, &c. (f).

TER-

---

tus fuerit, videtur mortem obiiſſe, antequam M. Aur. Antoninus auſpicaretur imperium. Accedit, quod ſub Hadriano, qui an. Chr. 117. ſucceſſit Trajano, floruit Flavius Arrianus Nicomedienſis, Philoſophus, Hiſtoricus, & Jureconſultus percelebris, alter *Xenophon* dictus, & qui Epicteti fuerat diſcipulus & auditor. Non abs re erit utriusque hoc in loco meminiſſe, licet Epictetum commemoraverimus in appendice I. Seculi.

(e) *Lucianus* & *Celſus* circa idem tempus dicuntur vixiſſe, & illum quidam referunt ad Trajani ætatem, quidam ad Marci Aurelii, & ad Commodi imperium. Lucianum diſcerptum a canibus tradit Suidas.

(f) Hujus ſunt generis *Plinius* Junior, qui Panegyricum dixit Trajano, *L. Florus* brevis, & expolitus Hiſtoricus, *Solinus* Polyhiſtor. *Dionyſius* Mileſius Hiſtoriographus, *Juventius* & *Julius Celſi* JCC. *Philoſtratus* ſcriptor Vitæ Apollonii Thyanei vaferrimi hominis, & Sophiſtarum, qui uſque tad tempora Severi Imperatoris vixerunt. Spartianus in Adriano commemorat J. CC. quibus is in Cauſis dijudicandis utebatur; præter Julium Celſum, *Meracium Priſcum*, *Domitium Labeonem*, & *Salvium Julianum*.

TERTIUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

ROMANI ENUMERANTUR PONTIFICES.

Præfuerunt Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ tertio Seculo *Zephyrinus*, *Calliſtus*, *Urbanus*, *Pontianus*, *Antherus*, *Fabianus*, *Cornelius*, *Lucius*, *Stephanus*, *Sixtus II. Dionyſius*, *Felix*, *Eutychianus*, & *Cajus*: quos omnes inter Sanctos veneratur Eccleſia.

XVI. Zephyrinus, qui Pontificatum inierat an. 201. deceſſit VIII. Kal. Sept. anno 219. juxta Baronium, cujus Chronologia aberrat biennio, 221. Defeciſſe ad Montaniſtas videtur innuere c. 1. adv. Praxeam Tertullianus, ſed hujus libro *de Pudicitia* calumnia iſta retunditur.

XVII. Suffectus ei eſt *S. Calliſtus* 1. cujus Pontificatus ab anno 219. uſque ad annum 224. protenditur. Eo anno poſt ædificatam Baſilicam Transtiberinam, & amplum in via Appia cœmeterium *Coſſ. Claudio Juliano II.* & *Criſpino* in puteum demerſus eſt pridie Id. Octobris, & ingeſtis ruderibus ſuffocatus. *(a)*

(a) *Calliſtum* ad ſacrum miniſterium vaſa argentea conflaſſe tradit Ven. Baronius ad an. 223. Sacro regeneravit baptiſma-

te

XVIII. Tenuit deinde Pontificatum *S. Urbanus* filius Pontiani Romani civis usque ad annum 231. quo Martyrio coronatus est die 25. Maji, *Claudio Pompejano* & *Feliciano* gerentibus Consulatum.

XIX. Creatus postea *S. Pontianus* Calpurnii filius, relegatus ab Alexandro Severo in Sardiniam, & sub Maximino fustibus cæsus die 14. Martii anno 235. *Severo*, & *Quintiano Coss.*

XX. Ordinatus in ejus locum *Antherus*, qui nondum expleto Pontificatus anno, a Maximo P. V. III. Nonas Januarias occiditur in tertio *Jul. Maximini A. Consulatu*, nempe an. 236. *(c)*

XXI. Post Antherum pontificatum gessit *S. Fabianus* Romanus ad annum usque 250. electus, ut ajunt, columba super caput ejus desuper advolante, martyrioque coronatus in persecutione Decii, die 20. Januarii, ipso *Decio II.* & *Grato Coss. (c)*

XXII.

---

te SS. Cæciliam, Valerianum, ac Tiburtium, de quibus infra cap. 5. Basilicam Transtiberinam dicatam Virgini ab eodem Callisto Platina, Pagius, aliique afferunt. Idem Callistus Romanus fuit, & filius Domitii. Ejus decretalis, quæ extat I. Conciliorum Volumine, & aliæ usque ad Siricium creduntur passim supposititicæ.

(b) Quidam hoc in loco intrudunt Pontificem *Cyriathum* nomine, de quo in Actis SS. Ursulæ, & Sociarum. atentur omnes eruditi hunc Pontificatum esse fictitium, Actorumque Ursulæ fidem labascere. Egi de his in dissertatione de SS. Pontiano, & Anthero. *Antherus* genere Græcus fuit, diligens Actorum Martyrum collector, unde & habetur Martyrologii primus auctor.

(c) *Fabianus* damnavit *Privatum* Lambesitanum Episcopum etiam in Concilio 90. Episcoporum in Africa condemnatum. Ignota *Privati* hæresis. Missos a Fabiano in Gallias Apostolicos viros scribit S. Gregorius Turonensis lib. I. Hist. Eccl. Celebratur. Idem Fabianus laudibus S. Cypriani ep. 59. ad Corn.

XXII. Gubernavit deinde Ecclesiam *S. Cornelius*, schisma constante Novatiano, & exortis circa lapsos controversiis, coronatus & ipse Martyrio secundo Pontificatus sui anno, Æræ V. 252. decimo octavo Kal. Octobris, in consulatu *Galli*, & *Volusiani*.

XXIII. Sedit deinde *Lucius* Porphyrii Romani filius, exiguo & ipso tempore; cum martyrium subierit in 2. Consulatu *Volusiani*, id est, proximo anno 253.

XXIV. Lucio successit *Stephanus* patria Romanus, traditionis de non repetendo baptismate assertor, & vindex, (*d*) & fidei, quam effuso sanguine confirmavit, propugnator illustris. Obiit 4. Nonas Augusti, *Valeriano IV.* & *Gallieno III. Coss.* nempe anno 257.

XXV. Episcopatum deinde gessit *Sixtus* II. Athenienſis uno tantum anno, animadversus in cœmeterio, ut inquit S. Cyprianus, non, ut ait Prudentius, affixus cruci, VIII. Idus Augusti, anno 258. *Coss. Tusco* & *Basso*.

XXVI. Ad Pontificatum evectus est post Sixtum *Dionysius* Presbyter Rom. E. a SS. Basilio, & Dionysio Alexandrino summopere commendatus: qui migravit ad Dominum die 26. Decembris anno 271. in 2. *Aureliani* A. consulatu. (*e*)

(*d*) Fuere, qui controversias de hæreticorum baptismate inter Stephanum & Cyprianum, hujusque Concilia, & epistolas de eodem baptismate pertractantes rejecerunt inter apocrypha. Sed vide, quæ scripsimus lib. *de Th. disc. cap.* 13. Lege & tres Joannis Sbaraleæ contra Missorium dissertationes, necnon secundam Epistolam Eusebii Philalethis ad Franciscum Morenas.

(*e*) Quidam cum Antonio Pagio censent, Dionysium decessisse *Coss. Claudio II.* & *Paterno*, id est, anno 269. Petavius vero

XXVII. In Petri cathedra sedit post Dionysium *S. Felix I.* qui & martyr decessit III. Kal. Jun. anno 276. consulatum *Tacito* & *Æmiliano* gerentibus.

XXVIII. Romanam deinde Ecclesiam gubernavit *Eutichianus* Lunensis, qui suis manibus sepelivit martyres plus quam 342. Sedit autem anno 8. & decessit die 7. decembris, an. 283. in consul. *Caji. A. II.* & *Carini.*

XXIX. Cajus Dalmata, & Salonitanus ad Episcopatum Romanum post Eutychianum evectus, sanctissime illum administravit usque ad VI. Consulatum *Diocletiani*, id est, annum 296. coronatus X. Kal. Majas. Sedit postea *Marcellinus*, de quo in Seculo proximo.

PATRIARCHARUM NOMINA.

Tertio Seculo præfuerunt Alexandrinæ Ecclesiæ post Demetrium *Heraclas*, *Dionysius*, *Maximus*, *Theonas*: *Antiochenæ* post Serapionem *Asclepiades*, *Philetus*, *Zebenus*, *Babylas*, *Fabius*, *Demetrianus*, *Paulus Samosatenus*. *S. Domnus*, *Timotheus*, & *S. Cyrillus*: Jerosolymitanæ post Narcissum *Dio*, *Gordius*, *Alexander*, *Maxabanus*, *Hymenæus*, & *Zabdas*.

CA-

---

vero ait vita functum Coss. *Antiochiano* & *Orsite*, anno nimirum 270. Pagi autem hæc est Chronologia: *Zephyrinus* creatus fuit Pontifex anno 197. *Callistus* 217. *Urbanus* 222. *Pontianus* 230. Antherus 235. Fabianus 236. *Cornelius* 251. Lucius 250. *Stephanus* 253. *Sixtus II.* 257. *Dionysius* 259. *Felix I.* 26. *Eutychianus* 273. *Cajus* 283. *Marcellinus* 296.

CAPUT II.

TERTII SECULI RECENSENTUR CONCILIA.

Occurrunt primo Synodi Rebaptizantium, nullius in Ecclesia auctoritatis. Quarum prior est Agrippini *Carthaginensis*, celebrata circa annum 215. Aliæ indictæ fuere ab Agrippini successore Cypriano, una anno 255. altera anno 256. & alia rursus eodem anno frequentior ac plenior. Eodem anno, sive, ut sentit Baronius, 258. coactæ item fuerunt Synodi *Iconii*, & *Synnadæ*, quibus omnibus rejicitur latum ab hæreticis baptisma.

Dixi eas Synodos nullius auctoritatis; quoniam valere hæreticorum baptismum decrevit Stephanus Papa, & ea quæstio finita postea fuit, ut inquit Augustinus, *Plenario Concilio*, quod alii putant fuisse Nicænum, alii autem Arelatense.

In causa vero lapsorum, & contra libellaticos Synodis Patrum saluberrima edita fuerunt decreta: *Carthagine* sub Cypriano an. 251. & 252. ac rursus 254. in causa Basilidis Legionensis, & Martialis Asturicensis Episcopi contendentium, quamvis Libellatici forent, propriis sedibus restituti. Actum pariter de recipiendis lapsis sub *Cornelio* an. 251. coacto Romæ 60. Episcoporum Concilio.

Adversus hæreses ea, quæ sequuntur, indicta sunt. Contra Origenem anno 230. *Alexandrinum* sub Demetrio. (*f*) Adversus Privatum anno 240. *Lambesitanum* in Africa. Adversus Beryllum *Bo-*

(*f*) Origenes ea in Synodo damnatus est, non propter hæresim, sed quoniam ordinatus fuerat in aliena diœcesi, & genitalibus abscisis. Vide differt. 4. in III. Seculum.

ſtrenum in Arabia anno 244. Adverſus Noetum *Epheſinum* an. 255. Duobus *Antiochenis* 265. & 270. damnatus Paulus Samoſatenus. *(g)*

CAPUT III.

HÆRETICI, ET HÆRETICORUM COMMENTA.

Praxeas a Phrygia, quem circa annum 209. refutavit Tertullianus, unus a Cataphrygibus, ſeu Montaniſtis, *Patripaſſianorum* ſectam inſtituit, eorum ſcilicet, qui ajebant, Patrem deſcendiſſe in utero Virginis, & crucis ſubiiſſe patibulum. Praxeam ſecuti ſunt *Beryllus*, & *Sabellius;* qui SS. Trinitatis perſonas tria duntaxat eſſe nomina putaverunt.

Beryllus Boſtrorum in Arabia Epiſcopus, auſus aſſerere Dominum, antequam inter homines verſaretur, non ſubſtitiſſe in propriæ differentia Perſonæ, ut inquit Euſebius lib. 5. c. 33. hæreſim diſſeminabat an. 230. *Noetus* Epheſinus, quamvis Theodoretus illum vocet Smyrnenſem, circa annum 245. veſtigia Berylli calcavit, & Chriſtum eundem eſſe cum Patre, & Spiritu ſancto dogmatizavit. *Sabellius* vero Ptolemaide natus circa annum 256. tam pervicaciter tres Divinas Perſonas in unam hypoſtaſim, tanquam tres appellationes convenire affirmavit, ut ab ipſo Divinæ Triadis oppugnatores denominentur *Sabelliani.*

Pro-

(g) Alias Synodos contra Paulum celebratas innuit Euſebius Lib. 7. H. E. cap. 28. Poſtremam, quam conſignavimus anno 270. qui cum Pagio Dionyſii Papæ obitum figunt die 26. Decembris anni 269. ad hunc annum retrahunt, imo ad annum 266. Pearſonius.

Propugnavit Sabellianum dogma *Paulus Samosatensis* favore Zenobiæ reginæ Palmyrenorum evectus ad Episcopatum Antiochenum, & damnatus duobus Conciliis supra commemoratis. *(h)*

Vixit eodem Seculo *Novatus* presbyter Carthaginensis fautor Novatiani Antipapæ, qui circa annum 251. tradidit, lapsis post baptismum non esse impendendam absolutionem. *(i)*

Deterior ceteris videtur hæresis *Manichæorum*, exorta anno 277. Hujus auctor *Cubricus*, Persarum lingua *Manes*, Græca *Manichæus*, quasi fundens manna, vocatus. Is duo principia, post Marcionem, bonum unum, alterum malum constituit: hinc duas in homine oppositas animas, pugnam concupiscentiæ & rationis, certamen carnis & spiritus, & boni malique commixtionem in qualibet re creata adstruebat; a principe tenebrarum Vetus Testamentum, a Deo bono editum Novum opinabatur. Christum apparenter crucifixum, ejusque animam in globo solis residere putavit. Præluserunt ei *Terbinthus*, & *Scythianus*, his prædictus *Marcion*, & *Bardesanes* Syrus, atque istis Ægyptii, ac Persæ, qui *Isidem* & *Osridem*, seu *Oromasdem* & *Arimanium*, aut qualicunque appellaverint nomine, duplicem invexerunt cunctarum rerum causam, bonam, & malam. *(k)*

Fue-

(h) Paulum Samosatensem renovasse hæresim Artemonis, & Theodoti Coriarii, autumantium, Christum nudum esse hominem, affirmat Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. cap. 28. Cum summo dedecore Paulum ex Ecclesia exturbatum scribit idem Euseb. lib. 6. cap. 30.

(i) Auctores complures, præsertim Græci, Novatum cum Novatiano confundunt, decepti nominum similitudine.

(k) Apud Eusebium lib. 6. H. E. cap. 37. memoratur hæresis quædam cognominata *Arabica*, asserentium, animas hominum simul cum corporibus interire, & simul pariter resurrecturas, eamdemque hæresim refutasse, & extinxisse fertur Origenes,

Fuerunt hæretici alii nominis obscurioris: *Nepos* Ægyptius, qui Papiæ, sive Millenariorum recoxit errorem: *Valesii* sibimet, & hospitibus virilia secantes: *Angelici* cultum latriæ angelis impendentes; & *Apostolici* eos, qui utuntur uxoribus, a sua arcentes communione.

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS TERTIIS ECULI.

Præterito, ac præsenti seculo floruit *Q. Septimius Tertullianus* presbyter Carthaginensis, quem defeciſſe ad Montanistas tradunt circa an. 192. obiisse autem circa 220. Se fuisse Gentilem, & patre Centurione natum, prodidit in lib. de Spectaculis. Scriptor sententiis creber, locutione difficilis, pro Christiana religione strenue contra idololatras pugnavit: Marcionem, Praxeam, Valentinianos, & Cainianos exagitavit; sed in plura etiam lapsus est paradoxa, affirmans rationalem animam, & fortassis etiam Deum, esse sui generis corpus, angelos cum filiabus Cain incestam perpetrasse libidinem, & secundas nuptias esse tanquam stupra damnandas.

Hippo-

---

nes. *Rebaptizantes*, quorum memini superiori capite, & *Millenarios* quosdam, non Cerinthi, sed Papiæ Sectatores, quoniam errarunt, vel non explorata traditione, vel nondum expressis Ecclesiæ definitionibus, & quoniam abscissi non fuerunt a fidelium communione, non ausim hæreticos appellare. Meminit proximo cap. 38. Eusebius hæresis *Helcesaitarum*, qui integrum *Paulum* repudiabant, & ajebant, indifferentem rem esse Christum abnegare, alia comminiscentes absurda: quæ tamen hæresis simul nata & extincta est. Videntur alia dogmatizasse ab Helcesitis, de quibus superiori Seculo cap. 3. Hos recensitos ab Eusebio sub Gordiano & Julio Philippo, hoc nempe Seculo III. describit Origenes in Psalmum 82.

Hippolytus Portuensis Episcopus florebat circa annum 234. ad quem usque Chronicum suum protraxit, prout constat ex Cathedra ejus marmorea, anno 1551. reperta in Agro Verano, & asservata in Bibliotheca Vaticana. *(l)* Hujus martyrium hymno XI. περι στεφ. celebravit Aur. Prudentius.

Eadem cum Hippolyto ætate floruerunt *Minutius Felix*, *Ammonius Alexandrinus*, & *Julius Africanus*. Minutius in dialogo, quem inscripsit *Octavium*, refutavit profanorum fabulas, dictus propterea a Lactantio *idoneus veritatis assertor*: Ammonius cognomento *Sacca* edidit *de Concordia Moysis cum Jesu*, Opus elegantissimum; & Julius Africanus tradidit concisa methodo Chronographiam explanavit historiam, Susannæ, & in epistola *ad Aristidem* Salvatoris nostri Genealogiam. *(m)*

Fuit Ammonii discipulus *Origenes Adamantius*, Alexandrinus natus ex Leonide martyre: an. 203. præfectus Catechumenis instituendis, sed ob audaciam, qua se eviravit, pulsus a Demetrio Episcopo Alexandria: ordinatus presbyter Hierosolymis ab Alexandro anno 228. & post varia itinera & discrimina mortuus Tyri anno 259. ætatis suæ 69. Innumera scripsit Opera, inter quæ eminent multiplices in libros utriusque Testamenti lucubrationes, & *Tetrapla*, *Hexapla*, & *Octapla*, accuratæ scilicet Versionum divinorum librorum Complexiones. Errores

---

(l) Scripsit Canonem Paschalem, annorumque XVI. periodum incipientem ab anno I. Alexandri Severi, Christi 222. de quo Canone Viri doctissimi Ægidius Bucherius, Franciscus Blanchinius, & Jo. Dominicus Cassinus. An Hippolytus episcopus fuerit *Portus* Romani, an Ponti, an Metropolita Arabiæ, controvertitur. Quidam illum cum Hippolyto Thebano confundunt.

(m) *Serapionis*, qui scriptis revocare studuit ad frugem Dominum, qui persecutionis tempore a fide defecerat, meminit Eusebius lib. 6. H. E. cap. 12.

rores tamen docuit permultos, ut Pelagianorum ἀναμαρτησίαν, spirituum, animarumque perpetuum circulum, & post iniquorum expiationem finem gehennæ. Damnatus fuit a Theophilo Alexandrino, ab Epiphanio in Synodo Cypria, & a Vigilio in V. Oecumenica: ejusque libri decreto Gelasii declarati fuerunt apocryphi. *(n)*

Dionysius Alexandrinus Episcopus fuit auditor Origenis, obiitque anno 265. Colitur inter Sanctos a Græcis V. Non. Octob., a Latinis 15. Cal. Decembris. Laudantur ejus Epistolæ ad Fabium Antiochenum, Ammonem, & Cononem, & ad Cognominem Rom. Pontificem. Accusatus a Pentapolitanis de hæresi Sabellii naviter se ipsum purgavit.

Prætermittendi non sunt *S. Cyprianus* Episcopus Carthaginensis, & *S. Gregorius* Neocæsarienſis, cognomento Thaumaturgus. *Cyprianus* discessit quidem a sententia Stephani circa hæreticorum baptismum; sed errorem, si admisit, purgavit anno 258. falce martyrii. *(o)* In ceteris libris & Epistolis Ecclesiæ disciplinam, idolorum vanitatem, unitatem

---

(n) Claruerunt inter Origenis discipulos *Ambrosius* olim Marcionita, fidem amplexus cum *Theoctisto*, Maximino imperante: *Trypho* sacræ Scripturæ peritus, sensusque allegorici scrutator; & *Berullus*, qui fuit Episcopus Bostræ in Arabia, de quo cap. 3.

(o) Epistolas, quibus rejicitur hæreticorum baptisma, in dubium revocarunt nonnulli. Enituit ea in re Raymundi Missorii ingenium & elegantia. Missorio alii præluserant, quibus adhæsit in sua Historia Eccles. Franciscus Morenas. In Missorium acuit stilum Joannes Sbaralea: in Morenam Eusebius Philalethes. Nostrum judicium pronunciavimus Lib. 23. Theol. disciplc. c. 5. & lib. 31. cap. 13.

Cyprianus ad fidem Christianam conversus opera Cæcilii presbyteri hujus sibi cognomentum adscivit. Illius vitam scripsit *Pontius* ipsius Diaconus.

tatem Ecclesiæ, Virginum, Sacerdotum, omnium-que mores, servavit, ostendit, firmavit, instruxit.

Gregorius vero, qui & *Theodorus*, mirabilium operum patrator, & a Basilio Magno comparatus Apostolis, & Prophetis, relicta μετάφρασι; id est, *Expositione* in Ecclesiastem, & Epistola *Canonica de Lapsis* approbata a VI. Synodo, sancto fine quievit post Synodum Antiochenam anni 265. cui interfuit, & in qua Paulum Samosatensem damnavit: atque inter Sanctos colitur a Græcis, Latinisque XV. Calendas Decembris.

Addo Symmachum Samaritanum, qui edidit Græcam Veteris Testamenti Translationem. (p) *Cajum* presbyterum R. E. qui scripsit contra Attemonem, & Theodotum: *Geminum Antiochenum*, qui teste Hieronymo pauca reliquit ingenii sui monumenta; *Hymenæum Hierosolymitanum*, cujus libros testatur se legisse S. Maximus Scholiastes S. Dionysii Areopagitæ: *Anatolium* Episcopum Laodicenum, qui *Canones Paschales* exaravit: *Commodianum*, qui se nominat *Mendicum Christi*, (q) scriptorem *Institutionum* adversus Paganos: *Archelaum* Caschorum in Mesopatamia Episcopum, qui contra Manichæos disputavit: *Victorinum* Martyrem e Pannonia, qui in sacros libros edidit Commentaria, omnesque hæreses exagitavit: *Pamphilum*, qui scripsit libros quinque *Apologeticos* pro Origene, & martyrii palmam obtinuit: *Lucianum* denique, & *Hesichium* martyres, qui in conferendis corrigendisque Græ-

(p) *Symmachum* fuisse Ebionæorum hæresi infectum ait Eusebius lib. 6. H. E. cap. 17. Ab illo Ebionitas appellatos esse *Symmachianos*, constat ex Augustino lib. 1. contra Cresconium cap. 31. & lib. 19. contra Faustum, &c.

(q) Videtur *Commodianus* vixisse temporibus S. Sylvestri, siquidem cap. 33. hortatur Ethnicos, ut ad ejusdem Sylvestri gregem accedant, quamquam hic nonnulli mendum subesse opinantur.

Græcis Divinæ Scripturæ Codicibus sedulam navarunt operam. *(r)*

CAPUT V.

DE ROMANIS IMPERATORIBUS, ET MARTYRIBUS.

Ineunte III. Seculo Romanum regebat imperium *Septimius Severus (s)* Afer, filius Marci Getæ ac Fulviæ Piæ. Is enim pincipatum adeptus anno 193. eum administravit usque ad consulatum *Elpidii Rufi* & *Pomponii Bassi*, ad annum 211., quo mortuus est Eboraci quarta die Februarii. Orta est Severi edicto quinta, *(t)* eaque sævissima persecutio anno 202. Trucidati tamen fuerunt anno 200. Carthagine *Speratus*, aliique undecim Martyres Scyllitani. *(u)* Interfecti eadem persecutione grassante

---

(r) Confutavit Montanistas *Zoticus* Episcopus Ostrenus ac Martyr. In eosdem stylum acuit *Cujus* discipulus Origenis, de quo lib. 6. H. E. Eusebius. Contra Origenem S. *Methodius* M. Episcopus Tyri: Adversus Manichæos *Archelaus* Caschorum in Mesopotamia Antistes: *Malchion* presbyter Antiochenus contra Paulum Samosatensem.

(s) Cognominatus *Pertinax*, extinctus in Anglia ingluvie & stomachi cruditate. Restituit *Pantheon*, subegitque Britanos.

(t) Origo persecutionis fuit a Plautiano, quem Severus in Orientem proficiscens reliquerat Præfectum Urbis. Idem Severi & Bassiani vitæ insidias molitus, interfectus est, ut refert Herodianus.

(u) De *Sperato*, qui Carthagine securi percussus fuit, & de Proconsule *Saturnino*, qui illum damnavit, & paucis post diebus captus est oculis, vide Tertullianum ad Scapulam cap. 3. *Hera* in Martyrologio Romano die 22. dicitur Irais, & ab Eusebio item lib. 6. cap. 4. Ηραις. Tres Heraides distinguendas esse monet eo loci Valesius. Meminit Eusebius proximo cap. 5.

sante pater Origenis *Leonides*, *Plutarchus*, *Serenus*, *Heraclides*, *Hera* adhuc Catechumena, aliique, de quibus lib. 6. Eusebius. Illustre fuit martyrium virginis *Potamiænæ* post acerbissimos cruciatus cum matre *Marcella* igni damnata, & cujus exemplo permulti Alexandrini cives subiere martyrium, *SS. Perpetuæ & Felicitatis*, necnon *Rutilii & Manvilii*, qui anno 203. martyrium in Africa passi sunt, meminerunt præter Martyrologia Tertullianus & Augustinus. Passus item circa hoc tempus Albæ Helvetiorum *Adaleon*, de quo Tom. 2. Maji pag. 35. Bollandistæ: *Andeoli* Subdiaconi in quatuor partes ense ligneo consciſſi memoriam colunt Martyrologia Calendis Maji.

Severo defuncto imperatores creati sunt *M. Aurel. Bassianus Antoninus*, dictus *Caracalla* a veste ad talos demissa, & *Septimius Antoninus Geta*, filii Severi, & Juliæ; (x) at Geta, nondum exacto mense a fratre in gremio matris occiditur. Ipse fratricida, cum imperasset an. 6. & 2. m. Martiale Centurione prope Carras urbem Mesopotamiæ fuit inter-

---

cap. S. S. Martyrii *Basilidis*, unius ex apparitoribus, qui Potamiænam duxerant ad supplicium, ad Christum S. Virginis apparitione conversi. Nec abstinuit Severus a cæde *Philippi* Præfecti Ægypti, quoniam Christianæ religioni addictus erat. Sequenti cap. 6. idem Eusebius, & Nicephorus lib. 4. cap. 33. scribunt, existimasse nonnullos advenisse imperante Severo tempora Antichristi, atque in ea opinione fuisse Scriptorem quemdam, Judæ nomine, qui differuit de LXX. hebdomadibus Danielis.

(x) *Julia* fuit secunda uxor, nam prior fuit Marcia, quam aliqui matrem Caracallæ falso putarunt. Julia adeo fuit impudica, ut se cum eodem Caracalla incestu polluerit; sibique illo necato Antiochiæ mortem consciscit. Privigni cum noverca & germana matre connubium damnat lex divina *Levit.* 10. *Deut.* 27. Lex naturæ 1. *ad Corin.* 5. Lex Civilis *L. ult. de Rit. nupt.* & Virgilius apud inferos puniri ait Æn. 1.

Qui thalamos natæ invadit vetitosque hymenæos.

interfectus, anno 217. *Coss. Præsente & Extricato.*

At brevior fuit principatus *Opelii Sev. Macrini*, ejusque filii *Diadumeniani*, quos an. 218. Coss. ipso *Diadumeniano*, & *Advento*, milites obtruncarunt, opera Juliæ Mæsæ aviæ M. Antonini. Succesſit in imperio idem *Antoninus*, dictus, quod fuerit ſolis Sacerdos, *Heliogabalus*, & in nummis *Elagabalus* (y). Is 4. imperii ſui anno, Æ. V. 221. militari tumultu occiſus fuit, & projectus in Tiberim 6. Idus Martias. Impuriſſimus fuit, & appellatus a Dione *Pſeudoantoninus* & *Sardanapalus*, ab aliis *Tiberinus*, *Tractitius*, *Impurus*.

Imperavit deinde *Aurel. Severus Alexander*, natione Syrus, & Elagabali conſobrinus an. 13. occiſus a militibus 15. Cal. Aprilis *Coss. Severo & Quinctiano*, id eſt anno 235. Sub Alexandro autem martyres occubuerunt Romæ *Calepodius* presbyter, *Cæcilia* virgo cum Sponſo *Valeriano*, hujusque fratre *Tiburtio*, *Palmatius* Conſul cum liberis & uxore; *Felix* cum conjuge ſua *Blanda*, *Martina* virgo. Item *Quiriacus* Epiſcopus Oſtienſis, *Aſterius* Presbyter, *Tatiana* matrona, *Aurea* virgo, *Julius* & *Heſychius* milites, cum aliis permultis apud Oſtia Tiberina peremptis. (z)

Ex-

(y) *Heliogabalus* filius fuit Caracallæ; an ex Julia matre, an ex Sæmiade concubina, incertum. Periit trucidatus in latrina, florentiſſima ætate, annos natus 16. aut 18. tribus jam compreſſis, & repudiatis uxoribus, Julia Cornelia Paula, Aquilia Severa Veſtali, & Annia Fauſtina, quam occiſo illius viro Pomponio Baſſo rapuerat. Nupſit quoque Zotico, ut inquit Lampridius. Ridicula patravit, modo colligens decem millia pondo aranearum, modo eamdem copiam muſtelarum & murium, adhibuitque in convivio 8. luſcos, 8. calvos, 8. ſurdos, 8. inſigniter nigros, 8. laborantes podagra, 8. notabiliter obeſos, 8. naſutos, ita ſervans proloquium, ἅπαντ' ὀκτώ.

(z) *Aurelius Alexander Severus* matrem habuit Juliam Mammæam

Extincto Alexandro imperium tenuit *Julius Maximinus* e Thracia, opilio olim & pastor, trucidatus ab exercitu mense Octobris *Coss. Perpetuo*, & *Rustico*, ac simul inauguratus est imperator in Africa *M. Ant. Gordianus*, qui seipsum interemit mense Majo iisdem Coss. nempe anno 237. Orta sub Maximino persecutio Ecclesiæ sexta anno 236. Affectæ Martyrio *Barbara* Nicomediæ, & Alexandriæ *Catharina*: (*a*) cujus acta sunt admodum ambigua. A Maximino *alios in crucem sublatos, alios animalibus nuper occisis inclusos, alios feris objectos, alios fustibus elisos*, affirmat etiam Capitolinus. (*b*)

mæam Sororem matris Heliogabali, Christianam feminam. Repudiata priori conjuge filia Martiani, duxit Memmiam filiam Sulpitii viri Consularis. Apollonii, Abrahami, Orphei, necnon Christi coluisse fertur imagines. Videsis §. 7. Lampridii, Prohibuisse balnea mixta refert Dion.

(*a*) Alias *Ecaterina*.

(*b*) *Maximinus* parentes habuit Miceam Gothum, & Ababam Alanam, ut inquit Capitolinus. Appellatus est *Pestis reipublicæ*. Eo auctore interfectus Alexander, qui redeuntem e Thracia amantissime exceperat; & creaverat legionis a se institutæ Tribunum. Mactati in Persecutione Maximini *Lucianus* presbyter Antiochenus eruditione clarissimus, *Pamphilus* presbyter Laodicenus ædificator Bibliothecæ Cæsareensis, cujus nomen Eusebius pro suo cognomine adhibuit: *Dorothea* virgo Alexandrina formæ, & decoris gloria percelebris. Plura de hac Eusebius lib. 8. cap. 14. Sed ibi Dorotheæ nomen non lego, ejusque certamen refertur ad tempora alterius Maximini, & Galerii: de quibus seculo proximo. Sub hoc tamen Maximino floruisse Dorotheam alii tradunt. Martyrologium Germ. XV. Cal. Nov. memoriam agit S. *Triphoniæ* aut *Triphenæ* filii ipsius Decii uxoris, & S. *Cyrilla* ejusdem Cæsaris filia locum habet in Martyrologio Adonis. In Romana Ecclesia coluntur *Abdon*, & *Sennen* Persæ, *Venantius* Camers miræ constantiæ adolescens. Illustres quoque in Tabulis Ecclesiasticis SS. MM. *Epimachus* & *Alexander*, *Piontus* presbyter, *Amaranthus* Aquitanus, *Marina* virgo Antiochena, &c. Viginti Christianorum millia Antiochiæ in templo combusta in noctu Domini-

cæ

Devolutum deinde Imperium ad *M. Antoninum Gordianum* Juniorem, (c) interfectum a Philippo Arabe anno 244. Tum *ad Philippum*, de cujus religione disceptatur, confossum Veronæ a militibus anno 249. trucidato circa idem tempus Romæ a cohorte Prætoria *Julio Philippo* illius filio, adscito in consortium imperii; ac deinde ad *Q. Trajanum Decium*, natum in inferiori Pannonia, peremptum a Scythis & in paludem demersum, exeunte anno 251. ipso III. & *Herennio Etrusco Coss.* (d)

Mota sub Decio Persecutio Ecclesiæ VII. Tradunt sincera Martyrum Acta, sub Decio *Metram* lapidibus obrutum, *Apolloniæ* dentes excussos. *Serapionem* e cænaculo dejectum, *Julianum* flagris cæsum & igne consumptum, *Ammonarium*, *Mercuriam*, & *Dionasiam* gladio cæsas, *Ischirionem* per media viscera transfixum, *Saturninum* Tolosanum Episcopum pedibus circumacto tauro alligatum, & omni membrorum parte laceratum. *Alexandrum* Jerosolymitanum Episcopum, & *Babylon* Antiochenum

---

cæ Nativitatis, Nicephorus lib. 7. cap. 6. & Genebr. tradiderunt. Contigit horum triumphus Seculo desinente, vel sub initia sequentis.

(c) *Gordianus* senior patrem habuit Metium Mamillum, matrem Ulpiam Gordianam, uxorem vero, quæ illi peperit M. Anton. Gordianum Juniorem, Fabiam Orestillam Antonini proneptem.

(d) *Decio* cognomen Trajani tribuit Senatus. Messium Decium alii vocarunt. Ejus patria Bibalis. Suscepit ex conjuge Tryphonia filium Decium, quem constituit consortem imperii magnopere laudatum a Valerio Maximo. *Execrabile animal* dicitur a Lactantio de Mortibus Persecutorum n. 4. Incœpta Decii persecutio statim ac imperium obtinuit, anno 249. ac perduravit usque ad ejus mortem, id est, usque ad finem Novembris anni 251. Quo anno in tertio ipsius Decii Filiique consulatu Fasti Idatiani hanc persecutionem consignant. Inter Paludes victus, & cum exercitu deletus nec sepultura potuit honorari. Id Lactantius loco citato, Cyprianus de Lapsis, & Hieronymus in Zach. 14. ultioni divinæ attribuunt.

num in carcere extinctos, *Pionem* Smyrnæ cum *Sabina* & *Aſclepiade*, & *Metrodoro* ſtipiti affixum, *Maximum* lapidibus obrutum, *Petrum*, *Andream*, *Paulum* & *Dionyſiam* Lampſaci gladio peremptos, *Tryphonem*, & *Reſpicium* Nicææ capite truncatos, *Lucianum*, & *Marcianum* Nicomediæ flammis exuſtos. De his ſincera Ruinartii Acta. Sed alii plures ſub Decio martyrio coronati fuere, ut Aretii *Pergentinus* & *Laurentius* fratres, Catanæ *Agatha* Virgo, Ravennæ *Fuſca* & *Maura*, Romæ *Abdon* & *Sennen*, atque in Tuſcia *Secundianus*, *Marcellianus*, & *Verianus*. Sub Decio itidem contigit paſſio *S. Miniatis*, quem Florentini colunt. Furente hac perſecutione *Paulus* Eremitarum pater in Thebaidis antra ſeceſſit, & Epheſi ſeptem *Dormientes* in ſpelunca reſerato oſtio conſummarunt martyrium.

Ad Imperatorum revertendum eſt ſeriem. Trucidato Decio, Auguſtus inito cum Scythis fœdere dictus eſt *Cajus Vibius Trebonianus Gallus*, qui imperii conſortem fecit filium *Voluſianum*: ſed inchoato principatus anno tertio, ambo Interamnæ occiſi ſunt anno 254. ac ſuffectus *M. Æmilianus* Maurus, & ipſe a militibus probe Spoletum occiſus, nondum tranſacto tertio imperii anno. Acclamati ſunt itaque Imperatores *Pub. Licinius Valerianus*, & *Pub. Licinius Gallienus* illius filius: quorum *Valerianus* an. 259. captus a Sapore Perſarum rege ignobili ſervitute conſenuit, ac tandem detracta cute miſerrime obiit. *Gallienus* vero in expugnatione Mediolani a ſuis interfectus eſt *Coſſ. Paterno* & *Mariniano*, anno 268. die 21. Martii.

Excitata ſub Valeriano anno 257. in 4. ipſius Conſulatu Perſecutio VIII. *Antichriſti* appellata a S. Dionyſio Alexandrino. In qua Chriſto teſtimonium reddidere Romæ eodem anno *Stephanus* Papa, & *Tarſicius* Acolythus, & anno 258. *Sixtus* una cum *Quarto*, *Hippolyto*, *Feliciſſimo*, *Agapito*, & clericis aliis octo, ac paulo poſt levita Sixti *Laurentius*, *Ruſina* & *Secunda* ſorores, *Euſebius* presbyter &

Marcellus Diaconus, (*e*) in Africa vero præter *Cyprianum*, de quo supra, Uticæ demersus fuit in calcem 300. Sanctorum exercitus, quem a fornace calcaria *Massam Candidam* appellarunt. De aliis Martyribus vide Eusebium lib. 7. c. 15. & 16. & Theodoricum Ruinart pag. 200. & seqq. Sub Valeriano item martyrio coronati sunt Romæ *Eugenia* Virgo, Tarracone *Fructuosus* Episcopus, Viennæ in Galliis *Florentinus*, &c. Gallieno itidem imperante securi fuerunt percussi *Protus* & *Hyacinthus* prælaudatæ virginis Eugeniæ eunuchi.

Sublato e vivis Gallieno suffectus fuit *M. Aurel. Claudius II.* & huic post biennium pestilentia correpto, successit anno 270. *Lucius Domitius Aurelianus* Sirmiensis occisus inter Heracleam & Byzan-

---

(*e*) Cœptam persecutionem anno 3. imperii sui, & Christi 257. ajunt docti viri. Ineunte enim imperio mitissimus fuit, ut non tantum testatur Trebellius Pollio, sed etiam Eusebius lib. 7. H. Eccl. cap. 10. Ut sæviret in Christianos, incitavit Archisynagogus magorum Ægypti. Meminit Eusebius cap. 12. trium martyrum Cæsareæ in Palæstina damnatorum ad bestias, quorum unus dicebatur *Priscus*, alter *Malchus*, tertius *Alexander*. Fuit Valerianus ex Cornelia familia, filius Valerii Flacci, & cognominatus Colobius. Captus a Sapore, huic equum, aut vehiculum adscendenti terga vertere & dorsum, cui rex pedem imponeret, curvare coactus est. Detracta ejus cutis, & infecta rubro colore posita fuit in templo idolorum ad clarissimi triumphi memoriam. Vide librum de Mortibus Persecut. cap. 5. Acta S. *Pontii* Martyris a Baluzio in lucem edita cap. 24. & Hugonem Floriacensem in Chronico. Licinius Gallienus ejus Filius insidiis Macriani & Heracliani ducum interfectus est anno imperii sui 14. completo, ætatis 51. Fuit litteris egregie excultus, ejusque legitur epithalamium illud, recitatum, dum filios fratrum suorum jungeret matrimonio:

Ite, ait, o pueri, pariter sudate medullis
Omnibus inter vos: non murmura vestra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincunt oscula conchæ.

zantium anno 275 (*f*). Movit Aurelianus, aut instauravit Ecclesiæ persecutionem, quæ dicitur Nona, *Coss. Quieto*, & *Voldumiano*, id est, anno 272. Augustoduni *Simphorianus*. Cæsareæ in Cappadocia *Mamantes*, *Athenodorus* frater S. Gregorii Thaumaturgi in Ponto, *Chariton* in Isauria, *Justus* & *Patroclus* in Galliis, *Philomneus* Ancyræ, aliique permulti martyrium perpessi sunt. Vixit circa hæc tempora *Felix* Nolanus, quem S. Paulinus Natali v. vocat Confessorem ac Martyrem.

Reliqui Imperatores tertii Seculi sunt, *M. Claudius Tacitus*, qui obiit die 13. Aprilis anno 276. *M. Annius Florianus* frater Taciti, a militibus Tharsi post duos menses peremptus: *Probus* post Florianum acclamatus Augustus, septimo Imperii anno, id est 282. apud Sirmium occisus: *M. Aurel. Carinus* proximo anno 283. interfectus: *M. Aur. Carinus* & *M. Aur. Numerianus* filii *M. Aur. Cari*, & ipsi occisi anno 284. Denique *Valerius Diocletianus Jovius*, Diocles antea dictus, obscuro genere Salonis in Dalmatia ortus, eodem anno 284. unde subduc-

(*f*) *Aurelianus* imperium indeptus est *Coss. Antiochiano* & *Orfito*, ex fastis Idatii, ideoque anno 270. Occisus in 4. suo consulatu, anno 275. die 29. Januarii. Patrem habuit ædituum, obscuri generis, & matrem Solis sacerdotem. Alii Sirmii, alii in Moesia, alii in Dacia natum putant. Erumpentes Sarmatas cum trecentis tantum præsidiariis attrivisse narrat Vopiscus. Pugnavit contra Gothos, Svevos, Marcomannos, & reginam Zenobiam, egitque de Oriente, & Occidente triumphum. In libro de Moribus Persec. dicitur *natura Vesanus & præceps*, a Vopisco *Pædagogus Senatorum*. Persecutionem excitavit paulo ante mortem, exeunte anno 274. aut ineunte sequenti. Interfectus est enim Cænophurii inter Heracleam & Byzantium anno 275. mense Januario, unde Eusebius libro 7. H. E. cap. 30. interemptum ait, *Compositis contra nos edictis subscribentem*. Occisum *malitia notarii sui*, & *manu Mucaporis* scribit lib. 9. Eutropius. Notarius ille Mnestheus nomine affixus est stipiti, fersisque objectus. Sex. Aur. Victor in Epitome ait, ab Aureliano septam Urbem *validioribus*, & *laxioribus muris*, primum apud Romanos usum capitis diademate, gemmisque & veste aureata.

tur Æra *Martyrum*, adeptus imperium, ſocium adſcivit anno 286. Cal. Aprilis *M. Aur. Maximianum* cognomento *Herculium*: qui ſeſe imperio abdicarunt anno 304. dum *Diocletianus* nonum, & *Maximianus* octavum gereret conſulatum, ſive, ut recentiores contendunt, anno 305. Calendis Maji. Mota poſtremis Diocletiani temporibus Decima Eccleſiæ Perſecutio, de qua ſequenti Seculo quarto (*g*).

CA-

(*g*) *Diocletianus* Anulini Senatoris libertinus, a Diocles matre nomen ſuum derivavit, Grajum vocabulum in Romanum morem convertens. Vocatur in libro de Mort. Perſec. num 7. *ſcelerum inventor, & malorum machinator.* Indicta perſecutio 7. Kal. Martias, dum celebrarentur Terminalia, id eſt, dum ageretur dies feſtus Romanorum ob Deum Terminum, in 8. Diocletiani, & 7. Maximiani Conſulatu. Ita in Faſtis Idatianis. Ea dies eſt 23. Februarii anni 303. De hac die num. XII. de Mortib. Perſec. uſurpantur verba Virgilii Æn. 4.

Ille dies primus lethi, primusque malorum
Cauſa fuit.

Occurrebat annus imperii Diocletiani XIX. ut recte Euſebius in Chronico, & libro 8. H. E. cap. 2. Propoſita tunc imperialia edicta, quibus jubebatur Eccleſias dirui, ſacros codices flammis abſumi, honoratos notari infamia, plebejos libertate exſpoliari. Additum paulo poſt, ut omnes Eccleſiarum Antiſtites ubicunque conjicerentur in vincula, & Diis cogerentur ſacrificare. Acerbiſſimam hanc perſecutionem per decem continuos annos depopulatam fuiſſe Chriſtianas plebes ait libro 2. cap. 47. Severus Sulpitius. De illa prædicto libro de Mort. Perſ. num. 16. *Vexabatur ergo univerſa terra, & præter Gallias, ab oriente uſque ad occaſum tres acerbiſſimæ beſtiæ ſæviebant:*

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſim.

Sunt tres illæ *acerbiſſimæ beſtiæ*, Diocletianus, Maximianus Herculus, & Galerius Maximianus: de quibus cap. 5. proximi Seculi.

CAPUT VI.

TERTII SECULI DOGMATA, ET DISCIPLINA.

Traditione Apostolica, & decreto Stephani definitum est ratum esse baptismum verbis Evangelicis consecratum, etiamsi ab hæreticis conferatur. Nullum esse peccatum, quod per claves Ecclesiæ nequeat remitti. Ecclesia Christi declaravit adversus Novationos, Fides Trinitatis damnatione hæreticorum magis magisque confirmata est. Unum esse Deum Veteris & Novi Testamenti auctorem, & Divinum Verbum veram assumpsisse carnem, vere fuisse cruci, non est hæsitandum. Commentitium esse æternum mali Principium, cum naturali philosophia religio revelata suadet.

Ut Episcopo divinam rem peragenti adstarent presbyteri, Zephyrinus constituit. Sacri ministerii vasa, quæ vitrea erant, cœperunt Urbano sedente ex argento conflari. Lapsis in persecutione concessa est indulgentia; sed *libellatici*, & *thurificantes* ex Clericis ad communionem tantum laicam admissi fuerunt. Institutæ Stationes, sive gradus pœnitentium, προσκλαυσις, *Fletus* ἀκρόασις, *Auditio* ὑποπτωσις, *Subsistratio*, & σύνσις, *Consistentia*. Viguit a Callisti ætate jejunium quatuor temporum. Diaconi septem regionibus Urbis præerant, ut pauperum curam gererent. Sepeliebantur religioso cultu cadavera martyrum cum dalmatica, aut colobio purpureo, id Eutychiano jubente. Supra eorumdem Martyrum Memorias ab ætate Felicis I. Missæ celebrabantur; unde morem derivasse ajunt consecrandi altaria cum eorum reliquiis (*h*).

(*h*) De rigore disciplinæ cum lapsis servandæ legito epistolas Cypriani. Qui carceribus mancipati confitebantur Christum

Con

APPENDIX.

DE REBUS EXTERNIS MEMORABILIBUS.

Varios commemorabimus Seculi hujus eventus, deinde clariora bella, poſtremo celebriores Scriptores. Igitur anno Chriſti 204. Ludi Seculares exhibiti fuerunt Romæ, celebrati rurſus anno 248. ſub *Philippis*. Medici, qui noluerant Severum occidere, ipſi anno 211. interfecti fuerunt juſſu Antonini. *Papinianus* JC. nolens Getæ cædem excuſare, ab eodem Antonino anno 212. morte afficitur. Thermæ Antonianæ dictæ anno 215. fuerunt in Urbe conſtructæ. Occiditur anno 222. a Prætorianis militibus *Ulpianus*, quoniam ſeveriorem exercebat diſciplinam. 226. Thermæ Alexandrinæ vocatæ in Urbe Romæ ædificatæ fuerunt. *Talmud* Jeroſolymitanum anno 232. dicitur editum. *Pupienus*, & *Balbinus* interficiuntur anno 237. tempore agonis Capitolini. Peſtilentia provincias plurimas, ac præſertim Ægyptum, & huius metropolim Alexandriam anno 252. occupavit. Imperante *Gallien* inſurrexere (*i*) XXX. Tyranni affectantes principatum: *M. Caſſius Poſthumus*, qui imperium arripuit Coloniæ: *C. Junius Caſſius Poſthumus* ejus Filius, a Gallis dictus Auguſtus: *Cyriades* Sapori Perſarum regi con-

---

Confeſſores nondum perpeſſi martyrium appellabantur. Tempore quoque perſecutionum, peſtilentiæ, maximæque calamitatis, celebratos a fidelibus feſtos dies, in quovis loco, & interdum in agro, in ſolitudine, in navi, in ſtabulo, ſacros conventus tanquam in templo habitos, ſepultaque religioſo cultu, gentilibus prorſus contrario, fidelium defunctorum cadavera, teſtatur S. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium libro 7. H. E. cap. 22. Adhibitos in funere cereos ex vetuſto Chriſtianorum more, Acta S. martyris Cypriani teſtantur.

(*i*) Ex Trebellio, de quo cap. ult. ſive in Append. proximi Seculi.

confœderatus: *L. Ælius* Pannoniæ rector: *Lælianus*, qui sublato Posthumo in Gallia salutatus est imperator: *M. Piavonius Victorinus* Læliani occisor, & successor: *L. Aurel. Victorinus* illius filius: *Victoria* Victorini Senioris mater, quæ filio ac nepote sublatis Tetricum movit ad capessendum imperium: *Mamurius* ferri olim opifex, gladio, quem ipse confecerat, occisus a milite: *Q. Nonius Regillianus* e Dacia acclamatus in Illyrico a Mœsiis: *M. Acilius Aureolus*, olim pastor, coactus a militibus imperium sumere in contemptum Gallieni: *M. Fulvius Marianus*, ejusque filii *Q. Fulvius*, & *Cajus Fulvius Quietus* in Oriente acclamati: *Servius Anicius Balista*, occisus in Daphne, dum in tentorio cubaret: *Domitius Domitianus* dux Aureoli: *Odenatus* Rex Palmyrenorum: *Herodianus* filius Odenati: *Herennianus*, & *Timolaus* Odenati pariter filii: *Zenobia* regina uxor Odenati de stirpe Ptolomæorum: *Maconius*, qui Odenato vitam imperiumque rapuit: *Valerius Valens* renunciatus Imperator apud Macedonas: *L. Calpurnius Piso*, qui se in Thessalia nominavit Augustum: *T. Cestius Æmilianus* in Ægypto declaratus Imperator ab exercitu: *Publius Saturninus* a militibus item electus: *C. Pesuvius Tetricus* memoratus supra in Victoria, seu Victorina: *Tetricus* Junior ejus filius, simulque Cæsar factus in Galliis: *C. Annius Trebellianus* in Isauria acclamatus, *T. Cornelius Celsus* Tribunus Africæ. Hi triginta imperium invadentes, & Augusti declarati, brevi tempore miserrime perierunt.

Bella hujus seculi illustriora confecta sunt anno 209. a *Severo* in Britannia, quæ circumducto per insulam muro fuit validiori præsidio munita. 216. Pugnavit *Antoninus*, vicitque Artabanum Parthorum regem 229. Idem *Artabanus* cum Persis, (quorum imperium circa annum 226. restauraverat Artaxar gregarius antea miles) bellum gerens occisus est, & in illo extinctum regnum Parthorum. 234. *Varius Macrinus* in Illyrico, & *Junius Palmatus* in Armenia felici eventu pugnarunt. 240. Commissum in Africa bellum contra *Sabinianum*, qui a Gordiano

dia no defecerat. 242. Idem *Gordianus* ingentibus copiis contra Perſas tetendit, horumque fudit exercitus. 258. A Gothis, Scythis, Marcomannis, Perſisque in arma ruentibus, Romanum imperium fœdiſſime laceratur. 260. Victi ab *Odenato* Perſæ: *Sapor* Orientem aggreſſus: Scythæ irruperunt in Aſiam. 263. in Scytharum, Gothorumque irruptionibus incenſum eſt templum Dianæ Epheſiæ, reputatum Aſiæ miraculum. 270. Ad *Hæmimontum* Thraciæ Gothorum exercitus fuit peſte & fame conſumptus. 273. Imp. *Aurelianus* non procul ab Antiochia ſuperavit Zenobiam, quæ imperium Orientale occupaverat, eamque captam ſuo reſervavit triumpho. 296. Alexandria cum toto Ægypto recuperata a *Diocletiano*, qui ita ſe extulit, ut ad inſtar Dei adorari voluerit, pedesque oſculandos præbuerit ſalutantibus.

Inclaruerunt litteris tertio Chriſtiano Seculo *Papinianus* (*k*), & *Ulpianus* JCC. præſtantiſſimi ſuperius laudati. *Cenſorinus* doctiſſimus Grammaticæ artis, auctor libri *de die Natali*, Chronologis utiliſſimi (*l*). *Dionyſius Longinus Caſſius* præceptor Porphyrii,

(*k*) Imperante Caracalla floruerunt JCC. plerique Papiniani auditores, *Tarruntius, Paternus, Macer, Terentius, Clemens, Menander, Arcadius, Ruſinus, Papyrius Fronto, Anthius, Maximus, Hermogenianus, Africanus, Florentinus, Tryphonius, Juſtus, Calliſtratus, Venuleius, Celſus, Serenus, Sammonicus.* De his Raphael Volaterranus, Rutilius, Pancirolus, Gravina, &c. Domitius Ulpianus collegit *nefaria reſcripta Principum* adverſus Chriſtianos. Vide Lactantium lib. 5. Inſtit. cap. 11.

(*l*) Dicitur fuiſſe e gente *Martia*, quæ originem traxerat a duobus Romanorum regibus Numa, & Anco. Legi apud Carolum Patinum in Familiis Rom. pag. 109. tres inſcriptiones ad *Marciam* Gentem ſpectantes, in quibus Cenſorini nomen occurrit. Pertinere puto ad Cenſorinum, qui anno Urbis 746. octavo ante Æram Chriſtianam cum Aſinio Gallo geſſit Conſulatum. Sed oſtendunt tamen haud inſolitum in Familia Martia gentilitium nomen. Aureum de Die Natali Opuſculum editum a Cenſorino fuit anno Chriſti 238.

phyrii, & Zenobiæ reginæ Palmyrenorum a consiliis, quem Eunapius vocat βεβλιοθήκην ἔμψυχον, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον. Memoratus *Porphyrius* Philosophus, religionis nostræ infensissimus hostis, qui cum *Plotino* Romam advenit circa annum 263 (*m*). *Philostratus* Lemnius Apollonii Tyanei mendaciſſimus, blasphemusque laudator. *Julius Titianus*, qui scripsit *Provinciarium* libros pulcherrimos, *simia sui temporis* appellatus. *Dion Cassius* Nicænus Historicus, qui grandi utitur stylo, ac Thucydidem imitatur, sed immerito in præstantissimos viros invehitur. *Herodianus* styli perspicui, sed fidei *in Alexandro*, & *Maximino* nutantis. *Asinius Quadratus*, qui Jonica dialecta Romanam scripsit Historiam. *Dionysius* Historicus, cujus meminit Jornandes de rebus Gethicis cap. 19. *Oppianus* Cilix ob singulos versus donatus ab Antonino Caracalla *statere* uno, id est viginti millibus nummorum aureorum, unde ejus carmina *Aurea* dicuntur. *Ælius Spartianus*, Historiæ *Augustæ* auctor, in quo deprehenditur rerum repetitio, & confusio (*n*).

(*m*) *Porphyrius* fuit natione Tyrius, Syrorum lingua appellatus *Malchus*, discipulus Plotini, natus anno 12. Severi Alexandri, Christi 233. & mortuus Romæ septuagenario major postremis annis Imp. Diocletiani. Plotinus vero obiit anno ætatis suæ 66. Æræ Vulg. 270. quo Claudio II. occumbente levatus est Aurelianus.

(*n*) Claruerunt itidem hoc Seculo, *Alexander* Aphrodisæus primus Commentator Aristotelis, *Philemon* Comicus Syracusanus, *Nicostratus* Sophista Trapezuntinus, *Amelius* Platonicus, *Volcatius* Historicus, *Nemesianus* poeta.

QUAR-

QUARTUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

DE EPISCOPIS ROMANÆ URBIS.

In Romana Petri Cathedra ſederunt quarto Seculo *Marcellinus*, *Marcellus*, *Euſebius*, *Melchiades*, *Silveſter*, *Marcus*, *Julius*, *Liberius*, *Felix II.* *Damaſus*, *Siricius*, *Anaſtaſius*.

XXX. Marcellinus ſubrogatus Cajo dicitur coronatus martyrio XVII. Calendas Aprilis, *Diocletiano IX.* & *Maximiano VIII. Coſſ.* ſcilicet anno Æ. V. 304. Narrantur ejus thurificatio, & habitum de hac re Sinueſſanum Concilium. Verum S. Pontificis lapſus videtur a Donatiſtis confictus, & Concilium illud a plurimis commentitium cenſetur. Martyrium, quod nonnulli in dubium revocant, comprobant vetuſta Martyrologia, & Romanæ Eccleſiæ traditio (*a*).

XXI. Suffectus *Marcellus* (*b*) qui Epiſcopatum tenuit usque *poſt Conſulatum X. Maximiani Hercu-*

(*a*) Juxta Pagii Chronologiam *Marcellus* creatus eſt anno 308. *Euſebius* anno 310.; eodemque anno poſt menſes quatuor *Melchiades*. *Silveſter* anno 314. *Marcus* anno 335. In reliquis Seculi hujus Pontificibus nulla occurrit diſcrepantia, aut ſaltem minima.

(*b*) Hunc quidam ob nominis ſimilitudinem cum Marcellino confundunt, ut contigit de Cleto & Anacleto, ſicuti prænotavimus in primo Seculo.

Herculii, id est, usque ad annum 309. quo obiit inedia & loci situ confectus in domo Lucinæ, quam ipse in Ecclesiam, Maxentius in Catabulum redegerat.

XXXII. Sedit postea *S. Eusebius* natione Græcus, qui supremum diem obiit anno 311. in Consulatu *VIII. Maximiani* cognomento Armentarii.

XXXIII. Ad Episcopatus apicem evectus deinde est *S. Melchiades*, aut *Miltiades*, Afer genere. Is Donatistas repressit, absoluto Cæciliano Carthaginensi Episcopo, quem *Traditionis* Sacrorum Codicum ipsi Donatistæ insimulabant. E vivis excessit *Constantino A. III. & Licinio A. III. Coss.* id est, anno 313. mense Decembri.

XXXIV. Rexit deinde Ecclesiam supra annos 21. hoc est, usque ad exitum anni 335. quo plenus meritis obiit *Coss. Julio Constantio*, & *Rufo Albino*, *S. Silvester* Romanus, primus omnium Pontificum ob restitutam Ecclesiæ pacem & libertatem redimitus corona (*c*).

XXXV. Silvestro *S. Marcus* filius Prisci.

XXXVI. Marco *S. Julius I.* successit: quorum primus obiit post menses octo anno 336. *Coss. Nepotiano* & *Facundo*, die 7. Octobris: alter vero post annos 16. mortuus est die 12. Aprilis in Consulatu *Constantii Aug. V.* & *Galli Cæsaris*, nempe anno 352.

XXXVII. Liberius Romanus post Julium præfuit Ecclesiæ usque ad annum 366. quo anno *Coss. Gratiano* & *Dagalaipho*, die 24. Septembris migravit e vita. Hunc aliqui ex Pontificum numero excludunt, quod apud Sirmium exul subscripserit formulæ

(*c*) Exolevit opinio asserentium, Constantinum Magnum a Silvestro regeneratum fuisse baptismate, tradente Eusebio, cui Patres Scriptoresque gravissimi subscribunt, baptizatum fuisse morti proximum prope Nicomediam. Nutant etiam, quæ de Donatione Constantiniana traduntur.

mulæ Arianorum. At ea formula non damnabat ὁμοούσιον, nec erat expreſſe hæretica.

XXXVIII. Pulſo in exilium Liberio ab Imperatore Conſtantio, & ſponte cedente Epiſcopatui, commiſſum Eccleſiæ regimen *S. Felici* II. qui anno 359. martyr occubit. Liberius vero Romam reverſus Eccleſiæ rurſus præficitur. Plures Pontificatum Felicis oppugnant, quem nos alibi vindicavimus.

XXXIX. Ab anno autem 366. emortuali Liberii uſque ad annum 384. exercuit Pontificis Maximi munus *S. Damaſus* plurimis virtutibus clarus (*d*). Compreſſo Urſicini ſchiſmate, refutatis falſis criminationibus, Arianis, & Apollinariſtis damnatis, de Eccleſia optime meritus obiit prædicto anno 384. die 11. Decembris, Conſulibus *Rechimero* & *Clearcho*.

XL. Damaſo e vivis ſublato gubernavit Eccleſiam *S. Siricius* annis tredecim, obiitque VIII. Kalendas Martias an. 398. *Honorio A. IV.* & *Eutychiano Coſſ.* Hujus, & ſequentium PP. recipiuntur Decretales Epiſtolæ; nam præcedentium ſuppoſitæ, aut ſaltem dubiæ creduntur.

XLI. Suffectus Siricio *S. Anaſtaſius* Romanus, Maximi filius (*e*), qui annis quatuor Romanam gubernavit Eccleſiam, ad cœleſtem patriam profectus, *Arcadio V.* & *Honorio V. Coſſ.* nimirum an. Æ. V. 402., poſteaquam damnaverat errores Origenis; & Ruffinum, qui libros περὶ ἀρχῶν latinitate dona-

(*d*) Sanctos Damaſum Pontificem, & Laurentium M. Hiſpanos, quos nonnulli recentiores Romæ exortos ſcripſere, Hiſpaniæ aſſeruit, vindicavit vir Cl. *Franciſcus Perezius Bayertus*.

(*e*) *Anaſtaſii* nomen idem ſignificat ac Hebraicum *Joacim*, quod interpretatur *Domini reſurrectio*. Reſurrectio enim dicitur ἀναστάσις. Vide Adnot. ad proximum cap. 3. ubi de *Photino*.

donavit, Romam ut se purgaret, adire jusserat, & renuenti obtemperare anathema inflixerat.

PATRIARCHARUM NOMINA.

Sederunt Alexandriæ post Theonam *Petrus*, *Alexander*, *Athanasius*, *Petrus II. Timotheus*, & *Theophilus*. Antiochiæ post Cyrillum *Tirannius*, *Vitalis*, *Philogonius*, *Paulinus*, *Eustachius*, (f) *Eulalius*, *Meletius*, & *Flavianus*, Jerosolymis post Zabdam *Hermon*, *Macarius*, (g) *Maximus*, *Cyrillus*, *Joannes II.*

CAPUT II.

QUARTO SECULO CELEBRATA CONCILIA.

Plura quarto Seculo celebrata fuerunt Concilia: quædam pro Ecclesiastica disciplina: quædam adversus hæreses, maxime Arianam; quædam etiam ab iisdem heterodoxis ad eludendas Ecclesiasticas definitiones.

Concilia primi generis sunt, *Eliberitanum* in Provincia Hispaniarum Boetica anno 305. (h) *Critense*

(f) *Euphronius*, quem Eustathio dejecto substitutum inquit Sozomenus lib. 2. ab Eusebianis intrusus fuit.

(g) Inventa est Jerosolymis sedente Macario Crux Domini, & hujus inventionis historia traditur a Rufino lib. 10 H. E. cap. 7. & 8. a Sozomeno lib. 2. cap. 1. & a Theodorito lib. 1. cap. 18. Ex his, quæ narrantur, hauserunt Scriptores ceteri.

(h) Circa Epocham Concilii Eliberitani viris eruditis dissentientibus, sequimur vulgarem calculum.

enſe in Numidia, Provincia Africæ, eodem anno: Ancyranum anno 314. aut 315. Neocæſarienſe in Ponto circa idem tempus. *Carthaginenſia* anno 390. 398. & 399. *Hipponenſe* anno 393. In his collapſa Eccleſiarum diſciplina fuit editis ſaluberrimis, ac tempori congruentibus definitionibus, reſtituta.

Adverſus Donatiſtas in Africa plures coactæ fuerunt Synodi. Atque in memorata Urbe *Carthagine* duæ, una anno 306. altera anno 348. *Romana* ſub Melchiade anno 313. & *Arelatenſis* convocata a Conſtantino anno 314. Donatiſtæ etiam factionis ſuæ Synodos congregarunt, *Carthagine* anno 308. & 311. nec non *Bagæ* in Numidia, anno 394.

Contra Arianam hæreſim celebrata fuere, quæ ſequuntur Concilia: *Alexandrinum* ſub Alexandro Antiſtite anno 315. Ibidem alterum, cui omnes Epiſcopi Ægyptii cum Oſio Cordubenſi interfuerunt, an. 324. Proximo autem an. 325. celebratum fuit celeberrimum *Nicænum* Concilium, primum *Oecumenicum*, in Bithynia. Interfuerunt Epiſcopi, qui in damnationem Arii conſenſerunt, 318. (*i*) præter Clericorum, aliorumque virorum ingentem numerum. Adfuit & religioſiſſimus Imperator Conſtantinus. In hac Synodo Verbum Divinum declaratum eſt Patri *Conſubſtantiale*, extinctum ſchiſma Meletianum, & finita de die Paſchatis controverſia.

Nicænam fidem confirmarunt adverſus Arianam perfidiam *Concilium Sardicenſe*, ſeu *Illirici*, celebratum

(*i*) Inter iſtos miraculorum gloria claruiſſe *Paphnutium* Epiſcopum in ſuperiori Thebaide, & *Spiridionem* Epiſcopum Trimithuntis in Cypro, refert Socrates lib. 1. cap. 11. & 12. Qui Nicæno Concilio præfuiſſe putarunt Romanum Pontificem Julium, apud Galeſium Cyzicenum, ubi ſcriptum erat, πόλεος, Ῥωμαίων ἐπισκόπου, forte pro πόλεος, aut πόλιος legerunt σοφοῦ. Videſis Petrum de Marca in Concordia Sacerd. & imp. lib. 5. cap. 3.

bratum præside Osio an. 347. *Mediolanense* an. 355. in quo Catholici nolentes subscribere condemnationi S. Athanasii, pulsi sunt in exilium: *Ariminense* an. 359. in quo Episcopi 400. primum Fidem Nicænam decreto firmarunt, sed postea fraudibus circumventi, minisque tentati, plures formulæ subscripserunt supprimenti *Omousion*. *Romanum Julii* an. 342. & *Damasi* an. 370., nec non aliud 378. & *Alexandrinum* an 349. quo S. Athanasii causa discussa fuit, & vindicata innocentia; quemadmodum in *Jerosolymitano* an. 350.

Eumdem quippe Athanasium Ariani Conciliis Episcoporum suorum coactis non semel deponi, & in exilium detrudi curarunt. Actum id an. 334. in Synodo *Cæsareæ* in Palæstina: an. 335. in Synodo *Tyria*. (*k*) an. 336. in *Constantinopolitana* Eusebianorum: an. 341. in *Antiochena*.

Aliis insuper pseudosynodis aut Ariana perfidia aut versutia obstitit veræ fidei. Nam in *Sirmiensi* Semiarianorum an. 351 qua depositus fuit Photinus, nulla *Consubstantialis* facta fuit mentio: in *Sirmiensi* altera anni 357. eadem vox rejecta fuit,

(*k*) In hac Tyri Synodo *Archach*, qui S. Athanasium accusaverat, quod manum Arsenio præcidisset ad maleficia patranda, ipsomet Arsenio comprehenso, & cum utraque manu adinvento, confusione permotus e conspectu Patrum cum ceteris calumniatoribus se subduxit. Vide Athanasium Apol. 2. Fuit Archaph Episcopus factionis Meletianæ apud Memphim. Appellabatur quoque Joannes. Irrepsit mendum apud Socratem lib. 1. cap. 30. ubi vocatur Ἀχαάβ *Achuab*. Legendum Ἀρχάφ, *Archaph*. Arsenii tamen historiam ad Synodum Arianorum Cæsareæ anno 334. aut præcedenti coactam plures referunt. Vide eruditorum notas in Sozomeni librum 2. cap. 23.

In Antiochena Synodo depositum *Eustathium* ejus urbis episcopum Nicænæ fidei propugnatorem, eique suffectum *Euphronium*, narrant Socrates lib. 1. cap. 24. Sozomenus lib. 2. cap. 19. Eusebius Vita Const. lib. 3. cap. 59. Id refert Theodoretus ad annum 330. Philostorgius ad annum 329 Baronius ad annum 324.

atque proscripta; & in *Sirmiensi* tertia, paulo post celebrata, eadem, ac in priori Synodo, callide in Fidei formula omissa est vox ὁμοούσιον *Consubstantiale*. Sed pseudoconcilia hactenus enumeravimus: ad Orthodoxa revertamur, oportet.

In Concilio *Cæsarauguſtano* provinciæ Tarraconensis an. 380. damnati fuerunt Priscillianistæ: in *Aquilejensi* an. 381. Palladius Arianus: in *Burdigalensi* an. 385. rursus Priscillianus, & Instantius: in *Capuano* an. 389. Bonosus, in *Mediolanensi* anno 390. Jovinianus.

Laudandum est specialiter celebratum anno 381. *Constantinopoli*. Est enim Concilium *Oecumenicum II.* Adfuere Episcopi Catholici 150. & Macedoniani 36. Sed hi nolentes approbare ὁμοούσιον discesserunt ex urbe. Confirmata est in hac Synodo Fides Nicæna, damnata hæresis Macedonii, addita Symbolo verba, quæ Spiritus Sancti enuntiant Divinitatem. Ad horum intelligentiam necessaria est notitia, quæ infra subjicitur, hæreticorum.

Theophilus Alexandrinus sub finem hujus Seculi, & anno 399. juxta Baronium, juxta Pagium autem an. 401. damnavit in Synodo *Alexandrina* Origenistas, ejecitque his adhærentes Monachos Nitrienses: quos cum, ignota expulsionis causa, excepisset Chrysostomus, orta sunt inter Clarissimos hos præsules dissidia.

CAPUT III.

SCHISMATA, ET HÆRESES IV. SECULI.

Tria Schismata, præter excitatum Romæ ab Ursicino, sedente Damaso, exorta sunt quarto Seculo. Ac primum *Donatistarum*, cujus auctor fuit *Donatus* a Casis nigris Episcopus in Numidia, ac

ac promotor *Donatus* alter ſucceſſor Majorini in Epiſcopatu Carthaginenſi. Erupit circa annum 311. & ſeſe continuit intra Africæ limites. Donatiſtæ *Circumceliones*, quod vagarentur, etiam vocati, in ſua tantum communione Eccleſiam contineri jactabant, irritumque cenſebant baptiſmum ab improbis adminiſtratum.

Schiſma alterum fuit *Meletianum* ineunte Seculo a *Meletio* Lycopolitano, ſeu Munienſi Epiſcopo nuncupatum: qui, cum in perſecutione Maximini immolaſſet idolis, e ſede dejectus a S. Petro Alexandrino (*l*), aram contra aram erexit, diſciſſis Ægyptiorum Eccleſiis.

Tertium Schiſma *Luciferianum* dictum eſt a *Lucifero* Calaritano, qui cum Antiochiæ, cujus urbis Epiſcopatum gerebat Meletius, conſecraſſet Paulinum, anno 362. occaſionem præbuit, ut alii Meletio, alii Paulino adhærerent. Ad ordinationem tamen Paulini impulerunt Luciferum Catholicorum diſſidia; neque Lucifer, quem inter Sanctos colunt Sardi, alicujus hæreſeos aperte convincitur; quamquam Luciferiani quidem traderent, rationalem animam gigni ex traduce, & in Cod. Theodoſiano Eureſius e ſecta Luciferianorum vocetur hæreticus.

Deteriores autem hæreſes fuerunt, *Arii*, *Macedonii*, *Apollinaris*, *Photini*, *Priſcilliani*, *Helvidii* & *Joviniani*. *Arius* Presbyter Alexandrinus, filius Ammonii cœpit poſt annum 315. peſtilentiſſimæ hæreſis propinare venena, affirmans *Trinitatis* perſonas pares non eſſe gloria, ac maieſtate, ſed *Verbum* eſſe initium creaturarum, expers paternæ ſubſtantiæ, & factum ex non extantibus. Ad latrinam ſecedens urgente alvi neceſſitate animam cum inteſtinis efflavit an. 336. Inter Arianos vero alii Filium creaturam Patri *diſſimilem* aſſerebant, ut Aetius,

(*l*) Meletius a S. Petro Synodali ſententia damnatus, & depoſitus fuit anno 305. Vide 2. Apologiam Athanaſii.

tius, Eunomius, Eudoxius: atque hi appellati sunt *Anomœi*; ἀνόμοιος enim idem est, *ac dissimilis* (*m*). Alii *similem* quidem, sed non *Consubstantialem* dicebant, ut Narcissus, Demophilus, ceterique Episcopi Semiariani tertiæ Synodi Sirmiensis; a quibus approbatum est ὁμοούσιον, *subsistantia simile*, non probatum ὁμοούσιον, *Consubstantiale*. His accesserunt *Eusebiani*, qui ab Eusebio Nicomediensi partibus Arianorum addicto nomen traxerunt. (*n*)

Quod Arius de Verbo Dei, *Macedonius* asseruit de Spiritu sancto, hunc ad conditionem deprimens creaturarum. Macedonius Constantinopolitanum adeptus erat Episcopatum, cum circa annum 360. cœpit disseminare hæresim, in Thracia præ-

(*m*) Auctor Anomœorum *Eunomius*, qui Cyzicenam regebat Ecclesiam, & non in Trinitatem, sed tantum in Christi mortem baptizandum esse docebat, ut inquit Sozomenus lib. 6. cap. 25. Cum Eunomio conspirarunt *Eudoxius* invasor patriarchatus Antiocheni, apro silvestri comparatus, *Aetius*, quem a Flaviano accusatum Leontius exuerat diaconatu, *Georgius* Alexandrinæ insidiator Ecclesiæ, aliique hujus furfuris.

(*n*) Pro Arianis pugnarunt *Eusebius* Nicomediensis, *Theognis* Nicænus, *Eustathius* Anthiocheus Sabellianus, aliique plures, qui Nicænam fidem tentarunt subvertere. Socrates lib. 1. ait, jussu Eudoxii C. P. Eunomium, de quo supra, sermonem ad populum habuisse in die *Theophaniæ*, & utrumque ausum dicere, Josephum post ineffabilem partum coivisse cum Virgine, & Filium, ac Spiritum sanctum esse ministros & servos Patris; quod asserit quoque Philostorgius lib. 6. cap. 2. Apud eumdem Historicum lib. 4. cap 15. fit mentio hæresis *Borboranorum* in Cilicia degentium. Eosdem commemorat etiam S. Philastrius. Laudabant hi carnalem concupiscentiam, negabant futurum judicium, & incedebant cœno faciem obinientes. Hinc nomen traxerunt; cœnum quippe Græce dicitur βόρβορος. Hæretici θαυματοποιοι, *miraculorum* nempe *effectores*, qui absurda jactabant miracula, fuerunt, ut opinor, perditissimi Ariani; recensentur enim in istorum classe apud eumdem Philostorgium initio libri 9. *Aetius*, *Eunomius*, *Leontius*, *Candidus*, *Evagrius*, *Arrianus*, *Florentinus*, & *Theophilus* Indus quos ille tamquam *Consubstantialis* oppugnatores deprædicat,

præsertim, in Bithynia, & Asia propagatam. Ei adhærentes ab illius nomine *Macedoniani* a dogmate autem, quo Divini Spiritus majestati bellum intulere, *Pneumatomachi*, ἀπὸ πνεῦμα, καὶ μάχομαι, sunt appellati.

Apollinares duo fuerunt, pater, & filius, Presbyter unus, & institutor Grammaticæ, alter Rhetoricæ præceptor, & in Ecclesia Lectoris functus officio. Pater Alexandria Berytum, Beryto migraverat Laodiceam, ibique vetiti a Theodoto Episcopo Laodiceno uti consuetudine Epiphanii Sophistæ, ne ad Gentilium superstitionem delaberentur; Apollinaris filius id ducens contumeliæ loco, novam hæresim condidit, imperante Constantino, dogmatizans, hominem absque anima assumptum fuisse a Deo Verbo, ac postmodum assumptam quidem animam, sed mente destitutam, cui proinde loco mentis esset idem Verbum. *Apollinaristæ* hoc autumantes dicuntur.

Photinus e Galatia, sed Sirmii in Pannonia, Episcopus, & Marcelli Ancyri discipulus, adhæsit aliquando hæresi Sabellianæ: tum addidit Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον, id est, purum putum hominem neque ante Mariam extitisse, depositus, & damnatus in 1. & in 2. Synodo Sirmiensi. Cœpit blasphemias evomere an. 341. obiitque in Galatia an. 377. *Photini* sequaces a Vigilio Tapsensi, & ab Augustino appellantur *Homuncionistæ*. (o)

(o) A Photino in hæresim fuisse pertractum Romanum Pontificem *Anastasium* affirmat Danthes celeberrimus Poeta Etruscus *Inferni* Cantu undecimo. Christophorus Landini, & Alexander Vellutelli in Commentariis suis ad prædictum cantum XI. ajunt, *Anastasium* Photini hæresi infectum fuisse Romanum, eamdem hæresim palam tradidisse, dum autem illam confirmare studeret, infelici obitu periisse. Ac Vellutellus hunc Pontificem fuisse ait *Anastasium* hujus hominis Quartum. Hæc autem

Priſcillianus in Hiſpania ortus familia nobili ac prædivite, ſeductus a Marco quodam Ægyptio Gnoſtico, & Manichæo, (p) duorum principiorum, atque fatalis neceſſitatis errores innovavit, mendacium ac perjurium licitum eſſe tradidit, promiſcuas probavit libidines, Sabellianorum fovit deliramenta, ac traducta ſub humilitatis ſpecie flagitioſiſſima vitia, Treviris damnatus eſt capitis anno, ut fertur, 388.

Perpetuam Deiparæ virginitatem denegarunt *Helvidius*, & *Jovinianus*. Quorum primus diſcipulus Auxentii Epiſcopi Mediolanenſis Ariani circa an. 380. vix primis imbutus litteris conſcripto libello tradidit, Mariam poſt Domini nativitatem alios filios ex Joſepho carnali concubitu peperiſſe. *Jovinianus* vero Monachus Apoſtata, & auditor Helvidii docuit ulterius, ſervandam non eſſe pudicitiam, nuptias ſolatia eſſe ad deſpumandas libidines, atque meri-

---

tem nulla ratione conſiſtunt. Nam *Anaſtaſius IV.* Romanus ſedit Seculo duodecimo. *Photinus* autem hæreſim ſpargebat ſuam Seculo Eccleſiæ quarto. Verum hoc Seculo Eccleſiam adminiſtravit *S. Anaſtaſius* hujus nominis Primus, quem Photinianum hæreticum appellare audacia eſt maxima. Primo enim *Anaſtaſium I.* Inter Sanctos Romana veneratur Eccleſia. Deinde hunc Romam habere non meruiſſe, recte ſcribit ad annum 398. venerabilis Cæſar S. R. E. Cardinalis Baronius. Inſuper quis hunc hæreticum dixerit, quem Apoſtolicæ ſollicitudinis anxium, ſibilantia hydræ hæreticorum ora compeſcuiſſe, & libros Origenis *Periarchon*, horumque interpretum *Rufinum* damnaſſe, ad Principiam, & ad Demetriadem ſcripſit S. Hieronymus? Idem Anaſtaſium in Epiſtola ad Geruntiam ſummopere commendavit. Quanti inſuper Anaſtaſium Pontificem fecerit S. Paulinus, apertum eſt ex hujus litteris ad *Delphinum* in Gallia Epiſcopum. Hinc perſpicuum eſt, Poetas ſibimet *quodlibet audendi*, ut Venuſinus ajebat, factam ſibi exiſtimare poteſtatem.

(p) Ægyptii Seculo IV. magna ex parte Manichæis adhæſere. *Hieracitas* hos Manetis gregarios legimus fuiſſe appellatos. Horum unus fuiſſe creditur *Marcus* ſeductor Priſcilliani, & Memphi ortus.

meritorum & præmiorum sustulit discrepantiam: damnatus sedente Romæ Siricio, an. 390. & lege Honorii an. 412. quo adhuc superstes conventicula agebat, plumbatis cæsus, & in Bubuam Dalmatiæ insulam relegatus.

Hæ quidem fuerunt præcipuæ quarti Seculi hæreses: sed quasdam alias commemorat Epiphanius, videlicet, *Audianorum*, ab Audæo Syro, qui affingentes Deo humani corporis delineamenta, *Antropomorphitæ* sunt appellati ab ἄνθρωπος. *homo*, & μορφὴ, *figura*: (q) *Antidicomarianitarum*, asserentium cum Helvidio, Virginem post partum copulatam fuisse viro; unde dicti sunt *Mariæ adversarii*: ἀντιδίκος enim, & *adversarius* idem sonant: *Collyridianorum*, qui Deiparæ tanquam numini sacrificabant, nomen sortiti a κολλυρις, *siliginea placenta*, Virgini ab illorum oblata feminis: *Messalianorum* denique, asserentium omissis omnibus aliis operibus orationi tantummodo esse vacandum, nullumque ex Ecclesiæ Sacramentis, Baptismi etiam, & Eucharistiæ, percipi fructum. Hos *Euchitas* ab εὐχὴ, *oratio*, & *Enthusiastas* ab ἐνθουσιάζω, *Numine agor*, vel, *insanio*, dixerunt. (r)

(q) Ab Origenistis etiam Catholici *Antropomorphitæ* sunt appellati, quasi rejicientes Origenis allegorias etiam Scripturæ loca, quæ Deo manus, pedes, ceteraque adtribuunt humana membra, sensu duntaxat litterali exponerent. A qua insimulatione neque Sanctissimi viri Epiphanius & Hieronymus, apud Joannem Jerosolymitanum & Rufinum, fuerunt immunes.

(r) In Historia Philostorgii lib. 8. n. 3. describitur hæresis cujusdam Episcopi *Theodosii*, qui, Joviano imperante, ad impia Eunomianorum dogmata addebat, Christum eximio virtutum studio ex natura mutabili immutabilem evasisse, & Deum neque loqui posse, neque audire, quoniam lingua caret & auribus.

CAPUT IV.

DE ECCLESIASTICIS SECULI IV. SCRIPTORIBUS.

Brevitati studentibus locus non est plurimos Seculi hujus distincte recensere Scriptores. Præcipuos itaque, & litteris æque, ac sanctitate celebres laudabimus separatim, tum coacervatim reliquos.

Occurrit primo *S. Athanasius* Alexandrinus insectator Arianorum acerrimus (s). Interfuit anno 325. Nicæno Concilio, & anno proximo suffectus est Alexandro in Episcopatu patriæ suæ. Non semel Arianorum machinationibus coactus est solum vertere, fractusque ærumnis succubuit anno 371. aut sequenti. Exquisitissimis lucubrationibus Arianam hæresim profligavit.

Antonius quoque Ægyptiorum Monachorum parens, claro ortus genere Comæ non procul ab Heraclea an. 252., in solitudinem profectus anno ætatis suæ 18., & mortuus an 357. ætatis suæ 105. scripsit sermones quosdam, & perutilia ad Monachos documenta. Quod idem præstitere *Macarii* duo, prior Egyptius & Antonii discipulus, qui obiit nonagenarius an. 391. alter incola Nitriensis eremi, qui centenarius decessit an. 404. nec non *Pachomius* in Thebaide ortus, & auctor Monachorum Tabenensium, in quorum uno Monasterio 1040. ascetæ simul vixerunt, qui decessisse fertur anno 360.

(s) Quod narrant de Athanasio puero alios pueros baptizante, magna laborare suspicione demonstrant in ejus Vita doctissimi PP. S. Mauri.

360. Hos vero propter instituti similitudinem una conjunximus.

Sapientia itidem inclaruerunt *Cyrillus* Jerosolymitanus, *Hilarius* Pictavienſis, *Zeno* Veronenſis, *Euſebius* Vercellenſis, *Ephrem* Syrus, & *Pacianus* Barcinonenſis. *Cyrillus* in Eccleſia Jeroſolymitana an. 350. ſucceſſit Maximo, ediditque Catecheſes tam ad *Competentes*, quam *Myſtagogicas* ad initiatos. *Hilarius* ob eloquentiam comparatus Rhodano rapidiſſimo Galliarum flumini, circa annum 335. creatus Epiſcopus Pictavorum in Aquitania, exinde Synodis, ſcriptisque Arianos plurimum exagitavit. *Zeno* Antiſtes Veronenſis, qui fertur martyrium pertuliſſe circa an. 360. homilias plures conſcripſit; ſed an illæ, quæ ejus circumferuntur nomine, genuinæ ſint, hæſitatur. *Euſebius* Vercellenſis in Inſubria Epiſcopus, exilium fidei cauſa, & ærumnas perpeſſus imperante Conſtantio, ad hunc, atque ad Patrophilum Arianum, & ad Vercellenſes ſuos conſcripſit Epiſtolas, atque ex Græco vertit Commentarios Euſebii Cæſarienſis in Pſalmos, nec non Evangelia Matthæi, & Marci: cujus *Verſionis* codex ipſius S. Euſebii manu exaratus Vercellis etiamnum aſſervatur. Obiit autem, & immarceſſibilem coronam obtinuit circa an. 370. *Ephrem*, Propheta Syrorum cognominatus, orationes ſupra mille, hymnosque & carmina ſcripſit; obiitque circa annum 378. *Pacianus* deceſſit anno 390. ſenex admodum, inſtituitque ſcriptis Catechumenos, ac Pœnitentes, & refutavit Novatianos.

Generis claritudine, parentum confeſſione, propriisque virtutibus *Magni* cognomentum adeptus fuit *Baſilius* Cappadox, monaſtici Inſtituti promotor egregius, & Eccleſiæ Cæſarienſis Epiſcopus, Libanium rheorum hujus ſæculi principem eloquentia ſuperavit, hæreticos, præſertim Eunomium perſtrinxit, Monachos regulis & ſanctionibus imbuit, ſacras interpretatus eſt litteras; atque ad cæleſtem gloriam evocato circa an. 378. parentatum fuit ſplendidiſſimo funere, & lacrymis quoque Judæorum, Gentilium & advenarum.

Acce-

Accedunt *Gregorii* duo, *Nyſſenus*, & *Nazianzenus*. Ille Baſilii Magni frater, iſte eidem Baſilio amicitia, & conſuetudine conjunctus. Primus Nyſſæ in Cappadocia Epiſcopus, refutavit ſcriptis Apollinarem, Eunomium, & Manichæos, divinos libros expoſuit, orationes & epiſtolas edidit elegantiſſimas: & obiit an. 395. *Gregorius* alter Epiſcopus Nazianzi admodum valuit metro, ac ſoluta oratione, quemadmodum illius ſcripta cedro digna teſtantur. Vita functus eſt Orator, & Theologus præſtantiſſimus anno 389.

Hæreſeon conſcripſerunt Hiſtoriam *Epiphanius*, & *Philaſtrius*. Ille in *Panario*, hujusque Operis *Anacephaleoſi*, ſive Epitome: iſte in libro, cui titulus *de hæreſibus*. Fuit Epiphanius gente Palæſtinus, ſed Epiſcopus in Cypro Salaminæ, ſive Conſtantiæ, diemque ſupremum obiit anno 402. *Phylaſtrius* vero fuit Italus, & Epiſcopus Brixienſis, obiitque, ut ajunt, anno 387.

Summa laude, & admiratione dignus eſt Epiſcopus Mediolanenſis *Ambroſius*; nam cum ſecularibus litteris, cauſisque actitandis dediſſet operam, & Æmiliæ ac Liguriæ gereret præfecturam, inopinato electus Epiſcopus anno 374. in ſacra eruditione adeo profecit, ut libros de Patribus Veteris Teſtamenti, de Teſtamenti Novi Myſteriis & Sacramentis, de Miniſtrorum Officiis, in Evangelium Lucæ, ac plures varii argumenti epiſtolas, & orationes erudite eleganterque exornaverit. Deceſſit anno 397. pridie Nonas Aprilis.

Ceteros eloquentia, ſcriptorumque copia & delectu ſuperavit S. *Joannes Chryſoſtomus*, ortus Antiochiæ ad Orontem fluvium circa annum 354. a Flaviano presbyter ordinatus an. 386., locatus in ſede C. P. anno 398., renitente licet Theophilo Alexandrino; multaque hujus, & quorumdam aliorum Antiſtitum, necnon Eudoxiæ Auguſtæ cauſa perpeſſus, depoſuit exuvias mortalitatis in Comana Pontica anno 407. die 14. Septembris. Ut vero ejus ad populum Antiochenum, ceterasque Homilias, Orationes

de

de Sanctorum virorum laudibus, libros de Sacerdotio, contra Gentiles, contra Vituperatores vitæ Monasticæ, atque in Evangelium Matthæi, in Epistolas Pauli, & in Vetus Testamentum lucubrationes laudaremus amplissimas, illa orationis facundia opus foret, quæ ipsi peperit *Chrysostomi* appellationem.

De Hieronymo, Augustino, & Paulino Nolano, in quinti Seculi Synopsi agemus.

Jam vero eos, qui sapientia, non sanctitate floruerunt, carptim attingimus. Initio seculi adversus Gentes libros 7. florenti dictione scripsit *Arnobius* Afer, non omnino expers errorum. Gentilium pariter Theologiam in libris *Institutionum* impugnavit *Lactantius* Firmianus (*t*) cui & librum de Mortibus persecutorum, aliosque adscribunt; claruit autem sub Constantino. Versatus est in eodem argumento *Julius Firmicus Maternus*, qui edidit librum *de errore profanarum religionum* (*u*). De Ecclesiastica historia optime meritus est *Eusebius* Episcopus Cæsareæ in Palæstina, sed de Arianismo suspectus, eique debemus etiam, missis aliis, de Præparatione, & de Demonstratione Evangelica libros eruditissimos. Adversus hæreticos certarunt, & in divinos libros Commentaria ediderunt, Titus *Bostrensis* in Arabia Episcopus, qui obiit anno 363. *Didymus* Alexandrinus Hieronymi, & Rufini præceptor, qui anno 392. excesserat ætatis suæ annum 83.

(*t*) *Lactantius* videtur eruditis compluribus Afer, non Italus, utpote Arnobii auditor *Siccæ*. Fuit Crispi Cæsaris Præceptor. *Institutiones* scripsit circa annum 320. exorta persecutione Licinii. Erravit cum Millenariis: & negasse Spiritus Sancti *Substantiam*, inquit ad Pammachium S. Hieronymus. Obiisse dicitur Treviris senectute extrema. At locus, & annus mortis, incerti.

(*u*) *Julius Firmicus Maternus* natione Siculus ex gentili Christianus scripsit ad Constantium & Constantem Imp. circa annum 339.

83. *Victorinus* Afer, qui naturæ concessit circa annum 370. Evangelicam Historiam quatuor Carminum libris circa annum 330. complexus est *Juvencus* presbyter genere Hispanus.

Prætermitto *Basilium* Ancyranum, & *Tichonium* Afrum, Semiarianum unum, alterum Donatistam.

CAPUT V.

QUARTI SECULI IMPERATORES, ET MARTYRES.

Ineunte Seculo IV. *Diocletianum*, & *Maximianum Herculium* imperasse dictum est supra. Cœpit Diocletianus anno 301. *Coss. Posthumio* & *Nepotiano* sævire in milites, an. 303. in VIII. suo Consulatu adversus Christianos. Hæc est Ecclesiæ persecutio X. omnium crudelissima, incœpta Nicomediæ, ubi Ecclesia eversa est VII. Cal. Martias. Omnem fere orbem *sacro Martyrum cruore infectum* scribit Severus Sulpitius: interfecta uno die XVII. fidelium millia, & in sola Ægypto trucidata CXLIV. millia, unde Copti novam Æram subducunt (x).

Diocletianus, & Maximianus Herculius purpuram exuerunt anno 305. juxta Balutium, præcedenti anno juxta alios, & nuncuparunt Augustos. Maximianus Herculius *Maximianum Galerium* cognomento *Armen-*

(x) Persecutionis incentores fuerunt Gentiles Philosophi: prætextus incendium regii Nicomediensis palatii Christianis falso adtributum, ut imperante Nerone urbis conflagratio. Fraude Galerii nondum Augusti occultis ministris ignis palatio fuit subjectus. Quare Diocletianus jussit omnes suos excarnificari & igne torqueri. Lege Lact. de Mort. Persec. num. 14. ibidem num. 16. laudatur *Donatus*, novies sub tribus judicibus tortus. Fuerunt hi Bithyniæ præsides, Flaccius, Hierocles, & Prisicillianus.

Armentarium, quod olim in Dacia paſtoritiam exercuiſſet artem; Diocletianus vero *Conſtantium Chlorum*. Uterque anno 293. ab Herculio & Diocletiano adoptati fuerant, & Cæſares dicti; nam *Chlorus* uxorem duxerat privignam Herculii Theodoram, repudiata Helena, ex qua genuerat Conſtantinum; Galerio autem Maximiano nupſerat Galeria Valeria filia Diocletiani (*y*). Eadem die, qua Conſtantius, & Maximianus declarati fuerunt Auguſti. Cæſares creati ſunt *Severus*, & *Maximinus Daza*: & uterque erat nepos *Armentarii* ex ſorore.

Non diu *Conſtantius Chlorus* regnavit; ſed extinctus eſt Eboraci (*z*) anno 306. eique *Conſtantinus* Magnus ſucceſſit ſuprema patris voluntate, militumque conſenſu. Interea Cæſareæ *Maximinus* perſecutionem inſtauravit compellens omnes ſacrificare (*a*). Romæ autem imperium invaſit *Maxentius* Maximiani Herculii filius, qui patrem in Campania commorantem ad imperium rurſus evexit. Severo item, qui contra Maxentium ducebat exercitum, apud tres Tabernas occiſo, Maximianus Galerius Auguſtum nominavit anno 308. *Valerium Licinianum Licinium*, & hunc perſecutorem crudeliſſi-

(*y*) Priusquam Diocletianus & Maximianus Herculius exuerent purpuram, regia illius ſedes fuit Nicomedia Bithyniæ metropolis, Herculii Mediolanum, Conſtantii Chlori ſedes fuit Auguſta Trevirorum in Gallia, Maximiani autem Galerii Sirmium in Pannonia. Galerius pro Chriſtianis, ne diutius vexarentur, edictum Nicomediæ edidit anno 311. pridie Kal. Majas. Horrenda tabe conſumptum legitur in libro de Mort. Perſec. n. 35. Rufinus lib. 8. cap. 15. & Oroſius lib. 7. cap. 28. ajunt agitatum furiis vim ſibimet intuliſſe. Obiit Idibus Maji prædicto anno 311. Nullum ex Valeria filium ſuſcepit. Candidianum ex concubina procreatum Licinius occidit anno 313.

(*z*) In Anglia.

(*a*) *Maximinus* Valeriam Galerii viduam, eius nuptias recuſantem, relegavit cum Priſca matre & uxore Diocletiani in deſortas Syriæ ſolitudines.

liſſimum Chriſtianorum. Inierunt tum concordiam cum Maxentio Maximianus Herculius, & Galerius Maximianus; at illum Conſtantinus anno 312. ad pontem *Milvium* ſuperavit, (*b*) inſigni illa victoria, quam Crucis mirabilis apparitio præſignaverat. Habemus perſecutionem ſæviſſimam, incœptam ſub Diocletiano, & usque ad annum 312 ſubſecutam. (*c*.)

Singulos recenſere in hac perſecutione peremptos non vacat; oporteret enim omnia deflorare Martyrologia. Quosdam enumerabimus tamen. Nondum lata erant perſecutionis edicta, & Namnetis in Britannia lancea confoſſi obierunt *Rogatianus* & *Donatianus* germani fratres.

Romæ *Sebaſtianus* Mediolanenſis transfixus ſagittis, & *Felix* cum *Adaucto* ſecuri percuſſus. Nicomediæ *Pantaleo* nobilis medicus equuleo tortus, gladioque necatus. Tarſi abſciſſum caput *Bonifacio*, qui cum Aglae matrona Romana ſtupri habuerat conſuetudinem. Puteolis martyrio cum ſociis coronatus *Januarius* Beneventanus Epiſcopus. Coronatus in eadem perſecutione complures memorat Euſebius lib. 8. H. E. & in ſubjecto libro *de Martyribus Palæſtinæ*. Ait Nicomediæ vario mortis genere affectos *Dorotheum*, aliosque pueros Imperatoris cubicularios, *Gorgonio* eliſas laqueo fauces, *Anthimum* Epiſcopum truncatum capite, innumeros projectos in mare. In Armenia, Palæſtina, in Thebaide, ceterisque provinciis tanta ſacrorum miniſtrorum comprehenſa eſt multitudo, & capitis damnata, ut carceres, quibus continerentur, deeſſent. Illuſtre fuit martyrium *Philæ* Epiſcopi Thmuitarum,

(*b*) *Milvium* Victor, Prudentius contra Symmachum Paulus Diaconus, aliique dixere.

(*c*) In Perſecutione Diocletiani uno menſe coronata martyrio XVII. millia Chriſtianorum, inter quos *Marcellinus* Papa una cum *Claudio*, *Cyrino*, & *Antonino*. Vide Martyr. Rom. VI. Kal. Maj.

tarum, *Adaucti* Romana dignitate conſpicui. Quatuor Coronatorum, aliorumque, de quibus Faſti Sanctorum VI. Idus Novembris, *Luciani* presbyteri Antiocheni, *Petri* Alexandrini, *Felicis* Carthaginenſis, *Theodori* Ancyrani una cum ſeptem Virginibus, *Romuli* cum Infante, cujus martyrium deſcribit Prudentius. Inter Martyres Palæſtinos celebrantur *Procopius*, *Alphæus*, *Zacchæus*, *Timotheus*, *Timolaus*, *Dionyſius*, &c. Paſſi itidem in Cilicia *Cosma* & *Damianus*, ἀναργύροι nuncupati, quoniam gratis medebantur ægrotis; Gallicæ prope Nicomediam *Juſtina*, *Cyprianus*, & *Theoctiſtus*: in Africa *Saturninus*, *Criſpina*, aliique complures: Alexandriæ *Didymus* & *Theodora*: Chalcedone *Euphemia*: Tyri in Tuſcia *Chriſtina*: ad Aquas Granatas *Chryſogonus*: Hadrianopoli *Philippus* Heracleenſis: Valentiæ in Hiſpania *Vincentius*: Emeritæ *Eulalia*: Auguſtæ Vindelicorum *Afra* antea meretrix: Amaſeæ *Theodorus*: Nicomediæ *Barbara*: Syracuſis *Lucia*: in Achaja *Arcadius*: Romæ *Suſanna* & *Agnes*, *Cyriacus*, *Largus*, *Smaragdus*, alii. Foro Cornelii, ſeu Imolæ *Caſſianus*: Bononiæ *Vitalis* & *Agricola* (d): Cæſarauguſtæ ſub Maximiano Martyres XVIII. Sebaſtæ in Armenia *Blaſius*, & XL. Martyres ſub Licinio, &c.

Superato devictoque Maxentio, *Conſtantinus M.* primum cum Licinio, deinde ſolus imperavit ad annum usque 337. quo Achirone prope Nicomediam obiit XI. Cal. Junias, *Coſſ. Titiano* & *Feliciano*: eodemque anno V. Idus Sept. renuntiantur Auguſti tres illius filii, *Conſtantinus*, *Conſtantius*, & *Conſtans* (e): Diuturnior fuit principatus Conſtantii, quam

(d) Floruit ibidem circa hæc tempora, & Seculo tertio ad finem vergente, S. *Euſebius* Epiſcopus, Ambroſio Mediolanenſi amicitia conjunctus, & S. *Simplicianus* ejusdem Ambroſii ſucceſſor.

(e) Magni Conſtantini avi fuerunt *Eutropius*, & *Claudia*: parentes *Conſtantius Chlorus*, & *Helena*; noverca *Theodora*: fra-

quam fratrum: nam *Constantinus* occisus fuit prope Aquilejam *Coss. Acindino* & *Proculo*, anno 340. die 6. Aprilis: *Constans* a Magnentio in Galliis interfectus fuit sub initia anni 350. Consulatum *Sergio* & *Nigriniano* gerentibus; *Constantius* vero obiit *Coss. Florentio*, & *Tauro*, id est, anno 361. terio Nonas Octobris. Arripuit tunc imperium *Flavius Claudius Julianus* filius Constantii (f) & Basilinæ, qui a Christi fide ad cultum idolorum descivit, *Apostata* idcirco denominatus. Sæviit & is in Christianos anno 362, cum conflagrasset templum Apollinis in Daphne (g). Sed Apostata scelestissimus ictu cælitus immisso miserrime interiit die 27. Junii anno 363. ipsomet *Juliano IV.* & *Promoto Coss.*

In persecutione Juliani martyrio coronati fuerunt Antiochiæ *Artemius*, Alexandriæ *Gallicanus*, Cæsareæ in Cappadocia *Eupsychius*, Aretii *Donatus* Episcopus, & *Hilarinus* monachus, Romæ *Gordianus* & *Epimachus*, *Joannes* & *Paulus*, *Bibiana* virgo, &c.

Extincto Juliano, imperator a militibus renunciatus est *Flavius Jovianus*, aliis *Jovinianus*, e Pannonia; & Joviano mortuo anno proximo 364. die 17. Februa-

---

tres a Theodora geniti *Hanniballius* pater Dalmatii, *Constantius* pater Galli, & Juliani Apostatæ: sorores *Constantia*, Licinii conjux, & *Anastasia* uxor Bassiani: uxores *Minervina*, ex qua genuit Crispum, quam Sex. Aurelius Victor ait fuisse *concubinam*, & *Maximiana Fausta* filia Max. Herculii, ex qua suscepit *Constantinum*, *Constantium*, *Constantem*, *Constantiam*, & *Helenam*.

(f) *Constantius* pater Juliani fuit Constantini Magni frater, non filius. Idem Constantius non ex Helena, sed ex Flavia Maximiana Theodora genitus fuerat, ac frater fuit Hanniballii. Apud Suidam Julianus dicitur *Parabata*. Uxorem habuit Flaviam Maximianam Helenam filiam Constantini Magni.

(g) Eodem anno 362. Julianus ad Hebræos scripsit Epistolam 25. reædificationem Jerusalem Templique suadens: quod illi. opus proximo anno 363. aggressi sunt, sed frustra.

Februarii *(h)* succeſſit *Flavius Valentinianus*, ejusque frater *Fl. Valens* Orienti præfectus. *Gratianus* quoque filius Valentiniani & Severæ a patre appellatus eſt Auguſtus anno 367. IX. Cal. Septembris. Deceſſit *Valentinianus* anno 375. die 17. Novembris, eique ſuffectus eſt *Valentinianus Junior*, illius & Juſtinæ filius, & ex patre frater Honorii. *Valens* occubuit anno 378. die 9. Auguſti. *Gratianus* anno 383. die 25. Auguſti. *Valentinianus* Junior occiſus eſt ab Eugenio anno 392. die 15. Maji. Imperarunt tum *Theodoſius* & *Arcadius*; quorum ille filius Honorii & Thermantiæ *(i)* a patre Auguſtus dictus fuerat an. 379. *Arcadius* vero filius Theodoſii & Flaccillæ a patre conſors imperii declaratus eſt cum Honorio filio itidem Theodoſii. Obiit Theodoſius anno 395. die 17. Januarii: atque hinc ſubducitur Arcadii, & Honorii principatus; quorum anno 6. *Coſſ. Aureliano* & *Stilicone* deſiit quartum Eccleſiæ Seculum.

Imperante Honorio, aut Gratiano ab Hunnis martyrio affectæ ſunt *Urſula*, & aliæ Virgines *(k)* quarum numerus fidem ſuperat, & forte in Actis, pro *Undemilia*, undecim mille irrepſere. Floruerunt etiam hoc Seculo eximia ſanctitate, præter enume-

(h) Id quidem juxta Socratem, aliosque aſſerentes diem Joviani emortualem fuiſſe XIII. Kal. Martias: ſed in Cod. Theod. lib. 9. tit. 25. extat ejusdem Joviani lex contra raptores biduo poſt latam, nempe XI. Kal. Martii, & die 19. Februarii. Obiit Dadaſthanæ inter Galatiam & Bithyniam. Poſt Joviani obitum deſignatus Imperator *Salluſtius P. P.* dignitatem renunciavit ſenectutem cauſatus; concurrentibus in ejus filium ſtudiis ait hunc vero nimium eſſe juvenem.

(i) *Honorius*, & *Thermantia* parentes Theodoſii Magni confundendi non ſunt cum Honorio filio ipſus Theodoſii & Flaccillæ, & Arcadii fratre, & cum Æmilia Materna Thermantia filia Stiliconis, & Honorii ſecunda uxore.

(k) Harum quidam putant mentionem fieri in *Philepatro* Luciani, ideoque inficetum libellum huic abjudicant: ſed locus ambiguus eſt.

ratos præcedenti capite inter Scriptores, *Hilarion* & *Paphnutius* monachorum patres, *Jacobus* Nisibi in Mesopotamia, *Eustathius* Antiochenus, *Nicolaus* Mirensis, *Dionysius* Mediolanensis, *Martinus* Turonensis, *Zenobius* Florentinus Antistes; ac matronæ sanctissimæ, *Helena* mater Constantini, *Monica* Augustini parens (*l*), *Marcellina soror Ambrosii*, & *Paula* Romana.

CAPUT VI.

QUÆ SECULO IV. DOCTRINA, ET DISCIPLINA VIGUERINT.

Dei Verbum esse Patri *consubstantiale*, & unum οὐσίᾳ, quomodo traditur in Evangelio, confirmatum est perfidiæ Arianicæ confutatione. Retinendum didicimus ὁμοούσιον, & ὁμοιούσιον caute usurpandum, atque in sensu Semiarianorum rejiciendum. Divinam in Christo humanamque naturam, & in ista rationalem animam mentemque inesse, ut divinæ dispensationis postulat ordo, declaratum est luculentius. Spiritus sancti propugnata est contra Macedonianos divinitas. Perpetua Deiparæ Virginitas vindicata. Deum carere corporeis membris, prout naturalis etiam ratio suadet, & liberum arbitrium non constringi fatali necessitate, ex hujus seculi expulsis erroribus evidentius dignoscitur.

Eucharistia nomine *Fermenti* ad fidelium unionem servandam hoc seculo dirigebatur ad *Titulos*. Chrisma a solis Episcopis conficiebatur; quamvis eo presbyteri linirent verticem baptizati. Episcopus Ostiensis in consecratione Romani Pontificis pallio utebatur. Siricii constituto Sacerdotes, & Diaconi, non-

(*l*) Marcellina inter Virgines colitur.

nonnisi cœlibes eligebantur, & clericorum officiis aggregari cœperunt Monachi, quos morum gravitas commendabat (*m*).

Postquam enim in Thebaide Eremiticæ vitæ tyrocinia posuerat *Paulus* vita functus an. 343. ætatis suæ 113. cœperunt Monachorum propagari institutа. S. *Antonius* Abbas iis vivendi leges præbuit an. 310. Paulo post *Pachomius* auctor fuit Tabenensium. *Basilius* regulas Monachis tradidit circaan. 363. Instituit etiam congregationem & monasterium erexit an. 380. S. *Ambrosius*. Institutum monasticum in Italiam a S. Athanasio allatum, invexit in Africam *Augustinus*, & prope Tagastem cum *eremitis* exercere cœpit an 387. Idem creatus Hipponensis Episcopus communem vivendi formam an. 395. præscripsit Clericis; unde *Canonicorum Regularium* Augustinensium manavit Ordo. Maronitæ in Syria a *Marone* monacho ac Presbytero religiosissimam vitam agente ad Orontem non procul ab Apamea, hoc exeunte seculo originem nomenque traxerunt.

(*m*) Dirutis hoc seculo fanis & simulacris idolorum, plurima erecta sunt Christiani cultus templa. Nam in solo libro III. Vitæ Constantini ab Eusebio descriptæ numerantur templum ad Sepulchrum Domini cap. 33. Bethlehemiticum ab Helena illius matre constructum cap. 43. magnificentissimum, in honorem Salvatoris Nicomediæ cap. 50. in loco, qui vocabatur Mambre, cap. 51. apud Heliopolim cap. 58. &c. De Ecclesiis autem imperante, & adjuvante Constantino Romæ, Albani, Neapoli, Constantinæ in Numidia, & in regia præsertim urbe Constantinoplis, legendum Opus Joannis Ciampini de sacris Ædificiis a Constantino Magno constructis. Complura quoque Theodosius Magnus, ejusque filii Arcadius & Honorius construxerunt. Dirutum inter alia *Consule Manlio*, nempe anno 399. Carthagine simulacrum *Cælestis*. Hinc S. P. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 54. demonstrat, quam falsum sit jactatum a Gentilibus oraculum, per annos solummo-

do

APPENDIX.

DE REBUS EXTERNIS MEMORABILIBUS.

Bella Cæsarum, aliorumque, eventus quosdam memoria dignos, Scriptoresque celebres breviter recensebimus. Constantinus Magnus (*n*) post cædem Maxentii, an. 313. in Gallias concesserat, rebus cum Licinio compositis; sed bellum inter illos

---

do 365. Christi nomen fuisse colendum, postea vero religionem nostram penitus fuisse delendam. Lege & Prosperum lib. 3. de prædict. capite 38. Ubi *Cælestis*, seu Junonis, erat templum, consecrata est ab Aurelio Carthaginensi Antistite amplissima Ecclesia. Condita Constantinopoli a S. Gregorio Nazianzeno sacra ædes, quam ἀναστασίαν nominavit, quod illic fides langueſcens videretur revixisse. Vide ejusdem Gregorii orationem 32. Distinguenda hæc est ab *Anastasia* Ecclesia Novatianorum memorata a Socrate lib. 2. Cap. 38. Idem Historicus lib. 6. cap. 6. laudat templum S. Euphemiæ Chalcedone ubi inter Gainam & Arcadium Imp. inita concordia fuit. Meminit quoque eo loci Constantinopolitanæ Ecclesiæ Gothorum, & alterius Joanni Apostolo dicatæ, quæ ab urbe distabat septem millibus passuum. De *Serapio* Paganorum templo in Ecclesiam Alexandriæ commutato legendus Sozomenus lib. 7. cap. 15. Circa annum 330. *Frumentius* Abyssinos ad Christi fidem convertit.

De Monachis in Thebaide degentibus, eorumque institutis & disciplina, item de Scetiensibus, de Nitriensibus, & monasteriorum Celliæ, de Palæstinis, Syris, & Edessenis, vide Sozomenum lib. 6. Palladium in Hist. Lausiaca, &c.

(*n*) Superatus Maxentius an. 312. VI. Kal. Novem. De cœlesti signo, quod Constantino M. apparuit, vide Euseb. lib. 9. Hist. E. cap. 9. & lib. 1. de Vita Const. cap. 40. ubi etiam inscriptio posita ad basim statuæ suæ dextera vexillum crucis gestantis: quam statuam illam esse puto, quæ servatur in atrio Basilicæ Lateranensis a Clemente XII. exornatæ. Vide & librum de Mortib. Persec. c. 40. notasque Stephani Baluzii, & Gisb. Cuperi.

los anno 315. exortum est, mortuo etiam Maximino: qui an. 313. a Licinio in Illyrico devictus fugit in Asiam, & Tarsi in Cilicia toto corpore exeso, & desilientibus e capite oculis miserrime periit (o). Bellum tamen Augustorum aliquandiu cessavit, inito rursus fœdere. Sarmatas anno 316. Constantinus expugnavit, occiso illorum Rege Rosimundo. Gallicanus Dux eodem anno Scythas compressit. Exortum iterum an. 323. bellum inter Licinium & Constantinum: at Licinius tribus præliis a Constantino victus sese Imperio abdicavit, per uxorem Constantiam Constantini sororem impetrata salute. Verum idem Licinius anno 325. Thessalonicæ novas res molitus fracto gutture occiditur, illata etiam morte Martiniano, quem Cæsarem nominaverat (p). In Gothos anno 332. Constantinus victrices manus convertit, eosque apud Sarmatas debellavit. Quando prope Nicomediam anno 337. decessit, parabat adversus Persas expeditionem. Constantinus Junior anno 340. intulit bellum Constanti, & latrocinii specie in illius fines irrupit; sed interfectus, & in Alsam fluvium (q) projectus fuit. Domuitque anno 341. Constans Francos. Contra Magnentium, qui anno 350. apud Augustam arripuit imperium, & Constantem occidit, anno proximo 351. castra movit Constantius. Pugnatum apud Mursam in Pannonia; ac primum vires Romani imperii fuerunt attritæ: victus tamen Magnentius, qui de-

(o) *Maximinus* bellaturus cum Licinio Jovi votum vovit, ut si victoriam retulisset, Christianorum nomen extingueret, funditusque deleret. Licinius autem ab angelo præmonitus cum toto exercitu preces obtulit summo Deo. Pugnatum pridie Kalendas Majas.

(p) Divisit Constantinus anno 330. Romanum Imperium in duas partes, Orientis unam, Occidentis alteram; unde Aquila Imperii stemma pingitur biceps: quo pertinet versus,

Picta biceps Aquila hinc occasum, hinc aspicit ortum.

(q) Non procul ab Aquileja.

ſperatis rebus anno 353. apud Lugdunum ſeipſum interemit, quemadmodum apud Senones laqueo ſibi mortem intulit Decentius, quem ille Cæſarem appellaverat. Julianus anno 357. ingentes Germanorum copias apud Argentoratum fudit, capto Chonodomaro rege. Gerebat anno 363. bellum contra Perſas, dum miſerabili, ut ſupra dictum eſt, periit fato. (r) Valentinianus anno 370. Saxones ejecit e Galliis: 371. in fugam vertit Germanos. Gothi, qui anno 376. ab Hunnis expulſi, permiſſu Valentis in Thracia ſedem fixerant, fame compulſi propter avaritiam Maximi ducis, anno 377. rebellarunt a Romanis: & ipſo ac ſequenti anno Romanorum legiones in Thracia internecione pene deletæ ſunt. At anno 380. Theodoſius multis prælis Gothos vexavit, eosque expulit e Thracia. Idem Theodoſius

---

(r) Quidam a S. Mercurio Martyre Julianum lancea transfixum ſcripſere. Moriens vero cruorem e vulnere manantem manu hauſtum projecit in aerem, dicens, *Viciſti, Galilæe, viciſti.* Obiit 2. imperii anno, ætatis ſuæ 31. Exuſtum anno 368. igne ad preces S. Babylæ M. e cœlis emiſſo templum Apollinis in Daphne ſcribit S. Joannes Chryſoſtomus orat. in Babylam, & contra Gentes, necnon Sozomenus lib. 5. H. E. cap. 20. Fuerat primum Julianus in Eccleſia Lector, baſilicam in honorem Martyrum conſtruxerat, revocaverat ab exilio pulſos a Conſtantio Epiſcopos, Meletium Antiochenum, Athanaſium Alexandrinum, Euſebium Vercellenſem, Luciferum Calaritanum, &c. Factus autem apoſtata *Apollinem Pythium* apud Daphnem conſuluit, ſacra vaſa in publicum ærarium juſſit inferri; templorum fores obſtruxit, ſacram menſam fertur perminxiſſe. Chriſtianis, quos *Galilæos*, aut filios *Galilæorum* appellabat, inhibuit ſtudia, eosque expelli mandavit a militia, in urbe Paneade ſubverſa ſtatua, quam erexerat mulier a profluvio ſanguinis a Chriſto liberata, propriam locavit, igne e cœlis elapſo ſtatim diſciſſam. Judæis indulſit, ut rurſus Jeroſolymitanum templum erigerent, quod terræ motu lapides diruente, flammisque e fundamento erumpentibus perterriti, diſperſi, conſumpti fruſtra tentarunt. Eodem momento, quo contigit, ſceleſtiſſimo principis cædes revelata divinitus fuit *Juliano* ſanctiſſimo Anachoretæ. Hæc ex Socrate lib. 3. Sozomeno libro 5. Theodoreto libro 3. Eccl. Hiſt. & ex Marcellino, aliisque Hiſtoricis deprompta ſunt.

sus anno 386. delevit Gurtungos Istrum transgressos. Superavit quoque anno 388. tertio ab Aquileja lapide Maximum, qui imperium per seditionem usurpaverat. Tanta demum sorte anno 394. prostravit ingentem Gallorum & Francorum exercitum ab Eugenio tyranno collectum, ut vento vehementer flante hostium tela in ipsos retorquerentur. Hinc Claudianus ita alloquitur Theodosium,

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Diximus de præliis: eventus modo attingamus alios. Anno 326. Crispus Constantini filius occisus est, quasi de stupro Faustam novercam interpellasset. Interfectus est etiam Licinius Junior filius Licinii A. & Constantiæ, juvenis innocens & egregius. Helena ad levandum dolorem Jerosolymam profecta, illic Crucem Domini humi defossam invenit. Encænia novæ urbis Constantinoplis anno 330. celebrata fuere, cunctis idolorum templis eversis. Interfectus anno 354. in Istria jussu Constantii patruelis sui Gallus Cæsar ob effectati Imperii suspicionem. Terræmotu anno 365. adeo totus orbis concussus est, ut mare littore egrederetur, & populi innumerabiles opprimerentur. Prodierunt anno 379. ex peninsula Scandia (*s*) Langobardi, regionemque Vandalorum occupavere. Anno 390. ignea columna visa est per dies triginta ex aere pendere cum magno omnium terrore: ejecta ab Arcudio privigno Galla Placidia; & patrata a Theodosio cædes Thessalonicensium, quod interfeciissent Boterichum præfectum militum in Illyrico. Postremo hujus seculi anno

(*s*) Scandia inter mare Suevicum ad Austrum, & Septentrionale ad Arctos, sive inter Norvegiam & Sveciam. *Vagina* dicitur a Jornande, quod inde Gothi, Vandali, & Langobardi prodierint ad aliorum perniciem.

Alaricus Gothorum ductor e Pannonia (*t*) in Noricum, hinc vero in Italiam per saltus Tridentinos irrupit.

Conscripserunt hoc seculo historias *Aesclepiodotus* a Vopisco laudatus: *Trebellius Pollio*, qui Volumen historicum inscripsit *de XXX. Tyrannis*, inter quos Valentem falso connumerat: *Julius Capitolinus*, in quo Sigonius reprehendit nimiam verbositatem: *Ælius Lampridius*, dictus *pedester & humilis*: *Flavius Vopiscus*, qui trigam edidit imperatorum *Cari*, *Numeriani*, & *Carini*, & vitam Aureliani: *Ælius Spartianus*, cujus pauca extant excerpta: *Aurelius Victor*, cui tamen supponitur libellus inscriptus, *Origo Gentis Romanæ*: *Eutropius* Sophista, & *Sextus Rufus* vir Consularis, qui Epitomes, seu Breviaria ediderunt: *Ammianus Marcellinus*, cujus libri primi XIII. perierunt, veritatis studiosissimus scriptor: *Eunapius*, cujus extat *de Vitis Sophistarum* Opus elegans & venustum. Vario autem scientiarum genere claruerunt *Chalcidius* Timæi Platonis commentator: *Jamblicus* Porphyrii discipulus, qui erudite scripsit *de Chaldæorum*, *Ægyptiorumque mysteriis*: *Themistius* philosophus, doctissimus Aristotelis Paraphrastes: *Julianus* A. historicus & rhetor, (*u*) Deo simul & hominibus exosum animal: *Macrobius* reconditæ scientiæ auctor, omnigena in *Saturnalibus* argumenta pertractans (*x*): Poetica insu-

(*t*) Pannonia Europæ regio inter Danubium & Savum, atque inter Noricum & Mysiam. Noricum complectitur Austriam, Stiriam, Carniolam, Carinthiam, partem Bavariæ, necnon loca quædam Comitatus Tyrolensis Boream versus.

(*u*) De *Juliani* libris adversus religionem Catholicam refutatis a S. Cyrillo Alexandrino, & reliquis a Petavio illustratis, vide Caveum in Seculo Ariano. De libro, quem inscripsit, Μισοπώγωνα. Sozom. lib. 5. cap. 19.

(*x*) *Pappus* Alexandrinus Philosophus a Suida laudatus, & *Rufus Festus Avienus* illustris poeta, qui floruerunt postremis Theodosii Magni temporibus.

insuper arte excelluerunt *Aurelius Prudentius*, quem Card. Bona appellabat *Pindarum Christianum*: *Ausonius* Burdigalensis, in quo multiplex eruditio, ingenium peracutum, sed duriusculus stylus: &. *Claudianus* Latine, & Græce doctus, ut in eum diceretur anima Virgilii, & Homeri transfusa (y). Denique adversus Christianam religionem scripserunt *Hierocles* Philosophus, & Alexandrinæ Urbis Præfectus, quem refutavit Eusebius: *Libanius* Antiochenus Sophista, cujus auditor fuit S. Jo. Chrysostomus adolescentulus (z). *Aur. Symmachus* urbis Senator, quem strenue confutavit S. Ambrosius: & *Maximus* Madaurensis irrisor Martyrum, cujus ludicram ineptamque nugacitatem S. P. Augustinus perstrinxit.

(y) Quidam Florentinum faciunt, cum tamen fuerit Alexandrinus.

(z) Huic Libanio petenti a ludimagistro Christi cultore, quid ageret filius fabri, responsum fuit: *Conditor universi, quem tu per ludibrium fabri filium appellas, ligneum feretrum domino tuo Juliano fabricatur.* Id contigit paulo ante Juliani obitum. Conferantur verba Sozomeni libro 6. H. E. cap. 2. cum iis, quæ leguntur apud Theodoretum lib. 3. cap. 23.

QUIN-

QUINTUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

ENUMERANTUR PONTIFICES MAXIMI.

Pastores Romanæ Ecclesiæ quinti Seculi sunt *Innocentius I.*, *Zosimus*, *Bonifacius I.*, *Cælestinus I.*, *Sixtus III.*, *Leo* Magnus, *Hilarus*, *Simplicius*, *Felix III.*, *Gelasius I.*, *Anastasius II.* & *Symmachus*, omnes albo Sanctorum adscripti.

XLII. Innocentius I. Albanensis inauguratus anno 402. *(a)* causæ S. Joannis Chrysostomi contra Theophilum Alexandrinum patrocinatus, pulsis ex Urbe Novatianis, & Pelagianis, ut verbis utamur Prosperi, Apostolico mucrone percussis, post annos Pontificatus 15. *Coss. Honorio A. XI.* & *Fl. Constantio II. anno* 417. cessit e vita.

XLIII. Subrogatus est *Zosimus* Græcus genere, qui cum Cælestio aliquando lenius se gessit, sed ejus fraude detecta, ipsum ceterosque Pelagianos damnavit; obiitque post annum Episcopatus in *XII. Consulatu Honorii A. anno* 418.

XLIV. Ecclesiæ deinde præfuit *S. Bonifacius* Rom. quamquam perpauci favore Symmachi P. V. Ponti-

(a) Qui Pagii sequuntur Chronologiam, Innocentium creatum Pontificem tradunt anno 401. *Cælestinum* anno 422. *Simplicium* an. 463. ceteris vero nulla est discrepantia.

Pontificem nominarent Eulalium Archidiaconum; quem Honorius principio favore prosecutus, ut ex urbe pelleretur, mandavit, Bonifacio munus suum obeunte ad annum usque 423. quo e vita migravit *Consule Mariniano.*

XLV. Post hunc sedit ultra annos 8. *S. Cœlestinus I.* qui Novatianos ejecit, Nestorianos damnavit, Semipelagianos compescuit, & concessit naturæ VIII. Idus Aprilis *Coss. Valerio*, & *Aetio*, anno scilicet 432.

XLVI. Inauguratus tum Pontifex *Sixtus III.* Juliani Eclanensis, aliorumque Pelagianorum infectator acerrimus. Qui administrato annis fere 8. Pontificatu, obiit V. Cal. Aprilis anno 440. *(b) Coss. Valentiniano A. V. & Fl. Anatolio.*

XLVII. *S. Leo I.* hæreticorum omnium, præsertim Eutychianorum oppugnator sanctitate, sapientia, facundia, qua Attilam, & Genfericum linivit, ac deterruit vere Magnus, & jure, meritoque a Benedicto XIV. declaratus Ecclesiæ Doctor, successit Sixto, & supra annos 20. rexit Ecclesiam, mortuus *Coss. Dagalaipho & Severino* anno 461.

XLVIII. Suffectus Leoni M. *Hilarus* natione Sardus *(c)*. Is Eutychem, Nestorium, & Macedonium rursus damnavit; obiitque IV. Idus Sept. an. 467. *Coss. Pusæo & Joanne.*

XLIX.

(b) Id confirmatur auctoritate S. Prosperi. Supra 40. dies Romanam Ecclesiam fuisse sine Antistite, mirabili pace ac patientia expectando adventum Leonis Diaconi, scribit idem Prosper.

(c) Hilarius vulgo dictus. Defunctum expletis sex Sacerdotii sui annis tradit etiam Idatius in Chronico. *Hilarus* dicendus: nam extant ad Lateranum inscriptiones: *Hilarus Episcopus plebis Dei. In honorem Joannis Baptistæ Hilarus Episcopus Dei famulus offert. Liberatori suo Joanni Evangelistæ Hilarus Episcopus famulus Christi.*

XLIX. Deceſſorum exempla ſecutus S. Simplicius Tiburtinus irritos reddidit Eutychianorum, iisque faventium Zenonis Auguſti, & Acacii conatus, præfuitque Eccleſiæ ultra annos 15. vita functus *Conſule Anicio Fauſto*, nimirum an. 483.

L. Pontificatum deinde auſpicatus eſt Felix III. qui rejecit Zenonis *Henoticum*, (*d*) & anathemate percuſſit Acacium C. P., Petrum Moggum, & Fullonem, obiitque nono Pontificatus anno, V. Æ. 492. *Anaſtaſio A. & Rufo Coſſ.*

LI. Sedit poſt Felicem S. *Gelaſius* Afer, corporeis vinculis ſolutus anno Epiſcopatus ſui quinto, *poſt Conſulatum Viatoris*, id eſt, anno 196. poſt expunctum e diptychis Acacii nomen, ejectos Manichæos, reciſa germina Pelagianorum, Canonicos ab Apocryphis libris diſtinctos, ſublataque Lupercalia.

LII. Tenuit poſtea Epiſcopatum *Anaſtaſius II.* Romanus, pro Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ unione, quam Epiſtolis, legatis, probatisque ordinationibus Acacii a communione ſegregati, curavit quam maxime, mirum in modum ſollicitus: defunctus 2. Pontificatus anno, Æ. Com. 498. *Conſule Decio Paulino.*

LIII. Deinde evectus eſt ad ſupremum Eccleſiæ regimen *Symmachus* e Sardinia, Pontificatu functus ſumma animi conſtantia adverſus ſchiſma *Laurentii* ultra annos 15. Fuit enim illi extrema dies XIV. Kal. Auguſti anno 514. *Conſule* absque collega *M. Aur. Caſſiodoro Senatore.*

PATRIARCHARUM NOMINA.

Alexandrinæ Eccleſiæ præfuerunt poſt Theophilum *Cyrillus*, *Proterius*, *Timotheus Solophaciolus*

(*d*) Decretum *Unitivum*, ſeu *Conciliatorium*, latum in favorem Eutychianorum, ut in communionem reciperentur a Catholicis.

lus, *Joannes Talaia*, Eutychianis prætermissis: Antiochenæ post Flavianum *Porphyrius*, *Alexander*, *Theodorus Joannes*, *Domnus*, *Maximus*, *Basilius*, *Martyrius*, *Julianus*, *Joannes*, *Stephanus*, *Stephanus* alter Martyr, *Calendio*, *Palladius*: Jerosolymitanæ post Joannem *Praylius*, *Juvenalis*, *Anastasius*, *Martyrius*, *Salustius* & *Elias*.

CAPUT II.

SECULI ECCLESIÆ V. CONCILIA.

In tres classes plura Seculi V. Concilia dividimus, quæ adversus hæreticos, quæ pro variis disciplinæ capitibus, & quæ rejicienda sunt, secernentes.

Adversus Donatistas, Pelagianos, Nestorianos, & Eutychianos celeberrimi habiti sunt sacrorum Antistitum conventus: & primo contra Donatistas in Catholicos armis irruentes anno 404. congregati *Carthagine* Episcopi Afri ediderunt *Commonitorium Synodicum* ad Honorium Augustum. Duobus proximis annis 405. & 406. *in eadem Urbe* Episcopi congregati de ipsorum Donatistarum, & paganorum molitionibus certiorem reddiderunt Imperatorem, & contra illos Honorii obtinuerunt Rescripta. Synodos eamdem ob rem coegerunt an. 408. & 410. & impetrarunt a Principe, ne palam convenirent, ritusque suos exercerent, proscriptionis ac mortis pœna proposita. Habita anno 411. celebris *Collatio Carthaginensis* coram Marcellino Tribuno, triplici absoluta congressu. Convicia, & mendacia in Collationem illam a Donatistis conficta, refutata fuerunt in Concilio *Cirtensi*, habito in Numidia an. 412.

Celebratas in causa Pelagianorum 24. Synodos, Augustino superstite, enumerat Garnerius; sed celebrio-

lebriores tantummodo recenſebo. Primo Pelagius & Cœleſtius damnati fuerunt in Synodo *Carthaginenſi* ſub Aurelio an. 412. In *Jeroſolymitana* ſub Joanne anno 415. In *Dioſpolitana*, ubi tamen Pelagius callide fidem ſuam occultavit, anno ipſo 415. ſub Eulogio. In *Milevitana* ſub Primate Numidiæ Silvano, anno 416. In *Romana* ſub Innocentio I. anno 417. & in altera eodem anno ſub Zoſimo. In *Conſtantinoplitana* ſub Attico, & in *Antiochena* ſub Theodoto, eodem pariter anno. In plenaria *Carthaginenſi* ex omnibus Provinciis Africæ an. 418. ab Aurelio collecta, *Anazarbi* in ſecunda Cilicia ſub Maximiano an. 422. In *Africana* Univerſali, & in *Romana* ſub Cœleſtino, anno 425. In *Arelatenſi* ſub Honorato an. 427. Poſt Auguſtini autem obitum damnati fuerunt Pelagiani in Concilio *Epheſino*, de quo infra.

Adverſus Neſtorianos indixere Synodos *Romæ* Cœleſtinus an. 430. & ſeq. quo tempore etiam *Alexandriæ* Concilium coegit S. Cyrillus. Anno autem 431. Pontificis nutu, ac Theodoſii Divali habita eſt Synodus *Epheſina*, inter Oecumenicas III. S. Cœleſtinus vices ſuas commiſit Cyrillo. Interfuerunt Epiſcopi 274. Damnatus Neſtorius, & rurſus Pelagius: una in Chriſto propugnata perſona, atque intra utramque naturam unitio, quam Theologi appellant *Hypoſtaticam*. Virgo Maria declarata eſt Θεοτόκος. Neſtoriani *Simoniani* dicti fuerunt, eorumque libri proſcripti an. 435. in Concilio *Armenorum*.

Hæreſim Eutychianam Neſtorianæ oppoſitam, & unam aſſerentem Verbi incarnati naturam, proſcripſit an. 448. Synodus *Conſtantinopolitana* ſub Flaviano, & alia ibidem celebrata an. 450. Proximo anno 451. Marciano Imperante celebratum eſt Concilium *Chalcedonenſe*, quod eſt Oecumenicum IV. convenientibus 690. ut fertur, Epiſcopis. Damnati ſunt Eutyches & Dioſcorus: approbata Leonis Magni *Epiſtola ad Flavianum*. atque actitata eſt cauſa Theodoreti, & Ibæ Edeſſeni. Synodis iſtis contra hæreſes celebratis adde Romanum anni 444. ſedente Leone Magno contra Manichæos,

&

& plenariam *Hiſpanicam* an. 447. adverſus Priſcillianiſtas, de cujus loco non conſtat.

Firmata Eccleſiæ diſciplina anno 401. circa parvulos ab hæreticis baptizatos in Concilio *Africano*: de cauſis Epiſcoporum ſynodali judicio finiendis an. 402. in Concilio *Numidiæ*: de reconciliandis Donatiſtis an. 403. in Concilio III. *Carthaginenſi*: de irritis ordinationibus an. 405. in Synodo *Toletana*: de Andronico Libyæ Præfecto anathemate a ſubditorum vexatione cohibendo, an. 411. in Synodo *Ptolemaidis*: de electione Heraclii, ut Auguſtino in Epiſcopatu ſuccederet, anno 426. in ſinodo *Hipponenſi*: de purgatione criminum, quorum inſimulabatur Sixtus, an. 433. in Concilio *Romano*: de rebus multis ad jus Eccleſiaſticum pertinentibus an. 441. *in Arauſicano*: de diverſis Eccleſiaſticis legibus anno 452. in Synodo *Arelatenſi*; & de retinendis, rejiciendisve libris in *Romana* Gelaſii an. 494.

Reprobatur Synodus *ad Quercum* prope Chalcedonem anni 403. ſub Theophilo Alexandrino contra S. Joannem Chryſoſtomum; *Latrocinalis Epheſina* pro Eutychete anno 449. ſub Dioſcoro, cujus acta ſtatim Leo Magnus abolevit. *Conſtantinopolitana* Eutychianæ factionis anni 496. qua approbatum fuit Zenonis *Henoticum*; & *Conſtantinopolitana* celebrata anno 499. juſſu Anaſtaſii Imp. in qua Epiſtola S. Leonis Papæ, Concilium Chalcedonenſe, omnesque confitentes duas in Chriſto naturas impio damnati ſunt anathemate.

CAPUT III.

EXORTÆ QUINTO SECULO HÆRESES.

Conſtat ex dictis, tres erupiſſe quinto ſeculo hæreſes præcipuas, Pelagianam, Neſtorianam, & Eutychianam. Priori nomen dedit *Pelagius* Bri*Berti*, *Breviarium*. Tom. I. M tan-

tannus, ex eo Monachorum genere, qui sui juris ad instar Philosophorum vivebant. Fuit Romæ sedente Anastasio, atque inde discessit circa annum 409. Ibi audivit Rufinum, scripsitque librum *Eulogiarum*. In Siciliam cum Cœlestio, hinc in Africam, mox in Palæstinam transmisit. Vivebat adhuc anno 420. Post hæc tempora altum de illo silentium. Negavit originale peccatum transfundi in posteros Adæ, & a gratia præveniri liberum voluntatis arbitrium, affirmans eamdem gratiam dari secundum merita nostra. Pelagii hæresis etiam *Cœlestiana* dicta est a Pelagii discipulo *Cœlestio*, quem alii Scotum faciunt, alii Campanum. Affinis Pelagianæ hæresi fuit error *Semipelagianorum*, qui licet Christi gratiam necessariam assererent ad faciendam perficiendamque justitiam, illam tamen non requirebant ad initium fidei, & ad primum bonæ voluntatis affectum. (*e*)

Conjuncti necessitudine quadam erroris Pelagianis fuerunt *Nestoriani;* nam hi dogmatizabant Christum *purum* hominem natum ex Virgine, suisque meritis, & liberi arbitrii viribus ad talem gratiam perveniisse, ut Filius Dei diceretur. Hausit hoc venenum a Theodoro Mopsuesteno *Nestorius* Syrus, qui an. 428. Sisinio successit in Episcopatu C. P., & duas in Christo dogmatizans personas, seu Deum hominemque, non ὑποστάσει, sed morali tantum unione conjunctos, contendebat Virginem hominem peperisse, non Deum, ac proinde χριστοτόκον, non θεοτόκον esse vocandam. Damnatus a Patribus Ephesinis, & in exilium pulsus, post multos errores periit

(*e*) Inter propugnatores hæresis Pelagianæ, post eos, qui ejusdem hæresis sparserunt semina, *Origenem*, *Theodorum*, *Rufinum* & *Anniamum* Diaconum Celedensem, principem locum deberi *Juliano* Eclanensi Episcopo, cui cum Augustino diuturnum fuit acerrimumque certamen, nemo unus ignorat.

riit circa annum 440. Oasi in Libya terræ allisus, eique erosa vermibus lingua. (*f*)

Eutychianis nomen dedit *Eutyches* C. P. Archimandrita. Is jam senex circa an. 448. cœpit asserere, unam esse in Christo naturam, ex Divina atque humana permixtam. Magna nactus est patrocinia, eique adhæserunt *Dioscorus* Alexandrinus, & qui eiusdem factionis subsecuti sunt, *Timotheus Ælurus*, *Petrus Moggus*, *Athanasius*, *Joannes Hemula*, nec non *Petrus* Fullo, qui an. 471. Sedem invasit Antiochenam, quique *Trisagio*, ut Divinam naturam passam assererent, additamentum illud apposuere, *Qui crucifixus es pro nobis*, ab aliis tamen Catholico acceptum sensu, relatumque ad secundam Trinitatis personam, non ad Divinitatis substantiam. His quoque accessere, qui pugnantes pro Zenonis *Henotico* communionem cum Eutychianis servabant. (*g*)

(*f*) Præluserat Nestorio *Theodorus Mopsuestenus*, qui plurimum laudatur a Theodoreto lib. 5. Eccl. H. cap. 40. & ab aliis citatis eo loci a Valesio. Hujus rei causa Historia illa rejicitur a Gregorio Magno epist. 31. libri 6. De Theodoro plura Norisius in dissert. de 5. Synodo, & Garnerius de primis auctoribus hæresis Pelagianæ. Fuit Theodorus patria Antiochenus, acceptumque a Paulo venenum in Pelagianos, Nestorianosque transfudit. Ad Nestorium quod attinet, non defuerunt, qui hunc defendere, & S. Cyrillum ejus oppugnatorem vellicare, postremis quoque temporibus, studuerunt: sed quam longe a veritate, & a fide Nestorius aberraverit, demonstrant Scripta collecta Tomo III. Biblioth. Orient. Clement. Vatic. p. 2. a viro Cl. Jos. Sim. Assemano. Nestorium a Leporio monacho seductum ait Cassianus.

(*g*) *Synesius Cyrenensis* philosophus præstantissimus, & ex gentili Christianus, atque Episcopus Ptolemaidis haud recte sensit de corporum resurrectione, saltem ante Episcopatum, ut scribit Evagrius lib. 1. cap. 15. Exponebat enim eamdem resurrectionem juxta Platonicorum, Origenisque sententiam. Ejus ad Evoptium Epistolam 105. in qua agit de resurrectione & de uxore retinenda, haud serio fuisse scriptam censet ad annum 410. Ven. Baronius. At aliud est Petavii, Valesii, &

Prætermittenda non est hæresis *Vigilantii*, quem joco S. Hieronymus vocabat *Dormitantium*, improbantis cultum Martyrum reliquiis exhibitum, cereosque in illorum memoriis accensos: *Acephalorum*, qui duce Severo, a quo & *Severiani* dicti sunt, neque Catholicis, neque hæreticis copulabantur, neque cum suo conveniebant Episcopo, *Acephali* idcirco appellati, scilicet, sine capite. *Abelianorum* denique, qui ab Abele sese denominantes continentiam profitebantur, & quamvis nuptias contraherent, numquàm tamen fas esse putabant dare operam gignendis liberis; atque ne destituerentur hæredibus, filios inopum finitimorum adoptabant. Prope Hipponem regium habitasse, sed ad mentem saniorem revocatos, asserit Augustinus. (*h*)

CA-

& Holstenii judicium. Cum Synesius dicatur, admonente Theophilo, veram sententiam, amplexus, nolumus illi injuriam irrogare ipsum inter hæreticos recensendo.

(*h*) Commemorant nonnulli hæresim *Prædestinatianorum* exortam, ut ajunt, in Africano monasterio Adrumeti: sed nos arbitramur esse fictitiam. E Chronico Edessæ edito in Bibliotheca Orientali ab Assemanio habemus anno 428. emersisse hæresim asserentium *peccatum naturæ insitum*. Illustris Editor legendum putat, *nequaquam naturæ insitum*. Si id probes; nova non est hæresis, sed Pelagianorum, negantium originale peccatum, & adstruentium *impeccantiam*: at si priori lectioni adhæreas, hæc hæresis Manichæismi est germen, vel, furculus. Præter Fortunatum, Adimantum, Felicem, Secundinum, Faustum, aliosque Manichæos refutatos a S. P. Augustino, mulier etiam quædam, *Julia* nomine, Manichæa multos apud Gazam Palæstinæ urbem seduxit, sed cum S. Porphyrio Episcopo ausa inire disputationem infelici morte perempta est, ut legitur apud Surium ad diem 26. Februarii.

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS QUINTI SECULI PÆSTANTISSIMIS.

Annus 420. supremus fuit *Hieronymo* Stridone in Dalmatia nato, & in Latino, Græco, Hebræoque sermone, cunctisque disciplinis doctissimo. Natus dicitur anno 329. & vita functus ætatis suæ 91. in secessu Bethlehemitico. Donatum in Grammatica, Victorinum in Rhetorica, Didymum in Græcorum doctrina, Bar-haninan in Hebraicis literis habuit institutores, & a Paulino Antiocheno Presbyter fuit ordinatus (*i*). Quantum in sacris literis enituerit, divina ejus Bibliotheca demonstrat, sacros scilicet complectens Hebræorum, Græcorumque Codices, quos latinitate donavit. Illustravit eosdem libros exquisitissimis Commentariis: eloquenti stylo instruxit matronas, virgines, monachos, & cujusque generis viros: acriori Helvidium, Joviniamum, Vigilantium, nec non Rufinum, cunctosque sibi adversantes pupugit.

Quid dicendum est de *Augustino*? Natalis ei annus 353. emortualis 430. Mirum ejus ingenium ostendit, quod adolescentulus in patria Tagasto

(*i*) Cum S. Hieronymus fuerit presbyter Antiochenæ Ecclesiæ, & non Romanæ, ut ipse testatur ep. ad Paminachium, negant complures, inter quos lib. 1. de Cler. cap. 16. Ven. Bellarminus, connumerandum illum esse inter S. R. E. Cardinales; quamvis id singulari Opusculo demonstrare conatus fuerit Alphonsus Ciacconius. *Rufinus* adversarius Hieronymi plura conscripsit, & Eusebii Historiam latinitate donavit, uti & Josephi libros, multumque pro Origene adlaboravit. Num ab isto, vel a *Rufino* alio Syro Cælestius acceperit non dari traducem originalis peccati, non eadem est recentiorum Criticorum opinio.

Grammaticam, & Carthagine Rhetoricam docuerit artem, & ſuperiores diſciplinas nullo tradente didicerit. Paganos aureo *de Civitate Dei* Opere confutavit. Donatiſtas, Manichæos, Pelagianos, ceterosque ævi ſui hæreticos, exagitavit libris numero, doctrina, ac pondere argumentorum magno pretio æſtimandis. Conciones quoque, & epiſtolas conſcripſit plurimas, & in ſacris explanandis libris egregiam navavit operam. Nihil eo humilius, nihil humanius, nihil indefeſſum magis, & in Eccleſiaſticis & civilibus negotiis pertractandis magis aſſiduum. Eccleſiæ fulgidiſſimum Lumen, Scholaſticorum Theologorum Ducem, & Gratiæ & Charitatis Magiſtrum univerſi appellant, atque ſuſcipiunt.

Condigna ulterius habenda eſt mentio *S. Cyrilli*, qui fuit in Epiſcopatu Alexandrino ſucceſſor Theophili vita functi an. 412., & Neſtorianæ hæreſis invictiſſimus oppugnator; quamvis in eo redarguatus a Theodoreto, aliisque, quod Verbi incarnati dixerit *μίαν φύσιν*, *Unam Naturam*. At certum eſt *φύσεως* vocabulum loco *ὑποστάσεως* uſurpaſſe ad unam ſignificandam Chriſti perſonam. Præter quinque contra Neſtorium libros, ac de Trinitate, de Incarnatione, de recta Fide, & ſuimet apologias, & homilias, epiſtolasque permultas, decem libros edidit contra Julianum, atque in Pentateuchum, in Prophetas, & in Evangelium Joannis locupletiſſima Commentaria. Obiit autem Fidei athleta an. Æ. Chr. 444.

Ut contra Neſtorianos Cyrillum, ita contra Eutychem Deus defenſores Eccleſiæ ſuæ ſuſcitavit: inter quos *Leonem I.* Romanum Pontificem, & *S. Petrum Chryſologum* Ravennatem Antiſtitem. Is natus apud Forum Cornelii a Sixto III. præmonſtrantibus Petro Apoſtolo, & Apollinare Martyre, conſecratus eſt Epiſcopus Ravennæ, atque ex hac vita migravit circa annum 450. Præter ſermones tali conſcriptos facundia, ut inde illi acceſſerit *Chryſologi* cognomentum, hortante prælaudato Leone Magno ſcripſit ad Chalcedonenſe Concilium contra hæreſim Eutychetis, nec non ad

Euty-

Eutychem ipſum, ut hæreſiarcham revocaret ad frugem.

Quamquam vero hactenus laudati quinto Eccleſiæ Seculo lucem attulerint ſplendidiſſimam; non defuerunt tamen præclariſſimi Scriptores alii, qui vel eruditionis ornatu, vel rerum geſtarum narratione, vel ſacra etiam poeſi locum in hac Epitome ſibi vindicant. Refero ad priorem claſſem *S. Chromatium* Aquilejenſem, quem Hieronymus vocat ſui temporis Epiſcopum *doctiſſimum*, & *ſanctiſſimum*, vita functum an. 413. *Polychronium* Syrum, quem ſumma cum laude memorat Theodoretus, ſolutum corporis nexu circa an. 427. *Iſidorum* a Monaſterio Peluſii prope Nilum, denominatum *Peluſiotam*, qui vivebat adhuc an. 430. & decem millia Epiſtolarum ſcripſit, ſi fidem promereatur Nicephorus: *Marium Mercatorem* ſtudioſiſſimum Auguſtini, Fideique Catholicæ adverſus Pelagianos, & Neſtorianos Vindicem ſtrenuum, ex hac ereptum vita circa an. 450. *Joannem Caſſianum* Scytham, Chryſoſtomi diſcipulum, qui deceſſit Maſſiliæ, ubi monaſterium ædificaverat, anno 448. *Salvianum* ejusdem civitatis presbyterum: *Nilum Nitrienſem*, & *Honoratum*, *Maximum*, *Hilarium*, *Vincentium* & *Eucherium* Lirinenſes Monachos doctrina, & ſanctitate percelebres; Sanctum *Remigium* Francorum Apoſtolum, *Julianum Pomerium*, &c. (*k*)

Narrarunt vero res in Eccleſia geſtas *Sev. Sulpicius*, & *Palladius*, Seculo quinto ineunte: quorum primus natione Gallus *Hiſtoriam ſacram* uſque ad an. 400. ſtylo facili & ſupra genium Seculi terſo, alter Galata Hiſtoriam *Lauſiacam*, Vitas SS. Patrum

(*k*) Ex his *Caſſianum*, *Hilarium*, *Vincentium*, necnon *Fauſtum Rejenſem*, & *Gennadium* fuiſſe Semipelagianos cenſent viri clariſſimi, quod illorum fidei, atque ſanctitati non officit; cum error Semipelagianorum nondum fuerit ab Eccleſia proſcriptus.

trum narrantem, ita nuncupatam, quoniam ad *Laufum* præfectum Cubiculi inscripta fuit, de rebus a Chrysostomo gestis, & de Gentibus Indiæ, ac Bracmannibus, sedulo diligenterque conscripsit. Subsecuti sunt sancti viri, & discipuli Augustini, *Paulus Orosius*, & *Possidius*. Ille Hispanus genere, & Presbyter Tarraconensis Historiarum libros 7. contra Paganos, eodem monente Augustino, circa annum 417 complevit: iste autem Calamensis in Africa Episcopus, an. 430. S. Patri morienti adfuit, & res ab eo gestas librosque recensuit. *Paulinus* Mediolanensis Vitam Ambrosii, cujus Diaconus fuerat, & de benedictionibus Patriarcharum scripta exaravit. Præter opera alia complura, Ecclesiasticam Historiam ab anno 322. ad an. 427. deduxit *Philotheus* continentem Ascetarum elogia, & Hæreticorum descripsit Fabulas *Theodoretus* genere Antiochenus, & Cyrensis Episcopus; qui obiit septuagenario major circa annum 457. Vir magnus, quamvis aliquando patrocinatus Nestorianis. Vixit, floruitque circa eadem tempora *Gelasius* patria Cyzicenus, & Episcopus Cæsareæ in Palæstina, qui Nicænæ Synodi scripsit Historiam. Accinxit se ad Ecclesiæ Historiam scribendam an. 440. *Socrates* C. P. appellatus *Scholasticus*. Hunc Novatianum plurimi vocant, sed nititur vindicare Valesius. Superatur elegantia ab *Hermia Sozomeno Palæstino*, qui per eadem tempora libros novem H. E. edidit, & nuncupavit *Theodosio*. Accesserunt *S. Prosper* Aquitanus Augustinianæ doctrinæ Vindex, cui Chronicum adscribunt deductum usque ad an. 455. (*l*). *Victorius* itidem Aquitanus (*m*), a quo in calculis

(*l*) Adde Cyclum Paschalem, de quo S. Isidorus Hispalensis lib. VI. Originum cap. 17. & Vossius de Historicis Latinis, &c.

(*m*) *Victorinus* dicitur a Gennadio in Catalogo cap. 38. Hunc Canonem edidit, & Commentario illustravit anno 1633. typis Plantinianis Ægidius Bucherius S. J. De Periodo Victoriana annorum 532. dixi cap. 7. Chronologiæ.

culis mathematicis admodum exercitato ſcriptus eſt anno 457. *Canon Paſchalis*: & *Victor* Vitenſis Epiſcopus in *Byzacena* Provincia, a quo apud Conſtantinopolim exule litteris tradita eſt an. 487. Hiſtoria Perſecutionis Vandalicæ. Poſtremo *Gennadius* Maſſilienſis an. 405. abſolvit *Catalogum* Virorum illuſtrium, una cum libro de *Eccleſiaſticis Dogmatibus* ad R. P. Gelaſium.

At quinam ſtylum in ſacra exercuerunt poeſi? Initio *S. Paulinus* Nolanus Epiſcopus patricio genere ortus Burdigalæ, & vita functus anno 431. non ſolum Epiſtolas 50. ſoluta oratione, verum *Natales X.* S. Felicis M. aliaque plura eleganti metro compoſuit. Tum *Aurelius Prudentius* Hiſpanus, *Pſychomachiam*, *Cathemerinon*, περὶ στεφάνων, *Apotheoſim*, *Hamartigeniam*, *contra Symmachum*, id eſt, de pugna vitiorum & virtutum, hymnos diurnos, de coronis, de Divinitate, de peccatorum origine. & contra idolorum cultum, varii & venuſti carminis contexuit poemata. *Nonnus* Ægyptius inter cetera ſcripſit hoc ſeculo adoleſcente Græco turgidoque carmine *Paraphraſim* Evangelii S. Joannis. *Anicia Falconia Proba*, quæ poſt captam Romam ab Alarico, an. 410. cum filia Juliana, & nepte Demetriade confugit in Africam, ſcripſit de rebus a Chriſto geſtis *Centonem* Virgilianum. *Athenais* quoque Athenienſis, anno 432. deſponſata Theodoſio Imp. & vocata poſtmodum *Eudocia Auguſta*, abſolvit *Centones* Homericos, condiditque heroico carmine *Metaphraſes*, Hiſtoriam SS. MM. Cypriani & Juſtinæ, & Poema de Victoria a Theodoſio viro ſuo e Perſis reportata. Etiam prælaudatus *S. Hilarius* Arelatenſis, qui in Epiſcopatu ſucceſſit S. Honorato an. 429. præter deceſſoris ſui vitam, Carmen Heroicum condidit Hiſtoriæ Geneſeos. Adde *Cœlium Sedulium* natione Scotum, qui conſcripſit Carmen *Paſchale* de miraculis Chriſti, diſtributum in libros quinque, Collationem utriusque Teſtamenti verſibus Elegiacis, & Jambis *Pæan* inſcriptum, Carmen de rebus a Domino geſtis. & *C. Sollium Apollinarem Sidonium* Arvernorum Epiſ-

copiam, generis claritudine, & multorum librorum soluta, numerisque adstricta oratione conscriptorum illustrem, laudandum rursus in Notis ad proximum caput sextum. Demum *Claudianus Mamertus* Presbyter Viennensis, qui florebat circa annum 462. carmine *vanos Poetas* perstrinxit, Hymnosque Ecclesiæ, cui erat addictus, concinne digessit.

CAPUT V.

DE AUGUSTIS PRINCIPIBUS, VIRISQUE SANCTITATIS EXIMIÆ.

Supra dictum est, defuncto Theodosio M. anno Æ. V. 395. incœpisse *Honorii*, & *Arcadii* principatum. Iste in Oriente, ille in Occidente imperabat: atque exinde duo distinguuntur Imperatores, vel potius unius Imperii Collegæ; nam leges, & rescripta utriusque nomine signabantur (*n*).

In Occidente itaque sublato e vivis Honorio Romæ ex aqua intercuti, *Coss. Asclepiodoto* & *Marinino*, id. an. 423. die 25. Augusti, & Imperii sui a morte patris 28., tyrannidem Ravennæ arripuit primicerius Notariorum *Joannes:* quem Theodosius Asparem in Italiam mittens oppressit, & ad Imperii consortium evexit *Valentinianum III.* filium Constantii Cæsaris, & Gallæ Placidiæ, an 425. in con-

(*n*) Imperante Honorio *Marcellinus*, qui anno 411. præfuit Collationi Carthaginensi, opera Donatistarum martyr occubuit. Sanctiones multas adversus prædictos Donatistas, Pelagianos, ceterosque hæreticos Honorius & Theodosius Junior promulgarunt. Extant in Cod. Theodosiano cit. de Hæreticis. Latæ vero contra Pelagianos apud Vossium quoque, Garnerium, Norisium, &c.

consulatu ejusdem *Theodosii* XI. Octobris mense labente. Idem *Valentinianus*, cum manu sua interfecisset Aetium, cujus summam apud milites suspectam habebat auctoritatem, occisus est, *Maximo* instigante, ab Aetii militibus Trasila, & Optila, anno 455., se Consule VIII. cum *Anthemio*, 17. die Martii (*o*).

Post hæc mutata in Occidente Imperii facies. Extincto enim Valentiniano, ejus Imperium, viduamque Eudoxiam (*p*) rapuit *Petronius Maximus*, qui capta a Genserico urbe fugam capessens, impetitus est a concitato populo lapidum imbre, membratim dilaniatus, & projectus in Tiberim. Sed & Imperium ipsum laceratum est, ac discerptum, Africam Vandalis, Hispaniam Gothis, Gallias Francis, Italiam permixtis Barbaris occupantibus.

Trucidato tamen Maximo, electus est an. 455. *Fl. Mœcilius Avitus*, qui legatione fungebatur apud Gothorum Regem Theodoricum. Sed & Avitus coactus est a Ricimere Barbarorum Duce abdicare se principatu; & Placentiæ creatus episcopus mœrore animi dicitur obiisse. Avito autem an. 457. suffectus est *Flavius Julius Majoranus*, & ipse inchoato anni Imperii quinto a Ricimere occisus prope Dertonam. Majorano an. 461. successit *Vibius Severe-*

(*o*) Valentinianus III. anno 437. nuptias celebravit Thessalonicæ cum Eudoxia filia Theodosii Junioris, quæ illi bimula anno 424. fuerat desponsata. Filias ex ea suscepit duas, Placidiam II. & Eudoxiam III. quæ una cum matre captivæ abductæ fuerunt a Vandalorum rege Genserico. Augustus a Theodosio declaratus est anno 245. Maximi, qui in ejus mortem conspiravit, illata vi uxorem vitiaverat. Hanc Procopius lib. 1. de Bello Vandalico, ut formosissimam, ita castissimam vocat.

(*p*) *Eudoxiam* Filiam Theodosii Junioris & Eudociæ, vel Athenaidis; quæ ad ulciscendum mariti mortem accersivit ex Africa Genfericum Vandalorum regem.

Severus, cui Ricimeres ipse fertur abstuliſſe vitam propinato veneno. Idem fatum *Athemio*, qui ducta in matrimonium Ricimeris filia, Soceri opera an. 467. obtinuit Imperium; ſed ab eodem Socero per inſidias captus, & occiſus eſt Romæ, vix ſexto Imperii anno inchoato. Commiſſum tum Imperii regimem *Fl. Anicio Olybrio* Placidiæ filiæ Valentiniani III. marito, poſt paucos menſes, ipſo inaugurationis ſuæ anno 472. vita privato. Poſt Olybrium an. 473. electus eſt *Glycerius* Romanæ Urbis Senator, e ſolio proximo anno dejectus a *Julio Nepote* filio Nepotiani, pulſus in Dalmatiam, & conſecratus, ut fertur, Epiſcopus Salonenſis. Pari ſorte *Julius Nepos* exauctoratus eſt ab Oreſte Gotho, cui ille demandaverat exercitus præfecturam; & ſubrogatus Julio *Flavius Romulus Auguſtus* filius Oreſtis, *Auguſtulus* nuncupatus, an. 475. Non explevit *Auguſtulus* annum Imperii primum; nam a factione Julii Nepotis in Italiam vocatus *Odoacer* Rex Herulorum ingentibus Barbarorum copiis Ticini Oreſtem obſedit, ſuperavit, occidit; ejusque filium *Auguſtulum* cedere Imperio coactum relegavit in Lucullanum parvam Campaniæ inſulam, Megarim olim dictam, prope Neapolim. Ita Romanum Imperium, quod incepit ſub *Auguſto*, ſub *Auguſtulo* extinctum eſt.

In Oriente autem Imperatori Arcadio ſucceſſit an. 408. *Theodoſius* Junior, ei ex Eudoxia natus, pius, & orationi deditus Princeps, inſtitutor Academiarum Conſtantinopolis, & Bononiæ, & Codicis nomine ſuo inſcripti promulgator (*q*). Theodoſio

(*q*) Codicem Theodoſianum promulgatum Gothofredus demonſtrat anno 438. non, ut putabatur, anno 435. Publicas vero Scholas C. P. anno 425. Theodoſius aperuit. Athenaidem filiam Heracliti philoſophi, Eudociam in baptiſmo appellatam, litterisque excultam anno 421. duxit uxorem. De hac præcedenti cap. 4. Theodoſius Junior idolorum templa funditus everti juſſit, adeo, ut nullum priſtinæ ſuperſtitionis remaneret veſtigium. In cum caſtra movens Roiſſytha-

dosio vita functo anno 450. die 19. Julii, ad Imperium, & ad nuptias Pulcheriæ Virginis sororis Theodosii electus est *Fl. Valerius Marcianus*, in Thracia humili loco natus, sed clarus virtutibus, pacator Imperii, & defensor Ecclesiæ, extinctus, ut creditur, veneno, Asparis Patritii machinatione, an. 457. die 26. Januarii. Proclamatus inde Imperator *Leo I.* Thracius, favore Asparis, pietate, clementia, atque erga Deiparam dev tione commendandus: qui non semel Gensericum fudit, e Sicilia Barbaros expulit, atque ipsum Asparem Arianum, ac proditorem obtruncavit, e mortali vita sublatus an. 474. Huic successit nepos *Leo II.* filius Zenonis Isaurici, qui eumdem parentem suum declaravit Augustum, eodemque anno mense Novembri decessit. *Zeno* itaque post filium susceptum ex Ariadna filia Leonis I., turpis facie, sed moribus turpior, Imperium tenuit ab an. 474, usque ad an. 491. quamvis ei principatum subripere tentaverit an. 476. *Basilicus*, hortatu Æliæ Verinæ sororis suæ, quæ fuerat uxor Leonis I. Mortuo Zenone præcitato anno 491. die 6. Aprilis, opera Ariadnæ viduæ ab ipso Zenone relictæ, e scriba factus est Imperator *Fl. Valerius Anastasius*, a diversitate coloris in oculorum pupillis *Dicorus* denominatus, & ortus in urbe Macedoniæ Dyrrachio.

---

tharum regulus immissis cælitus igneis turbinibus extinctus fuit. Illum quoque aggressus Persas vehementissimo imbre, & ingenti grandine, Deus compulit, ut retrocederent. Hæc ex lib. 5. Hist. Eccl. Theodoreti cap. 37. Templum antea dicatum Dæmoniis, appellatumque Tychæum, a Theodosio consecratum Ignato Martyri, locatis ibidem hujus reliquiis translatis in urbem ex cœmeterio, quod erat extra portam Daphniticam; refert lib. 1. cap. 26. Evagrius Scholasticus. S. Joannis Chrysostomi anno 430. reliquias Constantinopolim Theodosius magnificentissima pompa deferri curavit, patentibus suis veniam humillime deprecatus. Obiisse Theodosium Juniorem extractum e fluvio Leuco, in quem prolapsus ex equo fuit inter venandum, & lectica semivivum ad regiam urbem revectum, scribunt auctor Chronici Alexandrini, Theodorus Lector, Nicephorus Callistus, & alii.

chio. Anaſtaſius prælaudatam Ariadnam duxit uxorem, imperavitque annis 27. labe infectus Eutychiana; unde percuſſus fulmine interiit an. 518. die octava Julii.

His Cæſarum, Regumque temporibus, floruiſſe complures ſingulari præditos ſanctitate, ex primo, & quarto capite conjicitur (*r*). At colluſtrarunt univerſum Fidelium cœtum alii quamplurimi. Venerando Epiſcoporum ordini maximum contulerunt ornamentum *Cæſarius* Epiſcopus Arelatenſis in Gallia Narbonenſi, *Alipius* Tagaſtenſis in Numidia Africæ, *Turibius* Aſturicenſis in Hiſpania Tarraconenſi, *Patritius* Hibernorum Apoſtolus, *Epiphanius* Ticinenſis in Inſubria, *Eucherius* Lugdunenſis, *Honoratus* & *Hilarius* Arelatenſis, *Lupus* Trecenſis, *Severinus* Noricorum Apoſtolus, *Germanus* Antiſiodorenſis in Galliis, *Petronius* Bononienſis, *Exuperius* Toloſanus, *Flavianus* Antiochenus, *Maruthа* in Meſopotamia, *Mamertus* Viennenſis in provincia Narbonenſi, *Gaudentius* Brixianus in Cenomanis (*s*). Martyrii palmam retulerunt in Perſia ſub Isdegerde cum aliis innumeris *Jacobus* interciſus (*t*); Pamiæ, ſeu Appamiis in Occitania, *Antoninus* regia ortus ſtirpe, Alexandriæ *Proterius*, Conſtantinopoli *Flavianus*, in Corſica *Julia* virgo, in Africa ſub Genſerico *Martinianus* & *Saturianus* cum aliis 270. Virginum pariter coronatarum ſub Hunnerico multiplex chorus. Quanta vero pudicitiæ laus in *Maxima* ipſarum Africanarum Virginum matre, in *Pulcheria* Theodoſii A. ſorore, in *Euſtochio*

(*r*) Imperantibus Arcadio & Honorio hujus Seculi initio vixit S. *Alexius* Romanus. Quidam Alexium cum *Joanne Calibyta* confundunt.

(*s*) Adde *Creſcentium* presbyterum, & *Eugenium* diaconum Florentinos.

(*t*) Perſecutionem Isdegerdis Baronius aliique referunt ad annum 420. Ante quinquennium exortam demonſtrat Antonius Pagius.

chio ad Præsepe Domini cum aliis Virginibus enutrita, in *Genovefa* immortali gloria Parisiensium? Matronarum item decus fuit *Melania* Junior, &c. Suos quoque proceres connumerant monachi & anachoritæ, ut *Sabbam* Palæstinorum Ascetarum jubar, *Maronem*, a quo Maronitæ denominantur, *Arsenium* Scetis Ægyptii montis incolam, *Alexandrum* Acœmetarum, id est, insomnium, vigilumque parentem, *Joannem* Palæstinum *Silentiarium*, duosque Stylitas (quis enim universos commemoret?) *Simeonem* & *Danielem* (*u*).

CAPUT VI.

QUINTI SECULI DOGMATA, ET DISCIPLINA.

Didicimus ex hujus Seculi historia, quod præmonstraverat Apostolus, omnes in Adam peccasse, ejusque prævaricatione peccatum, & per peccatum intrasse mortem in mundum: gratiam non dari secundum merita nostra, neque ex præscientia futurorum operum naturalium: necessariam illam esse ad singulos actus, nec fieri, aut cogitari absque ea aliquid posse, quod ad æternam salutem conferat. Prædestinationis nostræ exemplar est Christus, ad maximam omnium gratiarum divino beneplacito electus, ad unionem scilicet hypostaticam. Qua divinam humanamque naturam in una conjunctas esse persona, permanente proprietate utriusque, commonstrant contorta in Nestorium & Eutychem anathemata, definitiones Ecclesiæ, scriptaque Patrum Orthodoxorum. Unum de Trinitate crucifixum, ita Fides Catholica tradidit, ut nullatenus passio in divinam referatur naturam. Beatam Virginem appellan-

(*u*) Supra columnam Simeonis sæpe visam, etiam a seipso rutilantem Stellam, tradit lib. 1. cap. 14. Evagrius.

pellandam esse Θεοτόκον, utpote quæ genuit Deum hominem, definitum fuit, & Sanctis, horumque Reliquiis religiosum cultum esse præstandum (*x*). Veram esse religionem secluſa cum Episcopis Catholicis communione, est deliramentum Acephalorum.

Pacis osculum post consecrationem, & Missa Præsanctificatorum in Paraſceve Paschatis quinto seculo obtinuerunt. Utebantur diaconi ad lævam pallis linostimis, scilicet, ex lino & lana contextis. Sanctimonialibus contingere sacratam pallam, & in Ecclesia thus adolere inhibitum fuit. Alternatim psalmi canebantur Davidici, repetitis antiphonis. Decantatus itidem Dominicis diebus, & in Natalitiis Sanctorum hymnus Angelicus. Suspecti erant erroris Manichæorum, qui a sacris Calicis abstinebant mysterio. *Lirinenſes* monachi, *Sabbaitæ*, atque sub Joanne Patriarcha Jerosolymitano *Carmelitæ* fuerunt, prout plerique opinati sunt, institu[illegible] (*y*).

Tan-

(*x*) Quantum attinet ad *Reliquias* Sanctorum, Arcadius Imperator anno 406. e Silo Palæstinæ oppido Constantinopolim magna pompa adsportari curavit exuvias Samuelis Prophetæ. Id religiosæ pietatis exemplum vocat adversus Vigilantium Hieronymus. In eamdem regiam urbem anno 409. advecti cineres Sanctorum *Joſeph* filii patriarchæ Jacob, & *Zachariæ* patris Præcursoris. Revelatione divinitus facta Luciano presbytero anno 415. inventa, & decenti loco fuerunt condita Corpora *Stephani* Protomartyris, *Gamalielis*, & *Abibonis*. *S. Jo. Chryſoſtomi* Corpus anno 438. e Ponto Constantinopolim solemni pompa translatum. *Catenæ* S. Petri Jerosolymis ab Eudocia missæ, C. P. una, altera Romam ad filiam Eudoxiam. Inventum anno 453. Emesæ in Syria Caput S. *Joannis Baptiſtæ*.

(*y*) Ab Eudocia Augusta bis Jerosolymam profecta, nempe anno 438. & post cædem Paulini ejus causa interfecti anno 430., ædificata fuerunt monasteria, quæ *Lauras* vocavit. Laura a cœnobio differt, quod istud uno clauditur muro; Laura vero habet cellulas longe disjunctas. In Laura Anachoretæ, in cœnobio degebant monachi. Vide adnotationes in

Tanta fuit Monachorum in Capraria, & Lirino, seu Lerina, insulis multitudo & celebritas, ut illustrium quoque Poetarum hujus ævi describantur carminibus. (ζ)

AP-

---

in librum 1. Evagrii cap. 21. Narrat ibidem Historicus, *Lauras* incolentium; alios nihil proprii habere, nec aurum, nec vestem nec esculentum; pallio, vel tunica, quibus hodie unus induitur, uti postea alium; diu noctuque preces ad Deum fundere, ac per biduum etiam, vel triduum servare jejunium. Alios vero solos includi domiciliis, alios in ignotis terræ latibulis, alios in solitudine a sole perusta. Tam ergo eremitis, quam religiosis aliis sevioris, rigidiorisque instituti, antiqua proposita fuerunt exempla. In excerptis Theodori Lectoris legimus, Eudociam misisse Jerosolymis ad Pulcheriam imaginem Deiparæ, ἣν ὁ Ἀποστολος Λουκᾶς καθιςορησεν, *Quam Apostolus Lucas depinxerat*. Florebat Theodorus Seculo 6. ineunte. Non est ergo de pingendi arte Evangelistæ opinio commentum sero excogitatum. Imaginem illam Pulcheria collocavit in Basilica a se ædificata in *Hodegis*, ubi cæci lumen recipiebant. De Basilicis autem ab eadem Pulcheria erectis pertractant ipse Theodorus lib. 1. num. 5. & Nicephorus libro 14. cap. 2. Vide adno. Valesii ad Theodorum.

(ζ) Referta erat hoc seculo sanctissimis Monachis *Capraria* Insula maris Tyrrheni inter Corsicam oramque Thusciæ. De hac enim insula legitur apud Rutilium Numatianum, qui floruit Honorio Augusto imperante, scripsitque terso stylo, & ubere vena ingenii duos *Itinerarii* libros ad Venerium Rufum:

Processu pelagi jam se Capraria tollit,
Squallet lucifugis insula plena viris.
Ipsi se monachos Grajo cognomine dicunt,
Quod soli nullo vivere teste volunt.

APPENDIX.

EXTERNÆ RES ATTINGUNTUR.

Quoniam diximus cap. 5. plura regna hoc seculo exorta; illorum præcipua commemorabimus. *Augustulum* anno 475. ad Imperium fuisse evectum, dejectumque ab *Odoacre* rege Turcillingorum & Herulorum, qui e Pannonia & Norico irruperunt in Italiam, narratum est supra. Ab anno itaque 476. *Coss. Basilisco*, & *Armato*, Odoacer iste Italiæ regnum obtinuit. Hunc anno 493. interfecit *Theodoricus* rex Gothorum, quem superioribus annis Zeno Imperator rogaverat, ut ad italiam liberandam copias conduceret. Quare ab anno 493. atque a *Theodorico* supputatur regnum Gothorum Italicum.

In

Verum tamen est, Rutilium Christianæ religionis hostem acerrimum illorum monachorum vita adeo insectari, ut hæc præmissis verbis subjiciat:

Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur,
Quisquam sponte miser, ne miser esse queat.
Quænam perversi rabies tam stulta cerebri,
Dum mala formides, nec bona posse pati?
Sive suas repetunt ex fato ergastula pœnas,
Tristia seu nigro viscera felle tument;
Sic nimiæ bilis morbum assignavit Homerus
Bellerophontæis sollicitudinibus.

Bellerophontem, cum post varia vitæ discrimina cœlum petere conaretur, inde a Jove excussum equo decidisse in Alejum Lyciæ campum, ubi cæcus erravit, donec periret, fabulæ narrant poetarum.

De Lirinensi autem Cœnobio, cujus aliquos incolas doctrina simul & sanctimonia conspicuos laudavimus superiori capite

quæ-

In Galliis Burgundiones e Mæotide egressi palude, duce *Marcomiro* in Franconiam concedentes, regem crearunt anno 420. ipsius Marcomiri filium *Faramundum*: huic an. 431. successit *Clodio* Comatus, sive Crinitus. Consecuti deinceps regnum an 449. *Moroveus*: anno 459. *Childericus*: anno 495. *Clodoveus*, qui anno 499. baptizatus est a Remigio sanctissimo Remensium Antistite.

N 2 Re-

---

quarto, hæc scripsit *C. Sollius Apollinaris Sidonius* vita functus anno 482. cujus Opera studiose collegerunt Joannes Savaron, & Jacobus Sirmondus, in carmine Eucharistico ad Faustum.

Seu te Lirinus priscum complexa parentem est,
Qua tu jam fractus permagna sæpe quiete
Discipulis servire venis, vixque ocia somni,
Vix coctos captare cibos, absumius ævum
Ducis, & insertis pingis jejunia psalmis,
Fratribus insinuans, quantos illa insula plana
Miserit in cælum mentes, quæ sancta Caprasi
Vita senis, juvenisque Lupi: quæ gratia patrem
Mansit Honoratum, fuerit quis Maximus ille.
Urbem tu cujus Monachusque, Antistes & Abbas
Bis successor agis, celebrans quoque laudibus illis
Eucherii venientis iter, redeuntis Hilari.

Commendantur itaque hoc Carmine a Sidonio Lirinensis monasterii cultores percelebres, expressoque nomine Caprasius, Lupus, Honoratus, Maximus, Eucherius, & Hilarius. Ab Honorato, pristino *Lirini* abjecto nomine, *Insulam* S. *Honorati* appellant modo.

Illustrarunt quoque Monasticam vitam hoc Seculo *Pinianus* eamdem amplexus anno 419. quo tempore in cellulam ad montem Oliveti sese inclusit *Melania* Junior. Consecrata etiam Deo *Margareta* Antiochena, ex turpissima vita, a Nonno Episcopo Edessено anno 431. ad frugem revocata, & appellata deinde *Pelagia*. Sabbaitæ a Sanctissimo viro Sabba cognominatur, sub cujus disciplina Joannes Silentiarius aliique plurimi hoc Seculo floruerunt.

Regnum Vandalorum, qui anno 427. in Mauritaniam trajecerant, cœpit in Africa anno 439. quo anno *Genſericus* occupavit Carthaginem. Mortuo autem Genſerico anno 477. (*a*) regnavit *Hunnericus*; & huic vita functo anno 484. ſucceſſit *Guntabundus*, e vivis ſublatus anno 496. Poſt Guntabundum ad annum usque 505. regnum Vandalicum adminiſtravit *Traſamundus*.

Gothorum regnum in Hiſpania initium habuit ab *Athaulpho*, qui anno 411. ſucceſſit Alarico, & anno 414. pulſus e Galliis irruit in Hiſpanias, ſed anno proximo jugulatus eſt Barcinone. Regnavit deinde anno 415. *Singericus*, eodem anno interemptus. Huic ſuffectus *Wallia*, qui obiit anno 428. Adeptus tunc regnum *Theodoricus*, qui ſatis ceſſit anno 451. *Thorismundus* deinde potitus regno, proximo anno 452. jugulatur. *Theodoricus* ſecundus fratricida & ipſe ab Eurico (*b*) trucidatus eſt anno 466. Ab hoc anno usque ad an. 485. idem *Euricus* moderatus eſt regnum. Regnavit poſtmodum annis 23. iſt eſt, usque ad annum 507. filius Eurici *Alaricus*. Fuerunt hi omnes contagione Arianæ hæreſeos infecti.

Proſequar modo quædam notatu digna, ac primo cædem *Stiliconis*, juſſu Honorii Generi ſui an. 408. cum filio *Eucherio* interfecti, quaſi affectaſſent imperium jugulata etiam conjuge Stiliconis *Severa*. (*c*) Obſeſſa ac direpta fuit Roma anno 409. aut ſequen-

(*a*) Genſericum a capta Carthagine temperaſſe Vandalis annos 39. tradit lib. 1. de Bello Vandalico Procopius Cæſareenſis.

(*b*) *Evaricum* vulgo appellant.

(*c*) Confugerat *Stilico* ad aſylum Eccleſiæ, quod ipſe temere violaverat; idque etiam exeunte præcedenti Seculo, id eſt, anno 399. Eutropio contigit. Ante urbis excidium, detenta ab Herculiano annona Africana, in Urbe tam dira fames graſſata eſt, ut humanæ carnes laniarentur, matresque comederent par-

vulos.

quenti, (*d*) a Gothis duce *Alarico*, captaque Placidia soror Honorii A., quæ nuptui tradita Athaulpho fratri Alarici, viri in Romanos animum mitigavit, multumque profuit Imperio. Anhelante Alarico in Urbis excidium citato anno 409. in Hispanias Alani, Vandali, & Suevi irruerunt, quas subinde domi-

---

vulos. Legantur Zosimus lib. 5. & Hieronymus in Epistola ad Principiam. Enituit tunc *Lætæ*, ejusque matris *Passimenæ*, *Probæ*, & *Flaviæ Constantiæ* in pauperes liberalitas. De Herculiani autem tyrannide, militari apparatu, & interitu vide libro 7. cap. 42. Paulum Orosium.

(*d*) Dixi Romam ab Alarico obsidione vallatam, direptamque fuisse *anno* 409. *aut sequenti*. Quidam enim cum illustri Pagio referendum id putant in annum 409. & in octavum *Honorii* Consulatum; quidam vero in Consulatum *Fl. Vararis*, & in annum 410. quæ est sententia communior. At sententia Pagii comprobatur Fastis Idatii, in quibus legitur, *Honorio Aug. VIII. & Theodosio Aug. III. Coss. Alaricus Rex Gothorum Romam ingressus*. In Chronico etiam Ivonis Carnotensis habetur: *Tempore Innocentii capta est a Gothis Roma anno D.* 409. *indict.* 9. Hæc tamen facile ad concordiam revocantur; nam Alaricus anno 409. Romam profectus, Imperatorem nominavit Attalum Præf. Urbis, & vi armisque Senatum commovit adversus Honorium, ut Zosimus lib. 6. Orosius lib. 7. & Sozomenus libro 9. litteris tradiderunt. Verum Consule *Varare* & anno 410. Alaricus Romam cum exercitu rediens occupavit illam, delevitque; & dies excidii hujus fuit, ut inquit Auctor Historiæ Miscellæ, IX. *Calendas Septembris*, non, ut ait Calvisius *Kalendarum Aprilium*. S. Hieronymus eladem urbis commemorans repetebat Maronis verba 2. Æn.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrymis æquare dolorem?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos.
Plurima perque vias sparguntur inertia passim.
Corpora, perque domos, & plurima mortis imago.

In maxima nihilominus calamitate hoc Religioni Christianæ decorum accidit; quod miseris Basilicæ Sanctorum, ac præsertim Apostolorum Petri, & Pauli præbuerunt Asylum: quod in libro I. de Civitate Dei explicat ornatissime S. P. Augustinus,

tas partiti sunt invicem. Hunni item Italiam vexarunt sub *Attila*, quem Honoria Valentiniani soror ab Eugenio stuprata, & expulsa, atque ad Theodosium transmissa anno 434. adversus Occidentale imperium, suis oblatis nuptiis, improbo concitavit consilio. *Attila* vero post multos excursus anno 452. Aquilegiam, Ticinum, Mediolanum, urbesque finitimas devastavit. Tunc a plerisque confugientibus ad æstuaria maritimasque paludes condita fertur civitas, & respublica Venetorum. Miserrimo exitu anno 453. juxta Cassiodorum, aut anno 454. juxta alios, memoratus Attila impurissimam efflavit animam. *Alteram* cladem Romæ attulit an. 455. exercitus Vandalorum sub *Genserico*, qui præda onustus Eudoxiam Valentiniani viduam una cum filiabus abduxit in Africam. Cum barbarorum armis elementa quoque pugnarunt. Etenim anno 447. vehementi terræ concussione corruerunt cum turribus 57. muri Constantinopolis, diraque subsecuta est ex aeris infectione contagio. Romæ anno 467. dum *Lupercalia* celebrarentur, pestis ingens irrupit. Vesuvius an. 472. tantam emisit copiam flammarum, ut maxima pars Europæ obscurata fuerit caligine, hujusque incendii in urbe Constantinopolitana quotannis innovaretur memoria. In ipsa Constantinopolis civitate anno 476. consumpta est igne Bibliotheca cum centum viginti millibus librorum, inter quos erant Homeri Opera aureis scripta litteris in membranaceo intestino serpentis pedum geometricorum 120., narrante Zonara.

Chronologicum Opus exararunt quinto seculo *Panodorus* & *Annianus* Monachi Ægyptii, de quibus Georgius Syncellus, & Scaliger in Animadversionibus Eusebianis, prætermissi superiori cap. 4. (e) *Philostorgius* hæreticus Eunomianus elucubravit historiam, qua Arianos extollit, & conviciis proscindit Catholicos, *caput Deum invisum*, ut appellat

(e) In pretio fuerunt sub Arcadio Theodosii M. filio. Seculo nimirum V. ineunte.

lat Nicephorus. (*f*) A Suida laudatur *Timotheus Gazæus* Grammaticus, ab Evagrio sæpenumero *Joannes* Rhetor Historicus, quem Vossius confundit cum Joanne Epiphaniensi, qui floruit imperante Justino Seniore proximo seculo. *Claudius Rutilius Numatianus* carmine eleganti scripsit *Itinerarium*, odium spirans religionis Judaicæ, & Christianæ: cædem pariter Stiliconis, ac Romam captam ab Alarico, metro descripsit. Vossius, & Scaliger eruditum quidem, sed barbarum vocant *Martianum Capellam* Carthaginensem, (*g*) qui versibus simul & prosa

(*f*) In Historia *Philostorgii*, a Photio in compendium redacta, innumera occurrunt mendacia. Ait enim lib. 1. n. 3. Arium suffragia, quæ in eum protendebant, ut eligeretur Patriarcha Alexandrinus, sponte in Alexandrum transtulisse. Lib. 2. Constantinum litteris quaquaversum missis reprobasse vocem *Consubstantialis*, & fidem *dissimilis substantiæ* confirmasse: eumdem Constantinum in pœnam cædis illatæ Crispo a fratribus veneno fuisse necatum: Indos ab Apostolo Bartholomæo imbutos Christi fide profiteri dissimilem Filii substantiam: Agapeto ejusdem hæresis sectatori maxima adscribit miracula: ait Christianos imagini Constantini supra porphyreticam columnam positæ sacrificia obtulisse. Libro III. Aetium hæreticum impense laudat, & num. 15. jactat ei divinitus datum, ut in disputationibus a nemine vinceretur: addit infantissimos demonstrasse Basilium Ancyranum, & Eustachium Sebastiæ episcopum differentes *de Consubstantiali*. Num. 22. Constantem a Magnentio tyranno fuisse occisum ob studium erga Athanasium. Ait libro 4. num. 10. Synodum Nicomediensem terræmotu dissipatam, concussa Ecclesia, in qua congregati Patres Nicænam fidem confirmare putabant. Sequenti num. 11. Basilium Magnum, quasi hominem ignavum, timidum, animique pusilli deridet. Mentitur lib. 7. n. 2. Georgium pseudoepiscopum Alexandrinum, eosque qui cum Aetio sentiebant, a gentilibus fuisse peremptos consilio Athanasii, permoti aviditate illius sedis recuperandæ. Studet ubique adornare Eunomii, & sectatorum ejus vindicias. Atque ex iis, quæ ex multis selegimus, constat, quam fidem promereatur historicus ille, *Consubstantialis* hostis infensissimus, & mendaciissimus.

(*g*) Ita quidem multi. At *Madaurensem* fuisse puto.

prosa scripsit septem libros *de nuptiis Philologiæ* (*h.*) Historiarum libros 22. *Sylvæ* titulo ad Theodosium Juniorem scripsit *Olympiodorus* Thebanus, & sex pariter libros *Zosimus* Comes, Latine versos a Leunclavio, uterque addictus superstitioni Gentilium, & Christianorum Principum fugillator. Dei finente hoc seculo celebris erat fama *Procli* Lycii Philosophi, & Scholiastis dialogorum Platonis (*i*), necnon *Hesychii* Alexandrini Grammatici, quem licet Julius Scaliger dixerit ineptum ac futilem. Salmasius tamen, Tanaquillus Faber, & alii jure vocant *Glossographorum* facile principem.

(*h*) Sedente in Cathedra Alexandrina S. Cyrillo miserrime obtruncata fuit *Hypatia* filia Theonis, Scholæ Platonicæ moderatrix, quæ plura scripsit commemorata a Suida, habuitque discipulos plurimos, inter quos Synesius Cyrenæus. Videsis Socratem lib. 7. cap. 15. Nicephorum Callistum lib. 14. cap. 16. & Ægidium Menagium in Hist. Mulierum Philosopharum.

(i) *Proclus Lycius* post Porphyrium scripsit adversus Christianos. Fuit discipulus, & in Schola Athenienſi successor Syriani, obiitque Athenis anno Chr. 485. Vide Procli Vitam editam a Joanne Alberto Fabricio.

SEXTUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

ROMANORUM PONTIFICUM SERIES PRODUCITUR.

Post Symmachum, quem rebus exemptum humanis anno 514. diximus paulo supra, Romanam gubernarunt Ecclesiam sexto Seculo *Hormisdas*, *Joannes I.* *Felix IV.* *Bonifacius II*, *Joannes II.* *Agapetus I.* *Silverius*, *Vigilius*, *Pelagius I.* *Joannes III.* *Benedictus I.* *Pelagius II.* & *Gregorius Magnus.*

LIV. Ubi e vivis excessit Symmachus, *Magno Cassiodoro Consule*, anno 514. inauguratus est Pontifex *Hormisdas*, Campanus genere, patria Frusinone. Sublatum ejus opera Acacii schisma: controversiam *de uno e Trinitate in carne passo*, a Monachis Scythis excitatam (a) ob novitatem doctrinæ, & ne ab Eutychianis in malam partem traheretur, studuit compescere: atque adversus Faustum Rejensem confirmavit, quæ de Gratia, & libero arbitrio tradiderat Augustinus. Novem expleverat Pontificatus sui annos, cum decessit cum sanctitatis odore

(a) Plura de Monachis Scythis Norisius noster lib. 2. H. P. cap. 18. in Dissert. *de Uno ex Trinitate in carne passo*, atque in *Apologia* pro iisdem Monachis scripta.

Cos. Anicio Maximo, id est, anno 523. VIII. Idus Augusti. (*b*)

LV. Demandatum post Hormisdam Ecclesiæ Romanæ regimen *S. Joanni I.* natione Etrusco. (*c*) Is a Theodorico Rege legatus Constantinopolim ad Imperatorem Justinum, novo, & illustri exemplo eundem corona, & Augustalibus insignibus decoravit; ac multis patratis miraculis in Italiam redux carceri a Theodorico, quoniam nil egerat in gratiam Arianorum, mancipatus, illic gloriosa morte obiit die XVIII., aut XXVII. Maji, anno 526. *Cos. Anicio Olybrio Juniore.*

LVI. Traditur tum Pontificatus *S. Felici IV.* Samniti sive Aprutino, qui ædificata Romæ SS. MM. Cosmæ & Damiani Basilica, & in egenos munificentissimus & maxima præditus simplicitate, mortalem deposuit sarcinam die 18. Septembris anno 530. *Lampridio & Oreste Coss.* (*d*)

LVII. Electus deinde *Bonifacius II.* Romanus: ac simul a Cleri factione *Discorus*, quo tamen paucis post diebus extincto, cessavit & schisma. Sed & brevis fuit Bonifacii legitimus Episcopatus: nam proximo anno 531. *P. C. Lampadii & Orestis*, seu potius anno 532. *Iterum P. C.* obiit XVII. Calendas Novembris. (*e*)

LVIII.

(*b*) Chronologia Pagii nostræ in hoc sexto seculo non adversatur.

(*c*) Multi Senensem appellant. Vide pag. 137. Sandinum. Joannis ad Justinum Imp. legatio consignatur in Chronico Marcellini *Coss. Philoxeno* & *Anicio Probo Juniore*, id est, ann. 525. Decessit Ravennæ. Vide Gregorium Magnum lib. 3. Dialogorum.

(*d*) Ignoro, cur *Felicem IV.* omiserit lib. 2. Papirius Massonus.

(*e*) Hunc Bonifacium in Epistola ad Joannem II. ejus successorem appellavit *Sanctissimum Papam* Athalaricus rex Gothicus, cujus litteræ extant apud Cassiodorum lib. 8.

LVIII. Suffectus Bonifacio *Joannes II.* e regione Cœlii montis, qui naturæ concessit anno 535. *Cos. Belisario*, die autem 6. ante Cal. Julias. Is illam positionem, *Unus de Trinitate crucifixus est carne*, quam Hormisdas sensu Eutychiano reprobaverat, catholico, & Nestorianis oppositio ratam habuit, inflicto monachis *Acœmetis* illam impugnantibus anathemate (f).

LIX. Brevior quoque fuit Pontificatus *S. Agapiti*: nam ex Archidiacono R. E. post Joannem II. creatus Pontifex Maximus, coactus a Theodoto Gothorum rege adire Constantinopolim, illic depositio Anthimo Trapezuntino Eutychiano (g) rebusque Ecclesiæ compositis, e vita migravit V. Calendas Majas anno 536. *P. C. Belisarii*, primo Pontificatus anno nondum exacto.

LX. Audita Agapiti morte, electus est Papa Hormisdæ filius *Silverius:* a Vigilio diacono Agapiti, qui Theodoræ Augustæ Eutychianæ Belisarii favore sperabat consequi honorem Sacerdotii supremum, accusatus quasi Gothis spopondisset traditurum se urbem, primum in Pataram Lyciæ, deinde in insulam Palmariam fuit relegatus, jura interim summi Sacerdotii invadente *Vigilio*. Ea in Insula S. Silverius inedia consumptus est, ut inquit Liberatus, vel potius ferro necatus ab Eugenio famulo Antoninæ uxoris Belisarii, ut tradit Procopius Cæsarien-

(f) Ἀκοίμητοι, *Acoemeti*, dicti sunt quasi *Insomnes*, quod in eorum Cœnobiis, nulla hora cessaretur a Dei laudibus. Agunt de his Theodorus Lector, Evagrius, Theophanes, Cedrenus. Achimitenses vocat Liberatus Diaconus in Breviario cap. 18. Vide Glossarium Caroli du-Fresne.

(g) Loco *Anthimi* Constantinopolitanum Antistitem ordinavit *Mennam*, repugnante licet Theodora Justiniani conjuge. Mennam sedisse post Epiphanium falso scribit Evagrius lib. 4. cap. 36. Quanto studio humaniores litteras Agapitus prosequeretur, præfatione ad libros divinarum Institutionum tradit Cassiodorus.

sarienſis. Coronatus eſt autem martyrio XII. Cal. Julias anno 540. *Juſtino Juniore Coſ.* ſive *P. C. Paulini VI.*

LXI. Tunc ergo Romanus Clerus ductus pacis ſtudio, & formidans Beliſarii potentiam conſenſit in electionem *Vigilii*; atque is ſaniore conſilio obſtitit Theodoræ, anathema in Eutychianos, & in Acephalos innovavit, Chalcedonenſem confirmavit Synodum, & Romam rediens e Conſtantinopoli, *tribus Capitulis* damnatis, & approbata Synodo Quinta: qua in re diu animo fluctuaverat, in Sicilia interiit ex calculorum dolore, anno Æ. V. 555. & legitimi Pontificatus 16. IV. Idus Januarias, *P. C. Baſilii XIV.*

LXII. Pelagius Romanæ Eccleſiæ Diaconus poſt Vigilium tenuit Pontificatum annis fere quinque. Ob *trium Capitulorum* controverſiam nondum ſopitam, & quoniam credebatur auctor malorum, quæ Vigilius Conſtantinopoli fuerat perpeſſus, adeo inviſus initio fuit, ut in tota Italia tres Epiſcopi, qui ejus conſecrationi adeſſent, minime inveniretur. Adlaborandum itaque illi fuit, pro Quintæ Synodi auctoritate, & proſcriptione prædictorum *Capitulorum*: quod præſtitit invicte, prudenterque. Supremus illi dies *P. C Baſilii XX.* ſcilicet, anno 560. VI. Nonas Martias.

LXIII. Rexit deinde Romanam Eccleſiam annis fere 13. *Joannes III.* cognomine *Catelinus*, (*h*) de mortali vita ſublatus, cum fuiſſet Synodi V. acerrimus propugnator, anno 573. III. Idus Julii. Faſti Coſſ. deſinunt anno 566. *P. C. Baſilii XXV.*

LXIV. Chriſtianæ Reipublicæ poſt Joannem præfuit *Benedictus I.* apellatus quoque *Bonoſus*, ſed electus anno 574. III. Nonas Junias. Interpontificium ortum eſt ex perturbata irruptionibus Longobar-

(*h*) Evagrius lib. 4. cap. 39. erat, ſcribens Joannem ſucceſſiſſe Vigilio: cui ſucceſſit Pelagius.

bardorum Italia. Benedictus vestigiis decessorum insistens confirmavit Synodum V. obiitque post quatuor regiminis annos, III. Calendas Augusti anno 578. (i)

LXV. Inauguratus deinde Pontifex *Pelagius II.* qui sedit ultra annos 11. extinctus inguinum morbo, anno 590. VI. Idus Februarias, postquam adversantes Synodo Quintæ repressérat, & acta Joannis C. P. se audacter *Episcopum Universalem* nominantis cassaverat.

LXVI. Gregorius *Magnus* Senatorio genere ortus Pelagio subrogatur invitus, Monachus juxta Baronium S. Equitii, nulli addictus regulæ juxta Thomassinum, instituti autem S. Benedicti juxta Mabillonium, & alios. Claruisse Gregorium cunctorum meritorum perfectione, & Idelphonsus testatur. Sanctitatem Antonii, Cypriani eloquentiam, & sapientiam Augustini dicitur consecutus. Ipsius in divinæ Scripturæ libros ampliſſima Commentaria, Dialogorum libri 35. Moralium 4. & Epistolarum 12. doctrinam, pietatem, & Ecclesiasticæ disciplinæ studium undique spirant. Liturgiam, ritusque Ecclesiasticos explicavit atque direxit: contra jactantiam Episcopi C. P. se, ut diximus, appellantis *Universalem*, sive *Oecumenicum*, usurpavit omnium primus humilem titulum *Servi Servorum Dei.* Ultra annos 13. gubernavit Ecclesiam, perpetuæ gloriæ assecutus hæreditatem IV. Idus Martias anno communis Æræ 604.

PATRIARCHARUM NOMINA.

Sederunt Alexandriæ post Joannem Talajam *Paulus*, *Zoilus*, *S. Apollinaris*, *Joannes*, *S. Eulogius*: Antio-

(i) Anno 578. inauguratum fuisse Pontificem Maximum Pelagium II. demonstrat Norisius in dissert. *de Synodo V.* cap. 9. §. 4.

Antiochiæ post Palladium *Flavianus*, *Severus*. *Paulus*, *Euphrasius*, *Euphremius*, *Domnus*, *Anastasius* *Gregorius*: Jerosolymis post Eliam *Joannes III.* *Petrus*, *Macarius II.* *Eustochius*, *Joannes IV.* & *Amos* (*k*).

CA-

---

§. 4. Baronius id referendum putavit ad annum 577. Panvinius vero, Sigonius, & Holstenius ad annum 579.

(*k*) *Macarius* Jerosolymorum Episcopus, & Petri successore propria Sede, imperante Justiniano, dejectus est, anno 548. quamvis Theophanes id referat ad principatum Justini Junioris. Vide notas Valesii, & adjectas Adnotationes *Variorum* in Evagrii caput tricesimum septimum libri quarti Ecclesiasticæ Historiæ. Exturbatus est Macarius, *propterea quid Origenis dogmata asserere dicebatur*, inquit ibidem Evagrius. Ordinatus in ejus locum *Eustochius*, qui post Synodum Quintam, cum expellere niteretur Origenistas, adversarium autem haberet *Theodorum* Cappadocem acceptum imperatori Justiniano (a quo Theodoro intentatam *de Tribus Capitulis* controversiam præmoneo in not. ad cap. 2.) etiam ipse e propria Sede exturbatus est. *Joannes* subrogatus fuit Eustochio, sed post restitutum in sedem suam *Macarium*, quod juxta Victorem Turonensem in Chronico contigit imperante Justino Juniore, juxta Theophanem vero extremis Justiniani temporibus. Venerabilis Baronius, qui *Macarium* in pristinam Sedem restitutum ait ante Quintam Synodum Constantinopolitanam, aperte adversatur Evagrio libro 4. capite 39.

Anastasius, quem inter Patriarchas Antiochenos laudavimus, tum in divinis humanisque litteris eruditus, tum vivendi ratione moribusque conspicuus, valide impugnans hæresim *Aphthardocitarum*, autumantium scilicet Corpus Domini, etiam ante resurrectionem, fuisse incorruptibile, non vero capacem naturalium & inculpabilium affectionum, subiit indignationem Justiniani, qui per vim cogere instituit Episcopos universos, ut hæresim illam, in quam ipse fuerat prolapsus, amplecterentur. Sed contra evenit. Omnes enim Antistites adhæserunt *Anastasio*, qui imperterrito animo contradixit Imperatori, misso ad illum scripto demonstrans Corpus Domini, antequam revixis-

set,

CAPUT II.

DE CONCILIIS SEXTO SECULO CELEBRATIS.

Ad Ecclesiasticas causas definiendas, ad extirpandas hæreses, & ad reformandam disciplinam plura hoc sæculo congregata fuerunt Concilia. Ad primam pertinent classem quatuor *Romana* an. 501. & seqq. in quibus Symmachus Factione Laurentii adulterii, aliorumque criminum accusatus seipsum purgavit: in postremo autem an. 504. anathemati subjecti fuere cuncti bonorum Ecclesiæ invasores. In *Constantinopolitano* anni 518. nomina S. Leonis Magni, & Euphemii ac Macedonii Episcoporum ejusdem Urbis, fuerunt lacris diptychis restituta. (*l*) Romanæ, &

---

set, fuisse obnoxiam naturalibus perpessionibus, quæ in reprehensionem non cadunt. Idem Anastasius docuit in *Oratione* ad Antiochenos, necnon in Epistola ad Monachos degentes in Syria. Migrasse Justinianum ex hac vita, invisibili percussum plaga, dum adversus Anastasium, aliosque Sacerdotes huic assentientes, dictaret deportationis sententiam, refert postremo capite libri quarti prælaudatus Evagrius Scholasticus. Expulit quoque Imperator e Sede regiæ urbis C. P. *Eutychium* ejusdem hæresis *Aphthardocitarum* strenuum impugnatorem. Id contigit juxta Baronium anno 564. quem Valesius in notis ad Evagrium ait fuisse ultimum annum Imperii Justiniani. Hunc autem obiisse anno 565. die 14. Novembris, præeuntibus viris doctissimis, nullus dubito. Eutychii vitam eleganti stylo conscripsit illius discipulus *Eustachius*. Fuit Eutychius successor in Episcopatu Constantinopolitano *Menæ*, qui ejecto Anthimo antistes creatus est anno 536. & migravit ad superos anno 552. Colitur autem ejus memoria in Menologio Græcorum, & in Martyrologio Romano die vigesima quinta Augusti.

(*l*) Diptycha, Δίπτυχα, *plicatiles*, *sive duplicatæ tabellæ*, *in* quibus *Sanctorum* Præsulum nomina descripta inter Missarum solemnia ad illorum laudem, & aliorum exemplum palam recitaban-

& Constantinopolitanæ Ecclesiæ concordia sancita fuit in *Romano* Hormisdæ ejusdem anni 518. In altero Concilio *C. P.* amotus est ab omni Ecclesiastico ministerio Stephanus Episcopus Lariſſæ, & metropolita Thessaliæ, eo quod sibi Pontificium jus vindicasset, non expectato Episcopi C. P. consensu. Verum Stephani causa eodem anno, qui fuit Æ. V. 531. discussa iterum est in Concilio *Romano*, cum Ecclesiæ Illyrici ad jura spectarent Apostolicæ Sedis. *In Parisiensi* anno 551. depositus est Saffaracus Episcopus ejusdem urbis, graviſſimi convictus criminis, illique suffectus Eusebius. Emeritus item contra canones ordinatus Episcopus *Silvanensis*, anno 563. amotus fuit decreto Concilii in Gallia Aquitanica congregati. Depositi item in *Parisiensi* anno 573. Promotus Carnotensis, sede Pappolo adjudicata: & anno 579 in *Cabilonensi* Salonius Sagittarius Antistes Provinciæ Narbonensis, ob crimen læsæ majestatis. Contra absoluti fuerunt anno 587. in Synodo C. P. Gregorius Episcopus Antiochenus falso accusatus incestus; atque in *Romana* anni 595. Joannes presbyter Chalcedonensis infamatus de hæresi: atque hæc tantum de Conciliis, in quibus causæ Ecclesiasticorum virorum fuerunt discussæ.

Nam

---

tabantur. Eburneæ interdum tabellæ ipsæ erant; unde lib. 10. Poem. de S. Martino ait Venantius Fortunatus:

Nomina vestra legat Patriarchis, atque Prophetis,
Cui hodie in templo diptychus ebur edit.

Tria fuerunt *Diptychorum* Ecclesiasticorum genera, nempe, Episcoporum, viventium fidelium, & mortuorum in Ecclesiæ communione. Pertractant de his Card. Bona lib. 12. cap. 12. aliique agentes de Ritibus Ecclesiasticis. At fuerunt quoque *Diptychæ* Consulum, Quæstorum, aliorumque majori aliquo magistratu fungentium: de quibus Codex Theodosianus, Themistius, Symmachus, alii. Tabellæ item, quibus proci suos describebant amores, dictæ a Juvenali Sat. 9. *blandæ, assiduæ, densæque*, diptychæ a veteribus vocabantur, quoniam duobus constabant operimentis.

Nam de Synodis ad hæreſes eliminandas coactis agendum eſt modo. *Illyrici* itaque & Græciæ Antiſtites anno 515. ſynodali congreſſu, a Theſſalonicenſi, ſuo licet Metropolitano, communicante cum Timotheo C. P. diſcedentes Eutychianam damnarunt hæreſim, & cum Romana Eccleſia ſe penitus conſentiri profeſſi ſunt. Africani PP. qui anno 507. in Synodo *Byzacena* Provinciæ Proconſularis contra Traſamundi Ariani regis edicta ſtatuerant Epiſcopos viduis Eccleſiis præficere, exules in *Sardinia* anno 521. aliam Synodum celebrarunt. Pelagiana dogmata circa Gratiam & liberum arbitrium refutantes. Semipelagiani vero in Synodo *Arauſicana*, ſedente Romæ Felice IV. anno 529. expreſſius, quam antea, ſuerunt proſcripti. Confirmata Arauſicani Concilii decreta anno proximo in Synodo Galliæ Viennenſis *Valentina*. Hæreſes omnes, ac præſertim Priſcillianiſtarum confixit anno 563. Concilium *Bracarenſe* in Hiſpania Tarraconenſi.

Pugnatum vero vehementius pro auctoritate Synodi Chalcedonenſis, & Eutychetis, atque Neſtorii damnatis hæreſibus eradicandis. Confirmata prædicta Synodus anno 518. in Concilio C. P., Severo, aliisque adverſantibus communione privatis. Rurſus eodem anno in Synodo *Tyria* Synodus Chalcedonenſis fuit approbata. *Romæ* autem anno 532. Synodo Joannis II. *Acœmetæ* monachi damnati fuerunt, *Unum de Trinitate paſſum* ſenſu Neſtoriano negantes. Anthimus, Severus, aliique Acephali nova excitantes diſſidia rurſus Synodo C. P. anno 536. fuere compreſſi. Diſceptatum de *tribus Capitulis*, id eſt ſcriptis Theodori Mopſueſteni, Theodoreti contra Cyrillum, & Ibæ Edeſſeni epiſtola ad Marim Perſam, in Concilio C. P. anno 547. De Theodoro pertractatum eſt ſingillatim in Synodo *Mopſueſtena* anno 550. Damnata demum *tria Capitula* in *Conſtantinopolitana II.* & Oecumenica Synodo *Quinta* communiter appellata, in qua & Origenis proſcripti fuerunt errores, & iterum confirmatum Concilium Chalcedonenſe. Huic Synodo V. anno 552. congregatæ ab Imp. Juſtiniano, Epiſcop.

155. interfuerunt. Et quamvis Vigilius Papa, veritus, ne *trium Capitulorum* damnatione, (*m*) quam urgebant Eutychiani, & Acephali, ut elevarent prælaudatum Chalcedonense Concilium, a quo Causam Nestorii non recte dijudicatam fuisse autumabant, quoniam Theodoretum & Ibam in communionem receperat; quamvis Vigilius, inquam, veritus, ne *trium Capitulorum* damnatione Eutychiana hæresis extolleretur, initio ipsi *Quintæ Synodi* obsisteret; re tamen discussa illam *Constituto* suo confirmavit; quemadmodum fecerunt subsecuti Pontifices, de quibus cap. præcedenti. Quare modo de auctoritate *Quintæ Synodi* nefas est hæsitare.

Commemorandum nunc esset Concilium *Aquilejense* eodem anno 553. post Synodum V. coactum, in quo eadem Synodus V. fuit reprobata, quod videretur Episcopis Occidentalibus compluribus, ob rationem, quam nuper attigimus, contraria Chalcedonensi: unde Episcopi Veneti, Istriæ, & Liguriæ se ab Apostolicæ Sedis communione diuturno schismate segregarunt. Sed hujus Concilii, quemadmodum

---

(*m*) Acerrima de *tribus Capitulis* controversia exagitari cœpit circa annum 546. Eam primum excitavit *Theodorus* Episcopus cæsareæ in Cappadocia, ut errores Origenistarum repullulantes in Palæstina eximeret a damnatione, accusando *Theodoretum*, quod patrocinatus Nestorio lacessisset scriptis S. Cyrillum Alexandrinum, *Theodorum* Mopsuestenum, quoniam hæresi Nestorianæ viam aperuerat, & *Ibam* Edessenum, quia in sua ad Marim Persam epistola eumdem Theodorum Mopsuestenum cum laude commemoraſſet. Hinc fraudem Theodori Cappadocis Justinianus Imperator non suspicatus, omnium primus cum Origenistis in proscriptionem trium illorum *Capitulorum* intendit animum. Quamobrem Vigilius Romanus Pontifex diu ea in causa hæsitans, Fideique Christianæ pericula metuens, non levis animi inconstantia peccavit, ut quidam scripsere, sed caute prudenterque se gessit. Ipsius Vigilii *Constitutum*, quo tandem approbavit Synodum V. eruit e tenebris eruditissimus Balutius. Extat etiam de hac re Vigilii epistola Græco-Latina apud Cl. Petrum *de Marca*. Plura in dissertatione Historica *de V. Synodo* Henricus Cardinalis Norisius.

admodum, & in Illyrico antea celebrati anno 550. pro defensione *trium Capitulorum*, constat, nullam habendam esse rationem. Hujus est generis Synodus Episcoporum, qui Romanæ Sedi in damnatione trium Capitulorum, ut nuper dicebam, refragabantur, coacta apud Gradum anno 579. a qua Synodo Metropolitana Sedes Aquileja Gradum translata fuit: unde Patriarchæ *Aquilejenses*, & *Gradenses* deinceps sunt appellati. (*n*) Multo minus laudanda est Synodus 80. Episcoporum Eutychianorum habita contra Concilium Chalcedonense anno 512. *in Palestina*: quam Synodum Marcellinus in Chronico vocat *infamem* & *irridendam*. Reliqua itaque Concilia breviter sunt recensenda.

Pro disciplina itaque Ecclesiastica indictæ Synodi istæ fuerunt: *Agathenſis* anno 506. *Aurelianenſis* anno 511. *Tarraconenſis* anno 516. *Gerundenſis* anno 517. *Ilerdenſis* anno 524. *Toletana* anno 527. *Valenſis* anno 529. *Aurelianenſis* anno 533. & anno 538. *Barcinonenſis* anno 540. *Turonenſis* anno 567. *Bracarenſis* anno 572. *Matiſconenſis* anno 581. *Narbonen-*

(*n*) Patriarchatum *Gradenſem* Venetias transtulit Summus Pontifex *Nicolaus V.* anno 1447. non autem, ut legitur apud Baronium, *Leo IX.* anno 1050. Fuit vero primus Venetorum Patriarcha S. Laurentius Justinianus. E Patriarchatu autem Aquilejensi a Benedicto XIV. duo constituti sunt Archiepiscopatus, unus in civitate *Utini* provinciæ Fori-Julii metropoli, & posteversam Aquilejam Sede Patriarchatus. Alter *Goritiæ* inter alpes, sinumque Tergestinum, in Domino Austriaco, quatuor ab Aquileja leucis. Præclusus est hac divisione facta anno 1752. aditus dissidiis, non semel inter Austriacos Venetosque suborti, vel ob inaugurationem, vel ob visitationem Patriarcharum. Condecorarunt vero Episcopatum Aquilejensem olim Sanctissimi Antistites, *Hermagoras*, *Hilarius*, *Quirinus* C *omatius*, *Nicæas* & posteaquam Sedes illa obtinuit jura Patriarchatus, quod contigit anno 605., Gradenſi, & Aquilejenſi Sede in unum coeuntibus & singillatim Aquilejenſi anno 719. sedenti in Petri cathedra, Gregorio III., sanctitate ibidem claruerunt *Fridericus* & *Bertrandus*, aliique descripti in *Sacris Monumentis* provinciæ Fori-Julii ab erudito Patricio Utinensi.

bonnenſis 589. *Cæſarauguſtana* 592. & *Barcinonenſis*, altera anno 599. Aliquas, ſi forte omiſimus, ſupervacaneum eſt numerare.

CAPUT III.

HÆRESES SEXTI SECULI ENUMERANTUR.

Paucis caput iſtud abſolvitur; nam exortæ hoc ſeculo hæreſes germina fuerunt Eutychianæ, ſi errorem excipias Monachorum Acœmetarum, qui negantes unam de Trinitate perſonam affixam Cruci adhærebant Neſtorio. Contra quos Monachi Scythæ aſſerentes revera *Unum de Trinitate paſſum*, quamvis de iis initio oriretur ſuſpicio, an vocabulorum novitate dogma Eutychianum inveherent, & ab Acœmetis tanquam Eutychiani traducerentur; Catholici tamen declarati ſunt a Joanne II. ut dictum eſt primo capite.

Itaque orta inter Eutychianos & Acephalos quæſtione, an in unam coeuntibus divina, & humana Chriſti natura, ejus corpus, perinde ac noſtrum, corporalibus affectibus eſſet obnoxium; quidam tale fuiſſe, nec libere, ſed neceſſitate, aſſerebant: alii negabant, in antiquam hæreſim declinantes, qua Dominum ſpecietenus paſſum, & mortuum Gnoſtici, & Marcionitæ tradiderant. Primi *Severiani* a Severo Antiocheno ipſorum duce: ſecundi, quorum anteſignanus fuit Julianus Halicarnaſſenſis, ἀφθαρτοδοκῆται, ab ἄφθαρτος, *incorruptibilis*, ſunt vocati. Noſtrates Theologi *Corrupticolas* & *Incorrupticolas* appellaverunt. (o)

Dum

(o) *Acephali* in iſto, & in ſuperiori capite memorati, ita appellati ſunt, quaſi *Sine capite*. Nullum enim hæreſis ſuæ agno-

Dum quæstio hæc de Christi corpore Alexandriæ agitaretur, subiit in mentem *Themistio* diacono uni Acephalorum, sicuti passionem in corpus, ita ignorantiam in mentem Domini irrepere potuisse, & minime assecutus quod legitur Marci 13. 32. (*p*) illi adtribuit diei extremi judicii ignorantiam. Qui in hanc impietatem abierunt, ab auctore *Themistiani*, a dogmate ἀγνοηται, *Agnoetæ* dicuntur.

His accessit *Joannes Philoponus*, Grammaticus Alexandrinus, qui cum Eutychianis unam in Christo asserebat naturam, rejecta Synodo Chalcedonensi; at ne inde cogeretur fateri divinam naturam in tribus personis existentem fuisse crucifixam & passam, uti asserebant θεοπασχηται, *Theopaschitæ*, necessaria connexione dogmatis Eutychiani, commentus est in Deo sicuti tres hypostases, ita tres adinveniri naturas, quarum una ab aliis distincta in Redemptore substiterit. Hujus sectatores τριθειται, *Tritheitæ* sunt appellati. (*q*)

agnoscebant auctorem: nam neque Eutychis doctrinam profitebantur, neque sequebantur fidem Catholicæ Ecclesiæ in synodo Chalcedonensi confirmatam. Haud male dixeris cum Facundo Hermianensi lib. 1. pro defensione trium Capit. cap. 5. *Semieutichianos*. Fuerunt enim revera *Menophysitæ*, ut eo loci notat Cl. Sirmondus, nimirum, unam in Christo statuebant naturam, & rejiciebant prælaudatam Chalcedonensem Synodum. Agunt de his Leontius, Nicephorus, Liberatus, Ado Viennensis, Isidorus, pluraque Concilia commemorata a Du-Cangio V. *Acephali*.

(*p*) *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Similia Matthæus 24. 36.

(*q*) *Joannes Philoponus* non solum *Tritheitarum* fuit antesignanus & auctor, (nisi mavis cum Assemano tom. 2. Biblioth. Orientalis originem hujus hæresis potius referre ad Joannem alterum cognomento *Ascasnagum*, sed erravit quoque circa mor-

CAPUT IV.

ECCLESIASTICI SECULI VI.

SCRIPTORES.

Nulla sacræ eruditionis pars est, quam scriptis hoc seculo Viri percelebres non exornaverint. Divinos enim libros præter Magnum Gregorium, de quo supra, Commentariis explanarunt *Procopius Gazæus*, qui floruit imperante Justino, a Gaza Palæstinæ urbe, in qua fertur Cambises condidisse thesauros, nomenclaturam sortitus: *Victor Capuanus* Græce & Latine doctissimus, cujus fama medio Seculo percrebuit, interpres Harmoniæ Evangelicæ Ammonii, & Auctor *Catenæ* in IV. Evangelia e Veterum scriptis collectæ: *Bellator* Presbyter amicus Cassiodori, qui circa idem tempus notus erat nominis celebritate, atque in S. Scripturam libros edidit 36. temporis injuria deperditos; ac *Primasius* Adrumeti, seu Justinianopolis in Africa Episcopus, qui pariter claruit sedente Romæ Vigilio, Epistolarum Apostolicarum, & Apocalypseos Explanator.

Fidei vero Orthodoxæ dogmata propugnarunt *Paschasius* Diaconus R. E. factionis tamen Laurentianæ, duobus luculentis contra Macedonium libris, vita functis an. 512. *S. Fulgentius* Afer Senato-

---

mortuorum resurrectionem, dogmatizans, hæc corpora penitus interire, aliaque a Deo iis fore substituenda. At Philoponi Opus *de Resurrectione*, de quo Photius cod. 21. deperditum est. Scripsisse contra Synodum Chalcedonensem, & contra Joannem Archiepiscopum C. P. SS. Trinitatis assertorem, tradit idem Photius codd. 55. & 75. Verum oppugnavit Procli sententiam de Mundi æternitate, sive de mundo ingenito, & incorruptibili, vel 18. ipsius Procli, adversus Christianos Ἐπιχειρήματα. Fuit Philoponus discipulus *Ammonii* Alexandrini, is vero auditor Procli, inquit *Saveus* initio Seculi *Monoletetici*, id est, VII.

natorio ortus genere, ex Monacho Ruſpenſis Epiſcopus, & unus eorum, quos in Sardiniam relegavit Traſamundus rex Vandalorum, prædeſtinationis & gratiæ vindex acerrimus, Dominicæ Oeconomiæ, nimirum *Incarnationis*, Propugnator clariſſimus, & Arianorum profligator invictus, doctrinæ ſuæ fideique noſtræ ſcripto traditis munimentis, revocatus ab Hilderico e Sardinia, ad ſuperos abiit an. 533. (r) *Joannes Maxentius* Archimandrita monachorum Scytharum, qui Pontifice Hormisda *Unum de Trinitate paſſum* prædicabant, ſuam de Chriſto Catholicam profeſſionem expoſuit, pugnavit adverſus Acephalos, & contra Neſtorianos elucubravit Anathematiſmos, duosque libros Dialogorum. Adde *Ephræmium* Antiochenum, qui floruit ſub Imp. Juſtiniano, ſcriptisque pugnavit pro Synodo Chalcedonenſi, & pro Cyrilli Alexandrini doctrina, refutavitque Acephalos, atque Theopaſchitas: *Juſtinianum* ipſum Auguſtum, a quo præter Corpus Juris Civilis laudandum proximo capite, Epiſtolis ſuis *tria Capitula* perſtrinxit, pro Chalcedonenſi, & pro V. Synodo decertavit, nec non contra errores Origenis promulgavit Edicta: *Fulgentium Ferrandum*, S. Fulgentii, de quo paulo ſupra, diſcipulum, qui non ſemel commemoratam controverſiam *de uno ex Trinitate paſſo* circa annum 540., exploſo Eutychiano, & Neſtoriano ſenſu explanavit: *Facundum* Hermianenſem in Africa Epiſcopum, quem, etſi in defenſionem *trium Capitulorum* prægrande volumen elaboravit, Caſſiodorus tamen appellavit *hæreticorum penetrabili ſubtilitate deſtructorem*: *Leandrum* S. Iſidori Hiſpalenſis fratrem, & Gothorum Apoſtolum, vita functum an. 595. auctorem duorum librorum adverſus hæreticorum dogmata; & Opuſculi contra Arianorum

(r) Quidam Fulgentii obitum confignant in anno 529. Notiſius in anno 534. nonnulli in anno ſequenti.

rum instituta: *Leontium* Byzantinum desinente seculo clarum, a quo hæreticorum sectis descriptis, refutati sunt tribus libris Nestoriani & Eutychiani, duobus aliis Apollinaristæ, nec non solutæ objectiones Severi; & *Heraclianum* Episcopum Chalcedonensem, cujus tamen ætas ambigua est, qui libris 20. subvertit omnem impietatem, cunctaque dogmata Manichæorum.

Ad hæc permulti de Historia fuerunt optime meriti. Etenim ineunte Seculo *Basilius Zilix* Presbyter Antiochenus, præter libros 16. contra Joannem Scythopolitanum, exaravit Historiæ Ecclesiasticæ libros tres. *Epiphanius* Scholasticus, Italus, in Græcis Latinisque litteris eruditus, hortante Cassiodoro, circa annum 510. historias Socratis, Sozomeni, & Theodoreti latinas fecit, & in unum corpus contexuit. Idem *Cassiodorus*, præter opera alia pretio æstimanda, collectam ab Epiphanio Historiam in compendium redegit, edidit que libros 12. de rebus gestis Gothorum; ut mittam Chronicum ab Adam usque ad an. 519. incuria nimia contextum. Libros illos de rebus Geticis, sive Gothorum, summatim comprehendit, emendavitque an. 552. *Jornandes* Gothicæ gentis apud Ravennam Episcopus, qui & scripsit librum de Regnorum & temporum successione, ex Historia Flori excerptum. Ecclesiasticam Historiam conscripsit *Theodorus*, qui an. 518. Lector erat Ecclesiæ Constantinopolitanæ. De bello Persico, de Vandalico, & de Gothico, & Historiam Arcanam absolutam an. 562. scripsit *Procopius* Cæsariensis, ad Senatoriam dignitatem evectus, & Belisario acceptissimus. Annales Francorum, S. Martini virtutes & miracula, Gloriam Confessorum & Martyrum, consignavit litteris *S. Gregorius* Arvernus, & Turonensis Episcopus, cujus beata mors contigit anno 595. Ad hæc usque tempora deduxit libros sex H. E. *Evagrius* Syrus, cognomento Scholasticus, a synodo nempe Ephesina usque ad annum 12. Mauricii. Accessere Chronicorum scriptores, *S. Dacius* Archiepiscopus Mediolanensis, qui claruit sub Justi-

Justino seniore: (s) *Marcellinus* Comes, Cancellarius Imperatoris Justiniani: *Victor* Episcopus Turonensis in Africa, *ob tria Capitula* exilio, carceribusque, ubi circa an. 556. occubuit, sub Justiniano afflictus. Alii quoque historica Commentaria elucubrarunt, scilicet, *Liberatus* Diaconus Carthaginensis Breviarium, historiam Nestorianam & Eutychianam complectens: *Cyrillus* Monachus Palæstinus vitas SS. Joannis Silentiarii, Euthymii, & Sabbæ Abbatum: *Theophanes* Byzantinus res gestas Romanos inter & Persas: *Gildas* natione Britannus Britanniæ res, excidium, & Sanctorum Virorum res gestas; & *Eutychianus* Cilix Pœnitentiam, & Conversationem S. Theophili.

Insudarunt præterea in colligendo Canones, & Patrum decreta, *Dionysius Exiguus* Monachus Scytha, & Abbas Romanus, cui & debemus Cyclum annorum 97. inchoandum ab an. 527. (t) *Martinus*

(s) Chronicon istud annorum sexcentorum asservatur MS. in Bibliotheca Ambrosiana, non una descriptum manu. At istud videtur Dacio suppositum, tum quia titulus recentior apparet, tum quia progreditur usque ad annum 1067. cum S. Dacius obierit circa annum 555. Periit itaque Chronicum Dacii, & auctor M. S. Mediolanensis fuit Landulphus, sub cujus nomine illud edidit Ludovicus Antonius Muratori tom. IV. Script. Rerum Italicarum.

(t) Cyclum illum Dionysius condidit superiori anno 526. ut diximus in *Rudim. Chronol.* cap. 7. Progreditur tamen ab anno 527. Vide Petavium lib. 13. de Doctr. Temp. ad annum P. Jul. 5236. Christi 526. Adscivit, reformavitque majorem cyclum Victorianum, seu periodum annorum 532. quamquam hujus in suis epistolis Dionysius non meminit. Imo prælaudatus Petavius lib. 12. cap. 3. censet a Dionysio adhibitum duntaxat Cyclum annorum 95. sub *Cyrilli* nomine laudatum. Nos Cyclum *annorum* 97. diximus, præeunte Mariano Scoto ad annum 527. Sed legenda *Historia* Cycli Dionysiani in lucem edita Wittembergæ anno 1718. Quod certum est, Dionysius, abjecta Æra Diocletiani, cycli sui annos computare cœpit *a Domini*

nus Epiſcopus Bracarenſis in Hiſpania Tarraconenſi, vel potius in Luſitania; & *S. Auguſtinus* Gregorii Magni diſcipulus, atque Anglorum Apoſtolus, qui fertur circa Seculi VI. finem Cantuarienſis, quam regebat, Eccleſiæ ex Patrum Regulis collegiſſe ſtatuta.

Ad formandos quoque mores, & religioſorum virorum dirigenda inſtituta, intenderunt animum bene multi. *S. Cæſarius* e Lirinenſi monaſterio an. 502. ad Sedem Arelatenſem, hinc vero an. 542. evectus ad beatorum regnum, in virginibus & adoleſcentibus dirigendis, in tradenda Monachis, & Sanctimonialibus Regula, & fidelibus omnibus edocendis totus incubuit. *S. Simeon* Stylites Junior, qui exactis ſupra columnam non procul ab Antiochia annis 68. ad cœleſtem patriam migravit anno 595. formulas tradidit Dominum, ac Deiparam exorandi. Tum regula, tum libro de Ordine Monaſterii, ſententiisque pluribus iter ad perfectionem complanavit *S. Benedictus* Monachorum Occidentis Patriarcha, vetuſta Aniciorum familia ortus, ad eremum Sublaci profectus, inde in Caſſinum, ubi an. 543. ſpiritum cœlo reddidit. Sermones Aſceticos 87. edidit circa idem tempus *Iſaac* natione Syrus, factus ex Epiſcopo urbis Ninives anachorita. *Scalam* Paradiſi deſignavit ſcriptis *Joannes*, ab eremo, quem coluit, Sinaita, & ab Opere edito *Climacus* nuncupatus; Græcis enim ſcala, ſeu gradus dicitur κλίμαξ: & *S. Columbanus* ex Hibernia in Burgundiam, hinc in Italiam profectus, Bobienſe condidit monaſterium, cui Regulam, Inſtitutiones ſpirituales, & Pœnitentiale præſcripſit.

Deni-

---

nini Incarnatione, ut diximus capite 12. Chronologiæ. Cœperunt vero anni ſupputare *a Chriſti Nativitate* anno Incarnationis ſexcenteſimo primo, imperante Mauritio, quemadmodum in Vita Romani Pontificis *Deus dedit* demonſtrat ex epiſtolis Gregorii Magni Papirius Maſſonus.

Denique & poesi stylum exercuere præstantes viri: nam inter Opera *Severini Boethii* in arcto Ticinensi carcere decollati an. 526. (*u*) habentur libri 5. de consolatione Philosophiæ compositi simul metro, & soluta oratione. Inter scripta *S. Ennodii* Ticinensis Episcopi vita functi an. 521. extant Poemata & Epigrammata plura. *Arator* Ligur. an. 544. Heroico Carmine Apostolicam descripsit Historiam, & *Venantius Fortunatus* Italus non procul a Tarvisio natus, vergente ad exitum seculo, Poematum libros undecim, quibus varia subjiciuntur carmina, Gregorio Turonensi dicavit. Omni itaque eruditionis genere præfulsit seculum Ecclesiæ sextum.

(*u*) Severino Boethio Patritio, & Exconsuli fuit lectissima conjux Elpis, cujus Romæ in porticu Vaticano positum Epitaphium.

Elpis dicta sui Siculæ regionis alumna,
Quam procul a patria Conjugis egit amor:
Quo sine mœsta dies, nox anxia, flebilis hora,
Nec solum caro, sed spiritus unus erat.
Lux mea non clausa est tali remanente marito,
Morique animi parte superstes ero.
Porticibus sacris jam nunc peregrina quiesco,
Judicis æterni testificata thronum.
Ne qua manus bustum violet, nisi forte jugalis
Hæc iterum cupiat jungere membra suis.
Ut thalami tumulique comes nec morte revellat,
Et socius vitæ nectat uterque cinis.

CAPUT V.

AUGUSTI PRINCIPES, SANCTORUMQUE PERMULTI.

Miserando exitu extincto Anastasio an. 518. Imperium commissum *Flavio Anicio Justino* e Thracia, suario jam & subulco: qui cum foret comes excubitorum, collata sibi ab Amantio spadone magna pecuniæ vi, per quam conciliato exercitu acclamaretur Theocritianus, illam ad comparandam sibi dignitatem adhibuit. Qua adauctus Theocritiano contis transfixo, & projecto in gurgitem, uxorem suam, Lupicinam nominatam, deinde Euphemiam, declaravit Augustam, resque Catholicorum juvit quam maxime. Ejus enim opera Occidentalem inter & Orientalem Ecclesiam, post diuturnam separationem, cœptam a temporibus Acacii a Felice III. communione privati, concordia inita est: Arianorum Ecclesias jussit ritu Catholico consecrari capitisque damnavit hæreticos, maxime Manichæos. Vita functus est anno ætatis suæ 77. imperii 9. Æ. V. 527. *Consule Mavortio* Kal. Augusti. (*x*)

Super

(*x*) Justinum imperiali diademate coronatum C. P. Romano Pontifice Joanne I. tradunt cum auctore Libri Pontificalis complures Historici. Corippus Poeta Africanus lib. 2. inquit:

Postquam cuncta videt ritu perfecta priorum
Pontificum summus, plenaque ætate venustus,
Adstantem benedixit eum, cœlique potentem
Exorans dominum, sacro diademate jussit
Augustum sancire caput.

Verum ad Joannem III. & ad Justinum Juniorem Papirius Massonus hæc refert lib. 2. pag. 103. Justinus Senior, de quo nunc agitur, priorem conjugem *Lupicinam* renunciatus imperator

Superstite Anastasio Eutychiano, pro fide Chalcedonensis Synodi trucidati fuere an. 512. Monachi Maronitæ CCCI. & an. 517. *Severus* Acephalorum Caput alios plus quam CCC. eamdem ob causam mactavit in Syria. *Du Navvas* Judæus Homeritarum in Arabia regulus, expugnata an. 522. urbe Nagran, hujus præsidem *Aretham* cum aliis 340. affecit martyrio, inter quos puerulus annorum quinque cum matre injectus fuit in ignem. *Cabades* item Saracenorum Persarumque Rex (*y*) morti tradidit Christianorum ingentem numerum: imperante Justino e vita quoque migrarunt anno 520. *S. Avitus* Episcopus Viennensis, an. 521. *S. Brigida*

---

tor appellavit *Euphemiam*. Hac e vivis sublata, anno 523. aliam duxit *Theodoram* nomine. Urbes terræmotu dirutas restauravit, Corinthum & Dyrrachium anno 521. Anazarbum vero Ciliciæ secundæ metropolim, dictam postea *Justinopolim*, anno 524. In exilium expulit Episcopos Arianos, Nestorianos, & Eutychianos. Justino *Velius* Epitaphium istud concinnavit:

Accipit imperium Thrax, armentarius ante
Justinus, frugi Cæsar, obitque pius.

(*y*) In persecutione Cabadis regis Persarum complures Christi fideles, quibus evulsa, aut præcisa fuerat lingua, expedite nihilominus & clare loquebantur, Dei nomen magnificantes. Quod in persecutione pariter Vandalica, sive Africana Arianorum, contigisse *Reparato* tradit lib. 3. Victor Vitensis. Possunt tam mirabili eventuri aptari ea verba Prudentii Hymno 14 περὶ στεφ.

Christum loquenti lingua nunquam defuit.
Ne verba quæras quo regantur organo,
Cum prædicatur ipse verborum dator.

Rex item Homeritarum in Arabia factus e Christiano Hebræus, permultos fideles, inter quos enituit *S. Arethas*, immanissime trucidavit. Rex ille *Du Navvas* appellabatur: de quo plura in Historia Arabum *Pocockius*, & in vita Mahumetis *Prideaux*. Contigit Homeritarum persecutio circa annum 70. ante Pseudoprophetam.

gida monialis in Scotia, & an. 524. Sanctus Burgundiæ Rex *Sigismundus*.

Adoptaverat Justinus filium sororis suæ *Flavium Justinianum*; qui succedens avunculo imperium tenuit annis fere 39. extinctus ætatis suæ anno 83. Chr. 565. die 14. Novembris. Uxor illi fuit Theodora Cyprides, insolens femina, & Eutychianis addicta. Triboniani, aliorumque ICC. opera perfecit. Corpus Juris Civilis, comprehendens institutionum libros 4. Pandectarum, seu Digestorum 50. & Codicis 12. Addidit postea Novellas 168. Authenticas ἀπὸ ἀνδριας nuncupatas. Promulgatus Codex an. 529. Novellæ Constitutiones an. 535. Civile bellum, quod paraverant nepotes Anastasii Hypatius, Pompejus & Probus affectantes tyrannidem, sustulit horum cervicibus amputatis. Per duces Belisarium, Alexandrum, & Narsetem Gothos domuit, Persas devicit, Romanoque Imperio restituit Africam occupatam a Vandalis. Sese controversiis Ecclesiasticis, plus forte, quam decebat Imperatorem, immiscuit, quandoque instigante conjuge Eutychiana a recta deflectens. (z)

Imperium administrante Juliano, a Manucha pirata prope Messanam an. 541. necati fuerunt *Placidus* monachus, S. Benedicti discipulus, cum *Flavia* sorore, duobus fratribus, aliisque monachis 30. (a) an. autem 546. sub Totila Rege Gothorum abscissum caput *Herculano* Episcopo Perusino. Obierunt, eodem Imperatore, sanctissimi Episcopi *Remigius* Remensis, *Aurelianus* Arelatensis, *Lupus* Lugdunensis, *Medardus* Tornatensis, & *Germanus* Capuanus. Incidit in hæc tempora mors prælaudati *Benedicti*, ejusque sororis *Scholasticæ*, *Severiani* Abbatis Agaunensis, *Clotildis Francorum* Reginæ, nec non anachoreticam vitam agentium, in

(z) In hæresim ἀφθαρτοδοκιτῶν prolapsus.

(a) In Breviario Romano consignatur horum martyrium anno 539. III. Nonas Octobris.

in Palæstina *Cyriaci*, & in Umbria *Isaaci*, & *Florentii*.

Imperarunt post Justinianum (*b*) *Justinus Junior* illius nepos, *Tiberius Constantinus* a Justino adoptatus, & *Mauritius* Cappadox adoptatus a Tiberio

(*b*) *Flavius Anicius Justinus* parentem habuit Vigilantiam sororem Justiniani, uxorem vero Sophiam, adeo procacem, & imperiosam mulierem, ut Narseti, qui Italiam regebat, probrose objecerit, idoneum esse duntaxat ad pensa cum puellis trahenda in gynæceo. Narses respondisse fertur, orditurum se telam, quam neque ipsa Sophia, nec maritus possent extricare; quod fecit vocando in Italiam *Langobardos*. Hos quidam dictos putant a duobus linguæ illorum vocabulis, *Lang.* longa, & *baert*, barba: unde Guntherus apud Du-Cange in Glossario,

Dicitur a longis ea Langobardia barbis:

quidam ita appellatos volunt a propria urbe in ora maris Baltici sita, quam dixerunt Bardum, *Bart*: nonnulli a genere, quo utebantur armorum, hastis bipennibus similium: aliqui demum, quod coaluerint ex *Lingonibus* & *Bardiis*; sed hi ad Gallias attinent. Justinum, ut ad illum revertamur, *Curopalatem* vocarunt, quia fuerat Prætorii Præfectus. Fuit mollis, dissolutus, & deliciis, fœdisque deditus voluptatibus. Pelagiana quoque hæresi infectum ajunt. Ex fastu ac tumore incidit in dementiam. Nuncupavit Imperatorem Comitem Excubitorum, suadente Sophia, scilicet, Tiberium Constantinum, cujus illa ardebat amore. Obiit podagra. De Justino Mycillus, quasi *Epitaphium* condens:

Ingenio, & pietate Minor, *non tempore tantum*
Hic fuit: ast ingens cultor avaritiæ.
Regna sub hoc Longi *ceperunt Itala* Bardi:
Ipse pedum morbo, mentis egenus obit.

De *Tiberio* autem idem Mycillus:

Ast hic divitias regni elargitur egenis,
Erga alios facilis, nec gravis ipse sibi.
Devicit Persas, & Successore creato,
Ipse domi placida morte quietus obit.

Succes-

berio Constantino. Decessit Justinus an. 578. mense Octobri, duodecimo Imperii sui anno: Tib. Constantinus cum imperasset annis 4. placide obiit Constantinopoli, an. 582. Mauritius vero creatus Cæsar hoc anno die 5. Augusti, & die 13. Imperator acclamatus, cum Imperium tenuisset annis 20. interfe-

---

Successor Tiberii fuit *Mauritius*, cui Tiberii quoque accessit cognomentum. Cappadox fuit, sed Arabisso oriundus. Parentes habuit Paulum & Joannem ex vetusta, & olim Romana familia. Uxor illi Constantina filia Tiberii. Ex hac susceptit Theodosium, aliosque liberos jussu Phocæ necatos, filiasque Anastasiam, Theodistam, & Cleopatram, detrusas antea in Monasterium, deinde simul cum matre peremptas. Trucidatus est Chalcedone anno ætatis suæ 63. Constantinæ, natarumque cadavera ad mœnia urbis C. P. sepulta fuerunt in templo *S. Mæmantis*, cum Epitaphio edito a Pharasmane cubiculario Justiniani, qui in campo jacentium corporum sepulturam curavit. Est autem Epitaphium illud, quod sequitur:

Hic sita quæ Regum (dolor heu!) miseranda duorum
Uxor Mauritii, filia Tiberii.
Quæ, partu monstrante meo, fœcunda probavi
Multorum esse etiam posse bonum Imperium.
Militis huc furor, & populi levis ira Maritum,
Me, sobolemque meam sanguinolenta tulit.
Heu mihi! Quid gemitis Niobem? Ego mortua spiro.
Aspera continuis saxa rigo lacrymis.
Cladibus haud Hecubæ certent, Jocastaque nostris,
Nam levior dolor est; cæsus uterque parens.
Sæve, quid infantes perimis vitiique dolique
Ignaros? Ætas quid dedit illa mali?
Non tibi Roma meis jam præbeo frondibus umbras,
Turbine Threicio stirpitus interii.

Si Epitaphium istud tumulo Constantinæ, & filiarum ejus revera insculptum fuit, ut in *Mauritio* refert Zonaras; actum id credidetim extincto Phoca.

terfectus fuit cum omnibus filiis, & propinquis ſuis a Phoca an 602. exeunte Novembri. Juſtinus *Curopalates* dictes, infectus fuit hæreſi Pelagianorum, duxitque uxorem *Sophiam*, mulierem adeo t uculentam, & ambitioſam, ut ejus cauſa Narſetes in Italiam accerſiverit Langobardos. Cæterum princeps fuit juſtitiæ ſtudioſus, publicæ tranquillitatis amator. Tiberius Conſtantinus fuit liberalis ac ſtrenuus, fuditque duobus præliis Perſarum copias. At Mauritius, quamquam belli, & pacis artem calleret, enormi tamen avaritia & iracundia adeo in ſe tumultuantes milites concitavit, ut inde Phocas illum opprimendi arripuerit occaſionem.

Hac etiam Seculi VI. poſtrema parte in Chriſti fideles impiorum ſæviit immanitas. Etenim anno 580. Viſigothorum Rex Leowigildus Arianus in illos inſiliit, ægre ferens filium ſuum *Hermenegildum* ad Catholicos acceſſiſſe. Ipſum vero Hermenegildum an. 589. interfici juſſit, quoniam noluit ab Ariano antiſtite recipere communionem. Trucidatus hoc ipſo anno orans in templo *Prætextatus* Epiſcopus Rothomagenſis juſſu Fredegundis Francicæ Jezabelis. Auguſtoritii, ſeu Pictavii anno 587. ad Agni nuptias evolavit *Radegundes* Regina. Exitum Sæculi ſanctiſſimorum Epiſcoporum pretioſa mors decoravit, ut *Theodori* Maſſilienſis an. 594. *Anaſtaſii* Antiocheni, qui a monte Sinai, ubi antea monaſticam egerat, *Sinaita* vocatur anno 599. (c), & *Syagrii* Auguſtodunenſis an. 600. eodem anno 600. martyrio effectus *Cechardus* Lanenſis Epiſcopus, cujus ſacrum corpus colitur Curiariæ in Etruria Mediterranea.

CA-

(c) Referunt Annales Eccleſ. ad annum 585. martyrium *Alexandri* Epiſcopi Feſulani.

CAPUT VI.

DOCTRINA, ET DISCIPLINA SEXTI CHRISTIANI SECULI.

Mysteria, quæ objecta sunt fidei nostræ, fuerunt luculentius exposita. Nam ex controversiis hoc seculo exortis didicimus ambiguas evitare sententias, ut *Unum de Trinitate passum* asserere, non attenta Divinitatis substantia, sed assumpta natura hypostatice unita Divinæ. Per hanc vero unionem, non sublata utriusque naturæ proprietate, sed humana ad jura Divini Verbi translata, ita idem Verbum dici natum & mortuum secundum carnem, ut in hanc voluntate ejus liberrima impetus passionis, vulnerumque ictus irruerint. Ex intima illa, & substantiali unitione in Dei hominis animam, cum plenitudine gratiarum, constat pleniſſimam scientiam fuisse transfusam. Arausicana II. Synodo finita est omnis quæstio de Gratia, & Semipelagianorum error proscriptus.

Sacramentalia, librique Liturgici Missarum ostendunt celebratam solemnitatem. (*d*) Episcopi in Anglia, & signanter Metropolitæ Londinensis, & Eboracensis instituti fuerunt Romani Pontificis auctoritate. Judicia Episcoporum in Synodis Provinciarum fuerunt discussa: Iidem Episcopi, quia Clero

(*d*) Institutæ a S. Gregorio Magno initio Pontificatus sui Litaniæ Majores, ut scribit cap. 57. Micrologus. Factum id ad avertendam inguinalem luem, Romanum populum post inundationem aquarum insolita cæde vexantem. Intellige Litanias, quæ celebrantur VII. Kal. Majas: nam quæ habentur in tribus feriis ante Ascensionem Domini, auctorem habuerunt Sec. VIII. Leonem III. ad universam Ecclesiam extendentem Rogationes, quas pro Ecclesia sua instituerat Mamertus Episcopus Viennensis.

ro eligebantur approbante populo, interdum promoti sunt Principum auctoritate. Imposita etiam Subdiaconis lex cœlibatus, (e) Diaconi 25 ætatis anno, Presbyteri 30. ordinabantur. Ecclesiasticis cunctis congruens præscripta est disciplina.

Monasticum ordinem propagarunt viri sanctissimi, *Cæsarius*, *Aurelianus*, *Fructuosus*, *Columbanus*, & alii, sed nemo felicius S. *Benedicto*; cujus Ordinis initia referuntur ad an. 529. vel potius 524. (f) Illius statuta confirmavit an. 595. S. Gregorius Magnus.

Ad Christianam Religionem perduxit hoc Seculo Britanos & Anglosaxones *S. Augustinus*, laudatus cap. 4. Bojos, seu Bavaros, Bohemosque *S. Rupertus* Episcopus Wormatiæ, Pictos Scotosque *S. Columbus* Monachus Hibernus. (g)

(e) Indictam a Pelagio II. Subdiaconis Siciliæ continentiæ legem scribit ad annum 588. Baronius. Idem constat ex Epistolis S. Gregorii Magni ad Petrum Subdiaconum & ad Leonem Episcopum Catanensem. Ab ea lege, quæ tamen in Romana Ecclesia vetusto more servabatur, Subdiaconatus cœpit inter majores Ordines recenseri, non tamen ubique. Vide Lupum p. 4. in Synodos differt. I. proœmiali cap. 3.

(f) S. Benedictum natum anno Chr. 480. Zenonis Imp. 7. & Odoacris regis 5. mortuum vero anno 543. ætatis suæ 63. Leo Ostiensis, aliique testantur. Propagavit in Galliis Monasticum S. Benedicti institutum 5. *Maurus* ejus Discipulus. Ab isto cognomen sumpsit celeberrima ejusdem Ordinis Congregatio de literarum restauratione & incremento maximopere sollicita, atque optime merita. Migravit autem S. Maurus Abbas ad Superos anno 565.

(g) Fidem quoque Justiniano imperante amplexi sunt *Eruli*: nomen sortitia paludibus stagnantibus, quos olim juxta Mœotidem incolebant, de quibus Procopius lib. 1. de Goth. Theophanes in Chronico, & Evagrius lib. 4. capite 20. Conversos item

APPENDIX

EXTERNARUM RERUM DELECTUS.

Quædam Regna exorta superiori Seculo, & illorum Principes, commemoravimus. In Italia post Odoacrem regnasse diximus *Theodoricum*. Regnaverunt postea anno 526. *Athalaricus*: (*h*): anno 534. *Theodatus* anno 536. *Vitiges* anno 540: *Theodobaldus*: an. 541. *Alaricus*: anno ipso Totila, an. 553. *Tejas*, Gothorum regum postremus. *Longobardi* vero an. 568. Regnum suum in Italia condiderunt, ac primus regnavit *Alboinus*, qui a Narsete invitatus cum armatorum 200000. e Germania & Vandalia erupit, Regnique sedem collocavit Ticini. Ex quo tempore Ravenna regum Visigothorum regia in Exarchatum pertransiit. Alboino autem anno 574. successit Clephis: huic post decem annorum interregnum an. 585. *Antharis*, & huic an. 590. *Agilulphus*.

Francorum Regnum post Clodovæum anno 515. consecutus est *Childebertus*: anno 560. *Clotarius* an. 565. *Cherebertus*: an. 574. *Chilpericus*: an. 588. *Clotarius II.* vita functus Seculo VII.

Post

---

item ad Christum *Abasgos*, sive *Abascos*, populos Colchidis habitantes in ora litorali Ponti Euxini, apud quos Justinianus in honorem Deiparæ sacram construxit Ædem, nec non barbaros incolentes Tanaim, scribit idem Evagrius citato lib. 4. cap. 2. & sequenti.

(*h*) Sunt, qui inter Athalaricum, & Theodatum biennio regnasse tradunt *Amalasuntham* Regnumque *Theodati* definiunt anno 537. *Vitigis* 541. *Theobaldi*, & *Alarici* 542. *Totilæ* 553. *Tejæ* item eodem anno. Cœpit anno 559. apud Anglos Ἑπτάρχια, septem nempe Principatuum partitio, qui in unum redacti sunt anno 828. regnante *Egberto*.

Post Trasamundum regnum Vandalorum in Africa auspicatus est an. 523. piissimus *Hildericus*, qui statim Episcopos exules revocavit. Huic *Gilimerius* vitam regnumque abstulit, sed & ipse a Belisario victus, & Constantinopolim adductus est an. 533. Ita regnum Vandalicum ab occupata Carthagine a Genserico, scilicet ab anno 439. stetit solummodo annis 95.

Regnavit in Hispania post Alaricum ab an. 506. *Gesaleycus*: deinde ab an. 526. *Amalaricus*: ab anno 531. *Theudas*; ab anno 548. *Taudegesillus*: ab an. 549. *Agila*: ab an. 554. *Athanagildus*: ab anno 567. *Liuba*: (*i*) ab an. 568. *Leovigildus*, Ariani omnes. Tum ab anno 586. *Recaredus*, primus regum Gothorum, qui fidem Catholicam amplexi sunt, frater sancti martyris Hermenegildi.

Inter hujus Seculi bella prætermittenda non sunt Gothicum, & Longobardicum. Illud exortum est an. 535. *Cos. Belisario*, & Gothorum Rege Theodato. At Belisarius Siciliam recuperavit, debellavitque Neapolim. *Vitiges* interfecti Theodati hæres anno 537. Romanam Urbem tali cinxit obsidione, ut matres, fame etiam per Italiam grassante, filiorum carnibus vescerentur. Strenuissimus tamen Belisarius Romam ab internecione redemit; qui anno 539. expugnavit Ravenam, captumque Vitigem cum Gothorum Optimatibus, & ingenti divitiarum copia captivum adduxit ad Justinianum Constantinopolim. Interea temporis *Longobardi* quoque irruerunt in arma, atque excisum illorum impetu Mediolanum. *Totila* Gothorum Rex castra rursus movit ad Romanæ Urbis excidium, eamque occupavit anno 546. incenso Capitolio, ac diruta magna murorum parte. *Narses* Romam liberavit a Gothorum tyrannide, occiso Totila an. 552. Paulopost *Theya* superato atque ex-

(*i*) *Liubam* extinctum quidam ajunt anno 571. *Leovigildum* autem anno 585.

tincto, Italia Gothorum jugum excussit. At Longobardi anno 581. occuparunt Neapolim, & 589. solo æquarunt amplissimum monasterium Cassinense.

Cujusmodi sit humanæ felicitatis ludibrium, facile ex his intelligitur. Illud ulterius patefacit, cum *Vitallianus* an. 520. dum consulatum gerebat, Justino imperante, interfectus, tum *Symmachus* Senator, socer Severini Boethii, an. 525. necatus Ravennæ jussu Theodorici. Quid *Belisarius* tantorum gloria bellorum? Ob suspicionem conjurationis in Justinianum an. 561. omni expoliatus honore despectissimam vitam transegit: nec desunt, qui asserant, excœcatum eo perveniſſe miseriæ, ut obulum peteret in eleemosymam.

Infortunia alia complura testantur vitæ hujus calamitatem. Sævissimam famem Italiæ populo superius commemoravi. Pestilentia autem anno 558. tam dire vexavit Constantinopolim, *ut sepeliendis mortuis*, inquit Theophanes, *non sufficerent viui.* Terræmotu anno 524. concidit Anazarbus Ciliciæ metropolis. Eodem concussa anno 526. & ferme diruta, sæpe per totum annum repetito motu, Antiochia, addito ad terrorem incendio, adeo, ut imperator Justinus depositis diademate, & purpura saccum induerit. Rursus eadem in urbe anno 528. ingenti terræmotu corruerunt cuncta fere ædificia, & cessavit tandem flagellum, inscriptis domorum januæ, aut parieti iis verbis, χριστὸς μεθ' ἡμῶν ϛήτω. Ipsa civitas anno 587. vehementi quassata est iterum motu terræ. Constantinopolim pariter anno 557. quo S. Sophiæ templum mirabilis structuræ perfectum est, terræ motus concussit, pertimescentibus civibus adveniſſe finem, & interitum mundi. Incendio insuper anno 525. igne mirabiliter e summis tegulis descendente, in prædicta Antiochena urbe plurimi perierunt. Aqua item, exundante extra alveum Scirto fluvio, vastata fuit Edessa civitas Syriæ, Justinopolis quoque appellata.

De

De litteris, ac disciplinis bene plurimi meruerunt. In arte enim *Grammatica* cæteris præstitit *Priscianus* Cæsarienſis, omnium sui generis princeps. Eloquentia excelluit *Petrus Patricius* Theſſalonicenſis, qui mira facundia quælibet barbara demulcebat ingenia. Poeticam excoluit *Corippus*, a quo ſcripti fuerunt libri 4. de laudibus Juſtini Junioris heroico Carmine. Præclara de Philoſophia conſcripſit Volumina *Proclus Lycius*, Platonicorum ſectator dogmatum; at addidit adverſus Chriſtianos 18. ἐπιχειρήματα. Secutus Procli impietatem *Damaſcius* Damaſcenus illius auditor, & in Schola Athenienſi ſucceſſor. Veritatis ſtudioſus dicitur a Photio Cod. 69. *Heſychius* Mileſius, qui Hiſtoriam ſcripſit annorum 1190. eamque appellavit *Romanam* & *Omnigenam*. Sui ævi hiſtoriam tradiderunt litteris *Hermolaus* Byzantinus, & *Agathias*, memorati a Joanne Curopolata, & Cedreno. *Beulanum* Anglum, ejusque Opus de Genealogiis Gentium novimus tantum ex Balæo. *Hunibaldus*, qui ſcripſit de rebus geſtis Francorum, dicitur a Voſſio *Scriptor* treſſis, minimi ſcilicet pretii. (*k*) Acceſſerunt Seculi hujus

(*k*) Quidam *Proclum* hoc Seculo VI. vixiſſe autumant, ſed vide Not. Seculi præcedentis. *Diadocum* dictum, ait Caveus in Sec. VI. ſive Eutychiano. Addendus *Simplicius* egregius Philoſophus, Platonicus & Peripateticus, ortus in Phrygia, & familiaris Damaſcii. Clarebat anno Chriſti 508. Æræ Dioclet. 221. Qui ergo tradunt, Simplicium floruiſſe tertio Seculo, Æram Martyrum pro Dionyſiana accepere. Idem Simplicius in Explanationibus Ariſtotelicis carpit, mordetque Chriſtianæ religionis dogmata. A quibus fuerunt quoque alieni *Agathias* Smyrnenſis, nobilis alioquin Hiſtoricus, *Chalcidius* Philoſophus, & *Alexander* Lycopolitanus, quamvis is confutaverit Manichæos, ut conſtat ex tomo 2. *Auctarii* Bibl. PP. editi a Combefiſio. Videntur item nulli religioni addicti *Procopius* palæſtinus & domo Cæſareenſis, quem commemoravimus ſuperiori capit. 4. emunctarum narium hiſtoricus, rhetor nobilis, & ad Senatorium ordinem aliasque dignitates a Juſtino evectus, necnon *Tribonianus*, cujus meminimus cap. 5. appellatus *Conditor Juris Civilis*, natus in Pamphylia, a Juſtiniano Quæſtor, Aſſeſſor, &

Scriptoribus alii complures. Etenim inter JCC. præter illos, qui in Codice Justinianeo perficiendo plurimum insudarunt, floruit circa eadem tempora *Thalelæus*, qui in Græcum Pandectas accuratissime vertit, appellatus a Cujacio doctissimus Græcorum, atque ab aliis Græcis Interpretibus τῆς νομικῆς ὀφθαλμος, id est, *Oculus Jurisprudentiæ*. Boethius, cujus supra meminimus, etiam in Philosophicis litteris excelluit: nam in Porphyrium, in libros Aristotelis Analyticos, necnon de Geometria, de Musica, & de Arithmetica pertractavit. *Alaricus* Visigothorum Rex, quem Clodovæus superavit, Theodosianum Codicem emendavit, & quibusdam additis, quibusdam autem abrasis promulgavit Tolosæ, anno regni sui 22. & Æræ Christianæ 506. Circa idem tempus Rab. *Asee* fertur collegisse *Talmud* Judæorum, quod *Babylonicum vocant.*

& Consul creatus. Sane Tribonianus male audiit apud Suidam, Hoctomannum, Moshemium, alios. Exornavit autem illius vindicias Janus Vincentius Gravina in libro de Ortu & progressu Juris Civ. num. 137. Eundem Tribonianum commendat plurimum Imperator Justinianus, *de Conceptione, & de Confirmat. Digestorum.* Cæteri, qui in componendo Justinianeo Codice adlaboraverunt, C. tit. *de Vet. jure enucleando, l.* 2. & alibi laudantur.

SEPTIMUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

SUCCESSIO PONTIFICUM ROMANORUM.

Post Gregorium Magnum Catholicæ præfuerunt Ecclesiæ, *Sabinianus. Bonifacius III. Bonifacius IV. S. Deusdedit. Bonifacius V. Honorius I. Severinus. Joannes IV. Theodorus. I. S. Martinus I. S. Eugenius I. S. Vitalianus Adeodatus. Donus I. S. Agatho S. Leo II. S. Benedictus II. Joannes V. Conon, S. Sergius I.*

LXVII. Sabinianus Volaterris ortus est, fuitque primum Gregorii Magni diaconus, postea successor. Usum æris Campani dicitur invenisse, quem alii tribuunt S. Paulino Nolano, unde Campanam dici *Nolam* opinantur: at usus hoc nomine ad significandum tintinnabulum lib 8. cap. 6. Quinctilianus, qui floruit imperante Domitiano, ac I. Seculo. Tradunt Sabinianum obiisse a Gregorii spiritu percussus propter avaritiam in capite: sed pace Sigeberti, somnium, id est, & fabella. Supremus illi dies 22. Februar. an. 606. nondum expleto Pontificatus biennio.

LXVIII. Brevior fuit Pontificatus *Bonifacii III.* Romani. Is enim electus anno 607. XI. Calend. Martias, efficiens, ut etiam a Phoca Imp. Romana Ecclesia declaretur omnium aliarum caput & mater

eccleſiam rexit menſibus 8., extinctus IV. Idus Novembris an. 607.

LXIX. Huic ſuffectus *S. Bonifacius IV.* e Valeria apud Marſos: qui *Pantheon* olim a M. Agrippa ædificatum, & adhuc poſt tot urbis clades ſuperſtes, annuente Phoca, Virgini reginæ Martyrum conſecravit. & vita deceſſit labente anno Epiſcopatus ſui nono, & V. Æ. 615. ſeptima die Maji.

LXX. Ab eo anno 615. usque ad an. 618. quo obiit V. Idus Nov. ſedit in Romana cathedra vir eximiæ ſanctitatis *Deusdedit*, filius Stephani civis Romani, electus, quod nondum contigerat, adhuc ſubdiaconus, ſi fides habenda ſit Anaſtaſio & Liberato, cui & Ven. Baronius ſubſcripſit.

LXXI. Tenuit deinde Pontificatum annis fere 6. *Bonifacius V.* mortuus anno 625. die 22. Octob. immerito reprehenſus, quod aſſeruerit, Chriſtum nos redemiſſe a ſolo originali peccato; cum eo ſenſu locutus ſit, quo Joannes cap. 1. 29. Ἴδε ὁ ἀμνὸς τῦ θεῦ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τῦ κόσμυ, quod nempe ſolum originale peccatum mundum infecerit univerſum.

LXXII. Electus poſtea *Honorius I.* Campanus. Audiit immerito tamquam Monothelita, propterea quod ad ſchiſma vitandum noluerit mentionem fieri unius, duplicis in Chriſto operationis, aut voluntatis. Eccleſiam rexit annis 13. atque e vita migravit anno 638. die 12. Octobris.

LXXIII. Accepit inde Pontificatum, poſt diuturnum Interpontificium, *Severinus* Romanus, qui Heracli Imperatoris improbavit *Ecteſim*, nempe expoſitionem fidei Monotheliticam; ac ideo, Imperatoris juſſu theſauros Eccleſiæ Lateranenſis Iſacio Exarcho diripiente, ex animi ægritudine interiit anno 640. Calendis Auguſti, menſe vix expleto a ſui inauguratione ſecundo.

LXXIV. Non implevit duos Epiſcopatus annos Severini ſucceſſor *Joannes IV.* ſublatus e vivis an. 642. die 11. Octobris, cum prædictam *Ecteſim* proſcripſiſſet,

ſcripſiſſet, & Honorii Epiſtolas, quibus abutebantur Monothelitæ, Catholico ſenſu explicaſſet.

LXXV. Poſt Joannem rexit Eccleſiam *Theodorus I.* Is Monothelitis anathemate inuſtis, & improbato *Typo* Conſtantis, e vivis exceſſit, dum ageret ſeptimum Pontificatus annum, die 5. Maji, anno Æræ Communis 649.

LXXVI. Evectus poſt Theodorum *S. Martinus I.* ad Sacerdotii faſtigium, damnatis in Lateranenſi ſynodo una cum *Ecteſi*, & *Typo* Monothelitis, omnem Conſtantis injuriam, carceres, contumelias, & omne calamitatis genus animo invicto ſuſtinuit, obiitque relegatus in Cherſoneſum Thraciæ, & ærumnis confectus, inchoato Pontificatus anno ſeptimo, die 21. Septembris, anno Domini 655.

LXXVII. Dignus fuit, qui Martini ſedem occuparet *S. Eugenius I.*, illo exule Eccleſiæ regimini intentus, & a puero in Romanum Clerum adſcitus. Verum a S. Martini obitu non explevit in Epiſcopatu biennium, ad nobiliorem æternamque ſedem translatus anno 657. die 4. Junii.

LXXVIII. Diuturnior fuit Pontificatus *S. Vitaliani*, cujus patria Signia Campaniæ civitas. Sedit enim ultra annos 14. & fato ceſſit an. 672. VI. Cal. Februarias. Hujus ſanctitatem etiam Conſtans A. ejusque filius Conſtantinus *Pogonatus* venerati ſunt; eique Conſtans dono miſit prevetuſtum Evangeliorum Codicem, auro gemmisque exornatum.

LXXIX. Agebat quintum Pontificatus annum ſucceſſor Vitaliani *Adeodatus* Romanus, & monaſtici inſtituti ſectator, quando viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, anno 676. die Junii 26.

LXXX. Adeodato ſuffectus eſt *Donus I.* partia item Romanus, cui Reparatus Archiepiſcopus reſtituit antiqua Jura ſupra Eccleſiam Ravennatenſem, quam deceſſor Maurus violaverat, fretus potentia Exarcharum. Sedit anno I. cum dimidio, mortuus an. 678. III. Idus Aprilis.

LXXXI.

LXXXI. S. Agatho monachus Siculus post Donum Pontifex constituitur. Hoc Pontifice, & Constantino Pogonato indicta Oecumenica Synodo concidit hæresis Monothelitarum, quæ diu Orientalem vexavit Ecclesiam. Virtutibus meritisque clarus IV. Idus Januarias anno 682. terram reliquit.

LXXXII. Agathoni successit *S. Leo II.* & ipse Siculus, Græce & Latine doctissimus, quem undecimo mense, anno scilicet 683. V. nonas Julias terris rapuit cœlestis Jerusalem.

LXXXIII. Inviderunt pariter militanti Ecclesiæ rectorem beatissimum *S. Benedictum II.* Romanum Incolæ supernæ Patriæ, ad se illum invitantes, exacto decimo Pontificatus mense, anno 685. septima die Maji.

LXXXIV. Nec diuturnus fuit Pontificatus *Joannis V.* patria Antiocheni: quem mors abstulit proximo anno 686. Augusto mense ineunte.

LXXXV. Quamdiu autem sedit *Conon*, Thrax genere, ætate, moribus, eruditione percelebris? Adeptus Pontificatum prædicto an. 686. XII. Calendas Novembris, ea se levavit Sarcina anno insequente 687. XI. Cal. Octobris.

LXXXVI. Ab eo demum tempore usque ad annum 701. quo mortem oppetiit die 7. Sept. sanctissime gubernavit Ecclesiam *Sergius I.* ortus Antiochiæ. Sopitum est S. Sergii inauguratione dissidium, & contentio de supremo Pontificatu exorta anno superiori 686. inter Petrum, ac Theodorum presbyteros, & rursus excitata anno 687. inter Theodorum, & Paschalem Archidiaconum, quibus antea populus in factiones distractus summum conferebat honorem.

PATRIARCHARUM NOMINA.

Patriachæ Alexandrini post S. Eulogium fuerunt Eutychiani, seu *Jacobitæ*, quo etiam nomine Eutychiani

tychiani dicti sunt a Jacobo Syro, monacho, & Severi discipulo. Excipiendus tamen *S. Joannes* Eleemosynarius vita functus a. 616. ejusque successor *Georgius*; post quem sedit *Cyrus* Monotheleta. Antiochiæ vero post Gregorium sederunt. *S. Anastasius II.* & alii, quorum nomina usque ad ann. 1098. cum fuerint fere omnes hæretici, atque Antiochia sub tyranide barbarorum, obscura sunt & incerta. At Jerosolymis præfuerunt Ecclesiæ post Amos, *Isychius*, *Zacharias*, *Modestus*, & *Sophronius*: quo Ecclesiam Jerosolymitanam gubernante, anno 637. venit S. Civitas in potestatem Saracenorum. Ab hoc itaque anno usque ad finem Seculi XI. Jerosolymorum ignorantur Episcopi. Constantinopolitanos autem Patriachas prætermisimus, quoniam, ut alibi monuimus, jura Patriarchalia violato Nicæno canone usurparunt, consecuti sunt vero, Romana Ecclesia consentiente, anno duntaxat 1215. Cunctorum enim Episcoporum nomina recensere neque hujus est loci, neque instituti.

CAPUT II.

CONCILIA CELEBRATA SEPTIMO ECCLESIÆ SECULO.

Inter Seculi hujus Concilia, ea maxime sunt recensenda, quæ ad hæresim spectant Monotheliticam paulo post describendam. Cætera enim attinent ad Ecclesiasticam disciplinam. Ubi ergo anno 633. Cyrus Patriarcha Alexandrinus coacta *Synodo* sub specioso unionis prætextu hæresim Monothelitarum studuit comprobare; eodem anno Sophronius *Jerosolymitanus* altero indicto Concilio statuit duas esse in Christo operationes & voluntates. Approbata insuper anno 639. a Sergio Constantinopolitano, altero Monothelitarum coryphæo, Synodali conventu *Ecthesis* imperatoris Heraclii; insequente anno 640. eandem *Ecthesim* & Monothelitas damnavit *Romanum*

manum Severini Concilium. Quod & præstitit anno 645. Salvius Episcopus in Synodo Aurelianensi; & anno 646. summus Pontifex Theodorus, qui convocato *Concilio* in Pyrrhum, cæterosque Monothelitas scripsit anathematis sententiam, non solo atramento, sed vivifico sanguine instillato divini calicis, ut litteris tradiderunt auctor Historiæ Miscellæ, ac Theophanes. Proscripsere rursus Monothelitas eodem anno 646. Synodi tres Africanæ *Carthaginenſis*, & *Provinciæ Byzacenæ*, ac *Numidiæ*.

Duo autem celebriora Concilia adversus Monothelitas congregata fuerunt, *Romanum* nempe anno 649. & *Constantinopolitanum* Oecumenicum VI. anno 680. ut duo mittam anni 679. Anglicanum, nimirum, & Mediolanense. Concilium *Romanum* celebratum est jussu S. Martini I. in Æde Lateranensi: in quam convenerunt ex regionibus suburbicariis, & diœcesi Italica, & Urbica Episcopi 105. Cuncti Monothelitas, eorumque dogma, atque *Ecthesim* Heraclii, & *Typum* Constantis diris devoverunt, & subjecere anathemati. Ad Synodum vero Oecumenicam, indictam a piissimo imperatore Constantino Pogonato, communicatis cum S. Agathone Pp. consiliis, & congregatam in *Trullo* (nomen istud imperiali palatio trulliſſato, & in rotandam tectorum concamerationem constructo) convenisse Episcopos ducentos undenonaginta tradunt Annalia Græcorum; sed 166 præter Legatos Apostolicos exhibent solummodo subscriptiones. Id, quod in *Lateranenſi*, plenaria hac Synodo definitum est: damnata hæresis Monothelitica: inusti anathemate, etiam expresso nomine, præcipui illius hæresis propugnatores; atque, *Ecthesis*, *Typusque* proscripta.

Sunt ex Novatoribus, qui pariter Oecumenicam esse contendunt Synodum *Trullanam*, seu *Quinisextam*, coactam an. 692. Dicitur *Trullana* a palatio, vel secretario Imperiali, cui nomen *Trullus*, ut nuper scripsimus; *Quinisexta* autem, quasi fuerit quintæ, & sextæ synodi *appendix*, & *supplementum*. Interfuerunt huic synodo juxta Balsamonem & Zonaram Episcopi 217., & in exemplaribus inveniuntur

tur ſubſcripti num. 211. Canones in illa editi 102. Rejicitur tamen ab Orthodoxis eamque reprobarunt Romani Pontifices Sergius I. & Joannes VII. Sunt enim nonnulli iſtorum canonum abſurdi, ut quibus concutitur ſacrorum miniſtrorum cœlibatus, & jejunium ſabbati ſervatum olim in Eccleſia Romana, atque ſub graviſſimis pœnis prohibetur Clericis laicisque abſtinentia a ſanguine, & ſuffocato. Permulti tamen canonum Trullanorum Eccleſiaſticis regulis non adverſantur, eosque, non omnes approbarunt octavo ſeculo Conſtantinus, & Hadrianus I. Romani Pontifices.

Ex conciliis pro diſciplina Eccleſiaſtica celebratis commemoranda præſertim ſunt XV. Toletana, complura habita inter annum 610. & 694. in quibus Metropolitana jura Toletano Antiſtiti confirmata fuere, ſubjecti Eccleſiaſticiscenſuris lapſi in crimen fornicationis, & quæ ad fidem moresque pertinent conſtituta, Catholica interdum contra Monothelitas confeſſione præmiſſa, & ambiguis quorumdam locutionibus explanatis. *(a)* His accedunt *Romanum* ſub Bonifacio IV. de regimine Eccleſiæ Anglicanæ indictum anno 610. Pariſienſe anni 615. de cauſis Epiſcoporum ad Metropolitanum deferendis: Trajectenſe anni 697. de ſanctis viris mittendis ad prædicandum exteris Gentibus Evangelium; aliaque id genus plura. Aquarum Synodorum numero expungimus *Aquilejenſem* anni 698. in qua ob trium Capitulorum condemnationem quinta quoque Synodus rejecta fuit.

CA-

(a) In Toletana altera Synodo anno 693. depoſitus fuit & in exilium pulſus Sisbertus Archiepiſcopus Toletanus, quod in Egicani regis necem conſpiraſſet.

CAPUT III.

HÆRESES SECULI SEPTIMI.

Grassata est Seculo VII. in Ecclesia Orientali hæresis *Monothelitarum*, furculus, & appendix Eutychianæ; nam quemadmodum Eutychiani unam asserebant in Christo naturam, ita Monothelitæ dogmatizabant unam in Christo voluntatem, & ἐνεργείαν, sive actionem. Quare μονοθελῆται dicti sunt a μόνος, unus, & θελημα voluntas. Monente Athanasio Jacobitarum Antistite Eutychiano, imperator Heraclius anno 629. petiit a Sergio C. P., & a Cyro tunc Phasidis, postea Alexandriæ Episcopo, num in Christo admittenda foret una, an duplex voluntas, & operatio. Illi vero unicam statuerunt, quam appellarunt θεάνδρικαν, id est, *Dei Virilem*, nomine derivato a θεὸς, *Deus*, & ἀνὴρ *homo*, cujus genitivus est ἀνδρὸς. Novit Sergius Heraclium, ut ederet Ecthesim, quam anno 639. synodo confirmavit. Est autem ἔκθεσις idem, ac *expositio*, a verbo ἐκτιθημι, *expono*. In illa una in Christo voluntas, una tantum actio enuntiabatur. Adhæsit eidem luto Pyrrhus Sergii successor, & Paulus, qui Pyrrho ob exulceratum Imperatoris animum in Africam secedenti substitutus fuit anno 642. Is anno 648. a Constante Imp. extorsit edictum, ne diceretur, una nec duplex Christi voluntas; damnatus idcirco eodem anno a Theodoro Pontifice, & anno proximo 649. a S. Martino I. Ipsi Paulo imputandum est, quod Martinus accersitus sit Constantinopolim, relegatus, gravissimisque malis afflictus. Dicitur tamen Paulus ante mortem egisse erroris, scelerisque sui pœnitentiam. Edictum illud Constantis *Typus* vocatur: quamvis enim τύπος idem sit, ac forma notaque impressa, a Verbo τύπτω, *percutio*; illo tamen vocabulo non semel in Novellis Justinianeis constitutio, & lex designatur. At Cyrus ex Episcopo Phasidis in Colchide renunciatus anno 630. Patriarcha Alexandrinus prætextu conciliandi Severianos, seu Acephalos cum Catholicis, unam Christi operationem

nem Θεάνδρικαν cœpit majori audacia dogmatizare, & anno 633. coacta ſynodo ſtabilire. Firmavit & ipſe propria ſubſcriptione anno 639. ἔκθεσιν Heraclii, & e vivis ſublatus eſt anno proximo 640. Atque his cum Monothelitarum dogma, tum quæ ſuperiori capite diximus, obviam habent explicationem.

Eruperunt eodem Seculo VII. nonnullæ aliæ hæreſes, vix nomine notæ. Prima eſt *Chriſtolytarum*, χριστολύτων, aſſerentium, Dominum relicto deorſum corpore ad cœlos cum ſola divinitate adſcendiſſe: horum nomen eſt a χριστὸς, *Chriſtus*, & λύω, *ſolvo. II.*, *Gnoſimachorum*, γνωσιμάχων, qui ſcientiam omnem, divinæ etiam ſcripturæ, Chriſtianis contrariam, vanam, & inutilem reputabant, nomen ſortiti a γνῶσις, *cognitio*, & μάχομαι, *pugno. III.* Ἐθνορρόνων, appellationem habentium ab ἔθνος, *gens*, & φρόνεω, *ſapio*, quoniam Gentilium ſectabantur ſuperſtitionem, divinationes, auguria, & incantamenta, ſimulque Chriſtianorum, & paganorum feſta ſervabant. IV. παρερμηνευτῶν, ad libitum, ingeniumque duntaxat ſuum, ſacram Scripturam interpretantium: quorum nomenclatura derivata eſt a verbo παρερμενεύω, *prave interpretor*. Hæ nobis hæreſes innotuerunt ex libris S. Joannis Damaſceni.

His accedunt Armeni, qui a ſeptimo usque ad decimumquintum ſeculum erroribus implicati a Romana Eccleſia fuerunt avulſi. Impliciti fuerunt hæreſi Eutychiana, negarunt ſacramentum Confirmationis, & in ſacra oblatione vinum nulla admixtum aqua adhibebant. In celebrandis quoque feſtivitatibus, ritibusque diſſidebant a Latinorum, & Græcorum Eccleſiis: ſed hoc poſtremum fieri potuit absque hæreſis impietate.

CAPVT IV.

SECULI SEPTIMI SCRIPTORES ECCLESIASTICI.

Quamquam Seculi VII. Scriptores numero & celebritate iis, qui duobus præcedentibus Seculis floruerunt, nequeunt æquiparari; nec pauci sunt tamen, nec proletarii. In Historia enim ineunte Seculo versati sunt *Joannes* Antiochenus cognomento *Malala*, qui ab orbe condito usque ad ætatem Justiniani Senioris libris 18. perduxit Historiam Chronicam; necnon *Isychius* Patriarcha Jerosolymitanus, a quo præter Commentaria in Scripturam divinam, selectasque Orationes, edita fuit Ecclesiastica Historia, quæ tamen deperiit edacis temporis injuria. Accesserunt adolescente Seculo *Theophylactus* Ægyptius, Scriptor rerum a Mauritio Augusto gestarum: *Marcus*, & *Sisebutus* Monachi, qui aliquas Sanctorum Vitas scripsere, & *Joannes* itidem monachus in investigandis calculis festi Paschalis assiduus: quorum ætas florebat circa annum 620. Editum ab *Anonymo* Chronicum Alexandrinum, quod & *Fasti Siculi* inscribitur, a mundi origine usque ad annum 628. unde infertur ætas Scriptoris. *Joannes Moschus* vitæ cultor monasticæ, cognomento *Eviratus*, rudi ac simplici stylo, ut inquit Photius Cod. 199. conscripsit de gestis Patrum Opus Historicum, inscriptum *Pratum Spirituale*, seu *Viridarium*: & *Nennius* Britannus, & ipse monasticam vitam professus, pertractavit de rebus Britonum, sive de Britannorum historia. Uterque autem circa annum 630. mortalem vitam agebat.

Verum peculiari titulo commemorandi sunt *Antiochus* monachus Palæstinus, *S. Sophronius* Patriarcha Jerosolymitanus, *S. Maximus* C. P. S. Isidorus Hispalensis, *S. Idelphonsus* Toletanus Antistes, & *Anastasius* monachus Sinaita. Enimvero *Antiochus* monasterii S. Sabbæ alumnus, & sanctitatis laude per-

percelebris, superstes erat anno 629. comprehenditque homiliis 130. totius religionis Christianæ, divinarumque Scripturarum doctrinam, inscripto huic Operi *Pandectarum* nomine. Sunt autem πάνδεκται nihil non continentia volumina, a πᾶν, *omne*, & δέχομαι, *capio*: unde pariter libri omne jus comprehendentes πάνδεκται vocantur. Scripsit etiam Antiochus Exomologesim ad Deum, librumque de vitiosis cogitationibus. *S. Sophronius* ortus Damasci, monachus, electus anno 629. Patriarcha Jerosolymitanus, Cyrum Monothelitam palam redarguit, ejusque libellum Satisfactionis præscriptum Severianis, refellere, & ab Honorio Papa cassari curavit, mortuus anno 659., post captam Jerosolymam ab Haumare duce Saracenorum. *S. Maximus* patria C. P. natus anno 580, & in exilio defunctus anno 662. non solum Pyrrhum Monothelitam confutavit publicis disputationibus, ac intrepide restitit Constantini Imp. fidei causa carceres, ærumnas, ac deportationem parvipendens; verum etiam Monotheliticæ hæresi perpetuum bellum indixit, præter scripta alia ascetica, & theologica, de duabus in Christo voluntatibus, de duabus operationibus, de Actis cum Pyrrho, de hypostasi & natura, aliosque Tractatus hujus generis præstantissimos exarando. *S. Isidorus* Episcopus Hispalensis, cujus beata mors contigit anno 636. libros scripsit Etymologiarum, de Ecclesiasticis Officiis, aliosque a S. Leone Papa IV. plurimum commendatos (*b*). De perpetua Deiparæ virginitate, partu, gestisque præcipuis, necnon de Scriptoribus Ecclesiasticis, de rebus liturgicis, & epigrammata varia, pie docteque scripsit *S.*

(*b*) Nonnulli, qui Commentaria Scriptorum Ecclesiasticorum ediderunt, ut Guillelmus Caveus, ajunt, S. Isidorum conscripsisse *Chronicum* ab exordio mundi usque ad annum 626. Verum in fine ejusdem Chronici legitur: *Fiunt igitur ab exordio mundi usque ad præsentem æram 654. hoc est anno quinto Imperatoris Heraclii, & quarto Principis Sisebuti anni 581 3.* Ita in Vaticanis editisque Codicibus, teste *Schelstrateno*. Æra Hispanica 654. concurrit cum anno Christi 616. & quarto Sisebuti regis Hispaniarum, sed cum Heraclii anno sexto.

Idelphonſus ad Epiſcopatum Toletanum anno 657., ad regnum vero beatorum evectus anno 667. Demum *Anaſtaſius* Sinaita, ab altero Anaſtaſio item Sinaita, Patriarcha Antiocheno, de quo ſuperiori ſeculo, ſecernendus, litteris tradidit notitiam omnium hæreſum ab initio religionis Chriſtianæ, & Conciliorum, quibus damnatæ fuerunt, usque ad VI. Oecumenicum celebratum, ut diximus ſupra, Pontifice Max. Agathone, & Imp. Conſtantino *Pogonato*, anno 680.

His vero, quorum peculiaris habenda erat memoria, accedunt *Dorotheus* Palæſtinus Archimandrita, qui ſcripſit de vita pie inſtituenda: *Paterius* Gregorii M. diſcipulus, qui explanavit difficiliora Scripturæ loca: *Conon* diſcipulus olim Joannis Philoponi Tritheitæ, (c) poſtea ejus adverſarius, qui in ipſum condidit Invectivas. Apologiam edidit pro S. Theophobio *Themiſtius*: *Nicias* Monachus Philoponi deliramenta oppugnavit: aliquas SS. Vitas conſcripſit *Jonas* Hibernus: Cosmopoieam carmine Jambico expoſuit *Georgius* Nicomedienſis: de Dagoberto Rege diſſeruit *Audoenus* Sueſſionenſis: Pœnitentiale, Opus omnibus pœnitentiæ caſibus accommodatum, elucubravit *Theodorus* Tarſenſis Monachus: de adventu Chriſti, de origine mortis, de animarum receptaculis, extremoque Judicio pertractavit *Julianus Pomerius* Toletanus; & Concordiam canonum exeunte Seculo concinnavit *Creſconius* Epiſcopus Africanus.

CA-

(c) Ipſe Joannes *Philoponus* Alexandrinus, & arte Grammaticus ſcripſit in Hexameron, & de Paſchate, pluraque Philoſophica, quibus navabat operam, ut idem inquit lib. 4. Phyſ. Διοκλητιάνε ἔτ τλϛ. Diocletiani anno 333. Concurrit cum anno Ær. Chr. 617. De ipſo tamen *Philopone* vide *Not.* 3. ad caput tertium præcedentis Seculi 6.

CAPUT V.

SECULI VII. AUGUSTI PRINCIPES, ATQUE VIRI QUIDAM SANCTISSIMI.

Mauritio interfecto an. 602. die 23. Novembris, Imperium arripuit *Phocas* in Thracia obscuro genere ortus. A quo nil memoria dignum patratum est, nisi quod Romanæ Ecclesiæ agnovit, firmavitque Primatum. Tantæ enim ignaviæ, & libidini se dedit, ut Cosroes Rex Persarum in illum irruens, quasi Mauritii mortem vindicaturus, facile expugnaverit Chalcedonem, sitam e regione Constantinopolis. Reges quoque alii ob Imperatoris desidiam lacerarunt Imperium. Quare ipsi Constantinopolitani cives captum Phocam adduxerunt ad *Heraclium* urbem eam obsidentem: atque omni affectus ignominia, in ipsa, qua Heraclius vehebatur, navicula, truncatus est capite anno 610. sui Principatus 8. (*d*)

(*d*) *Phocæ* nomen recte huic Cæsari convenit ob genus obscurum, ob immanitatem, ob vitæ turpitudinem. Phocæ enim marina sunt monstra, de quibus in tertio Georgicorum Virgilius:

Littore in extremo, ceu naufraga corpora fluctus.
Proluit, insolitæ fugiunt in flumina phocæ.

Et libro quarto:

Quippe ita Neptuno visum est, immania cujus
Armenta, & turpes pascit sub gurgite phocas

In nummis tamen hujus Imperatoris nomen invenitur absque iuspiratione, Focas. Uxorem habuit *Leontiam* nomine; ex qua nscepit filiam *Domnentiam*, connubio junctam Priseo patritio

Con-

Phoca imperante, Antiochiæ Syriæ metropolis seditione commota, Judæi mactarunt ingentem fidelium numerum, excarnificato etiam sanctissimo Patriarcha *Anastasio*. Sub Cosroe Persarum Rege martyrium subiit *Anastasius* alter monachus, laudatus in Actis Concilii II. Nicæni, in fluenta demersis monachis aliis LXX. Ciennæ item in Galliis jubente Theodorico lapidibus obrutus est *Desiderius* Episcopus, quoniam prolata sententia illa Apostolica 1. ad Corinth. 7. *Melius est nubere, quam uri*, id ægre tulerat Regis concubina Brunechildes.

Post Phocam Imperium tenuit *Heraclius* annis 31. ex hydrope extinctus an. 641. undecima die Martii. Filius fuit Heracleonæ Præfecti Africæ, & addictus Monothelitis: de eius enim *Ecthesi* dictum est supra. (e) Heraclius Cosroem multis elatum victoriis (debellaverat enim an. 614. Jerosolymam, sublata inde cum omni Ecclesiastica supellectili Dominica Cruce, ac postea Ægyptum, Ale-

---

Constantinopolitano. Narsetem Persis formidolosum jussit vivum cremari: Prætorianos milites convicia in illum jactantes, partim obtruncavit, partim demersit in mare, partim carceri inclusit. Antequam jubente Heraclio caput illi amputaretur, ob multorum conjuges adulterio pollutas, exsecta ei fuerunt virilia. Lege Cedrenum, & Zonoram.

Seditio Judæorum, qui Antiochiæ permultos Christianorum interfecerunt, contigit paulo ante obitum Phocæ anno 610. At misso Antiochiam exercitu, Judæi Seditionis, & crudelitatis pœnas, vel perempti, vel mutilati, vel ejecti condignas pœnas tulerunt.

(e) *Heraclio* duæ fuerunt uxores, *Fabia*, quam mutato nomine appellavit *Eudociam*, ex qua suscepit Epiphaniam, & Heraclium Juniorem, quem nominavit Augustum, eique indidit nomen *Constantini*: & Fabia defuncta, uxorem duxit *Martinam* filiam fratris sui, infignis pulchritudinis feminam, quæ illi pluves peperit liberos. Verum propter incestas has nuptias, ut scribunt Nicephorus & Evagrius, creditum est, hanc ei pœnam fuisse illatam, ut priapismo laborans sursum mingeret, faciemque suam proprio lorio pertueret.

Alexandriam & Libyam diripuerat) anno 623. insigni victoria prostravit, coegitque e Gaza discedere. A proprio filio Syroe Cosroes deturbatus est solio, tetroque carceri an. 628. inclusus, & spiculis toto corpore lancinatus. Inita inter Syroem & Heraclium pace, Crux salvifica recuperata est, & an. 629. in priori loco recondita. Eodem anno Heraclius jussit, ut Judæi omnes Jerosolymis ejicerentur, nec auderent illuc ad tria accedere milliaria; & Ecclesias insuper a Cosroe traditas in Syria Nestorianis, ut redderentur Catholicis, imperavit: his utique nominibus magnopere commendandus.

Occupata a Persis Palæstina, & expugnatis anno 614. Jerosolymis, Martyrio affecti Clerici omnes, monachi, & virgines. Reliqui fideles captivi ducti: quorum Judæi nonaginta milia necarunt. Floruerunt interea temporis sanctitate *Eustasius*, *Deicola*, aliique discipuli S. Columbani: e cujus monasterio Luxovienſi in Gallia Belgica quinque sanctissimi Episcopi hoc eodem tempore prodierunt.

Trium, qui subsecuti sunt, Augustorum infelix imperium. Nam *Constantinus III.* Heraclii filius, qui an. 642. successit patri, quarto Imperii mense veneno sublatus est a Martina noverca, ut imperaret hujus filius *Heracleonas*. At is quoque, nondum sexto mense transacto, ineptus ad Rempublicam administrandam, dejectus est, illi naribus Senatusconsulto recisis, ac matri lingua amputata. *Heraclius Constans II.* filius Constantini III. & Gregoriæ imperavit quidem ultra annos 26. sed Monothelitis adhæsit, cum Saracenis in Oriente, & cum Langobardis in Italia adverso fato pugnavit, atque iracundus, suisque exosus Syracusis in balneo, situla ipsius capiti impacta, occisus fuit anno 668. die Julii 15. (*f*) Quemadmodum moribus

(*f*) Martinam, ut *Constantino* privigno suo propinaret venenum, impulerunt libido regnandi cum filio Heracleona, & improba

ac pietate, ita bellorum eventu felicior fuit Conſtante filius *Conſtantinus IV.* cognomento *Pogonatus*: quod illi nomen acceſſit, quoniam Conſtantinopoli in Siciliam profectus ætate primæ lanuginis, redierat barbatus: *barba* enim Græce dicitur πώγων. Mizizium tyrannum, cujus inſidiis Syracuſis percuſſus genitor fuerat, e medio ſuſtulit: Saracenos, qui fere ſeptem annis obſederant Conſtantinopolim ingenti ac formidabili claſſe, invicte repulit, iniitque cum Bulgaris pacem, conceſſa eis Myſia Aſiæ regione, appellata poſthac *Bulgaria*. Major tamen gloria Conſtantini, quod in dicto anno 680. Generali Concilio, pacem Eccleſiæ, damnatis Monothelitis, reſtituit. Naturali autem fato extinctus eſt anno Imperii 17. Æræ Vulg. 687. menſe Septembris.

Ho-

---

proba Pyrrhi Conſtantinopolitani, aliorumque Monothelitarum conſilia. *Heracleonas* itaque eodem anno 641. ad thronum fraude, ac violentia conſcendit. Matri lingua præciſa, ne oratione aliquem ad commiſerationem flecteret, filioque naribus mutilato, ut cunctis eſſet horrori, in Capadociam relegati ambo fuerunt. Præcitato anno 641. & Heracleona imperante, a Saracenis, qui poſt diuturnam obſidionem expugnarunt Cæſaream Palæſtinæ urbem, obtruncata fuiſſe ſeptem millia Chriſtianorum tradunt Zonaras, Cedrenus Paulus Diaconus, alii *Conſtans II.* ſive *Heraclius Conſtans* ſucceſſor Heracleonæ matrem habuit filiam viri celeberrimi Nicetæ. Gregoriam cum plurimis diximus. Quidam Anaſtaſiam appellant. Conſtans, cum non ferret fratrem Theodoſium conſortem imperii, primum juſſit, ut initiaretur diaconatu, deinde illum occidit. Theodoſius frequenter in habitu diaconi apparens per quietem fratricidæ, calicem ferens plenum ſanguine, ac dicens, *Bibe frater*, eum adeo perterrefecit, ut non poſſet diu in eadem urbe perſiſtere. Non ſolum S. Martinum Romanum Pontificem, verum etiam S. *Maximum* cum duobus diſcipulis, manu & lingua truncatum, quoniam adverſabatur Monothelitis, relegavit Cherſonam. Obiit S. Maximus apud Alanos an. 662. die 13. Auguſti, hora tranſitus ſui prænunciata. Vide cap. 4. Conſtantini *Pogonati* filii Conſtantis, quo nomine appellata ſit mater, hactenus ignoratur.

Horum annorum decursu fama sanctitatis inclaruerunt *Paulinus* Episcopus Eboracensis in Anglia, qui obiit an. 644. *Emmeranus* Ratisbonensis martyrio coronatus an. 653. quo anno quidam tradunt corpus S. Benedicti ab Aigulpho monacho translatum fuisse Floriacum, *S. Eugenius* Toletanus vita functus anno 657. *Eligius* Episcopus Noviomi, qui obiit anno 658. Regina *Bathildes*, quæ obiit anno 680. (g).

Post Constantium *Pogonatum* renuntiatus est Imperator illius filius *Justinianus II.* patri dissimilis. Is prælio a Saracenis devictus, a *Leontio* Isauro dejectus, naso mutilatus, & in Chersonesum relegatus fuit, dictus propterea est Ῥινοτμήτας, a Ῥινὸς, *nasus*, & τέμνω, *seco*. Eidem *Leontio*, qui an. 695. Justiniano Imperium eripuit, nasus pariter a *Tiberio Absimaro* recisus fuit anno Imperii ejus tertio, Æ. Com. 698. Leontio ablegato in Dalmatiam, occupavit Imperium *Absimarus*: qui

(g) Alii permulti sanctitate clarissimi Seculo VII. ad cœlestem patriam migrarunt. Nam Nivigillæ in Brabantia obiit an. 664. XVI. Kal. Aprilis *Gertrudes* virgo, clarissimo genere orta, & relata in Sanctorum classem decreto Honorii Papæ III. Baronius refert in not. ad Martyrologium Romanum III. Nonas Septembris circa annum 660. martyrium *Aigulphi*, aliorumque monachorum Lirinensium, qui præcisis linguis, oculisque effossis obtruncati sunt gladio. Sigebertus illos passos fuisse ait anno 651. Kalendis Decembris colitur memoria S. *Eligii* Episcopi Noviomi in Belgio, cujus vitam describsit S. Audoenus Antistes Rothomagensis. Idem *Audoenus* decessit anno 696. juxta Chronicum Adonis, juxta Sigebertum vero an. 690. Colitur in Martyrologiis Nono Kal. Septembris. *Kilianus* monachus Hibernus, & Francorum Apostolus, cujus vitam describit Surius, a Geita, aut Geila uxore Gosberti Franconiæ Ducis, an. 689. cum duobus Sociis Herbipoli, vulgo *Würtzburg*, cæsus est. Sedente Sergio Romano Pontifice, ad eum invisendum *Ceadalam* regem Occidentalium Saxonum, & sacro ablutum baptismate mox sancto fine quievisse, anno præcitato ab Incarnatione Domini sexcentesimo octuagesimo nono, narrat libro 5. Historiæ Anglorum Venerabilis Beda.

anno Imperii ſeptimo, Chr. 705. a Juſtiniano Rhinotmeto captus, & occiſus eſt, ipſo *Juſtiniano* Imperium a Leontio ſibi ablatum repetente.

Decoravit autem hanc poſtremam Seculi partem pretioſa mors plurimorum Sanctorum, ut an. 679. *Amandi* Epiſcopi Trajectini, & regis ac martyris *Dagoberti*: anno 680. *Agilberti* Pariſienſis Antiſtitis: an. 682. *Joannis* Epiſcopi, ac martyris Bergomenſis: anno 688. *Lamberti* Lugdunenſis: anno 690. *Juliani* Toletani; & an. 698. *Theodori* Epiſcopi Cantuarienſis.

CAPUT VI.

SECULI VII. DOCTRINA, ET DISCIPLINA.

Quomodo duas in Chriſto naturas contra Eutychianos, ita duas voluntates, duasque operationes adverſus Monothelitas, definiente Eccleſia, fateamur oportet: perſiſtente enim in eadem hypoſtaſi duplici natura impermixta, permaneant utriusque proprietates neceſſum eſt. Sacramentaria autem, libri liturgici, & Canones Pœnitentiales avitam de Euchariſtia, de Sacrificio Miſſæ, de Pœnitentiæ Sacramento, fidem noſtram corroborarunt. In ea quam aſſumpſerat, humana natura Dominum a mortuis ſurrexiſſe, & aſcendiſſe in cœlum, nefas eſt hæſitare: licere autem unicuique ſcripturam Divinam pro libito interpretari, ut autumant Novatores jactantes privati ſpiritus energiam, ſoli ajebant Seculo ſeptimo *Parermineutæ*.

Propagatum Inſtitutum Monaſticum, & Sanctimonalium erecta cœnobia, ſanctorum Virorum Amandi, Galli, aliorumque ſtudio. Vetitum Clericis habitum deferre Laicorum, & Epiſcopis non urgente neceſſitate de una ad ſedem aliam tranſire. Immunitas Eccleſiis & monaſteriis a Galliarum regibus

gibus confirmata. *Melchitæ* in Oriente sunt appellati Catholici Eutychianis, & Monothelitis oppositi: in Hispania vero, qui degebant sub Arabum dominatu, *Mosarabes*. Alii a *Muza* Arabum duce, alii a *Musa*, quo vocabulo Arabes Christianum significant, prædictum nomen arcessunt. *Mixtarabes* quoque dicuntur. Horum Divinum officium *Mosarabicum* nuncupatur, dispositum a S. Isidoro Hispalensi; obtinuitque in Hispania usque ad tempora Alphonsi VI. & S. Gregorii VII. ad annum nempe Æ. Hispanicæ 1109. imo diutius in sex Toletanæ civitatis Parœciis, & Salmanticæ item servatum fuit, posteaquam Hispaniarum Ecclesiæ ritus receperunt Romanos.

Sedente, in Petri Cathedra Honorio I. & Heraclio in Oriente imperante, Saxones Occidentales a cultu idolorum ad Christianam Religionem conversi sunt a *Berino*, quem ad illis Evangelium prædicandum misit idem Honorius. Baptismum susceperunt una cum Rege suo *Cunegildo*. Rex quoque Anglorum *Eduinus* baptizatus est cum subditis suis plurimis a sancto Episcopo *Paulino*, anno Chr. 627. Legatur Ven. Beda lib. 2. Hist. Angl. cap. 14. & 16. Opera *S. Columbani*, hujusque discipulorum delatum fuit Christi nomen ad Svevos, Francos, Helvetos, Batavos, Frisios, Westphalos. Enituit in hoc opere pietas, ac doctrina Sanctissimorum virorum, *Galli*, de quo Walafridus Strabo, & Joannes Mabillonius: *Villibrordi*, de quo idem Mabillon, & Alcuinus: *Kiliani*: de quo Henricus Canisius, & Jo. Petrus de Ludewix. Caute de his legendus Moshemius parte I. hujus Seculi cap. 1. t. 4.

APPENDIX

DE EXTERNIS REBUS.

Langobardicum in Italia ita continuatum est regnum. Post Agilulphum principatum an. 616. *Ardowaldus* cum matre *Theodelinda* cœpit administrare an. 626. maritus] Gundebergæ *Ariovaldus*: an. 638. *Rotharis* Arianus: an. 654. *Rodoaldus* eadem hæresi infectus: an. 659. pius & Catholicus *Aribertus*: an. 661. *Gundebertus*: an. 663. *Grimoaldus*: 673. *Garibaldus*, ac post tres menses *Bertaridus*; atque an. 691. *Cunibertus*.

Regnum in Galliis post Clotarium II. indepti sunt anno 632. *Dagobertus*: 646. *Clodovæus II.* 663. *Clotarius III.* 668. *Childericus II.* 680. *Theodoricus*: 694. *Clodovæus III.* & anno 698. *Childebertus II.*

In Hispania post Recaredum auspicati sunt regnum. anno 601. *Liuba II.* 603. *Wittericus*: 610. *Gundemarus*: 612. *Sisebutus*: 621. *Recaredus II.* & post paucos menses *Svinthila*: 631. *Sisenandus*: 636. *Chintilla*, 640. *Tulca* (*h*): 642. *Chindasuintus*: 646. *Recisvindus*, 672. *Wamba*: 680. *Ervigius*: 687. *Egicanes*, aut *Egica*.

His regibus recensitis, ad Saracenos Christianorum infensissimos hostes, invita licet Minerva, stylum convertens, aliqua minus notanda prætereo, ut pestilentiam grassatam Romæ initio seculi, & Gregorio Magno superstite, Saxones cruento bello an. 630. superatos a Francis, extensam sub Rotha-

(*h*) Sive *Tulgos*. Wamba, seu *Bamba*, inauguratus rex post Recisvindum, vel ut quidam scribunt, *Recesvinthum*, anno 672. die prima Septembris, monasticum vitæ genus amplexus est, eique successit *Ervigius* anno 680. die Octobris decimaquarta.

Rothare an. 646. & sequentibus a Luna Thusciæ urbe usque ad Francorum fines Longobardici regni amplitudinem, & cæsos ab eodem Rege Romanos, & Ravennates. Quid ergo de Saracenis? Horum, qui nomen trahunt a civitate Arabiæ *Saraca*, ducem se constituit *Mahomet*, seu *Mahumedes*, Pseudo-propheta an. 623., posteaquam superiori an. 622. ex urbe Mecha, antiquis Marraba, fuerat ejectus: a quo tempore subducitur *Hegira*, Epocha nempe Turcarum, ita a Mahometis *fuga* appellata. Prædo ille, ac seductor in lucem editus an. 568. (*i*)

patre

(*i*) Alibi legimus ortum *Mahometem* anno 570. die 5. Maji. Ita etiam *Voltaire* tom. 11. pag. 36. Initio Historiæ Saracenorum Simonis Ockey, natus dicitur *l'an cinq cent soixante & douze de J. C. la quarante deuxieme année de Cosroes*, *surnommé* Anouschirvan, *& la quatrieme de l'Empire de Justin le jeune* At annus quartus Justini, qui ad imperium evectus est anno 565. Æræ Christi, incidit in annum 568.

Mahometis pater *Abdalla* a plerisque Ethnicus, mater *Emina* Judæa dicitur. Pueritiam ejus, defuncto patre, *Abutaleb* patruus curavit. Ortum Scriptores Arabes ajunt ex Tribu, quam ipsi appellant Coreischitarum. Cur natum dixerim anno 568., nuper rationem protuli. At Treherus anno 560., Pfeiffer anno 577., Herpenius anno 580., Reiskias anno 572. die 22. mensis Nisan. Mulierem Assyriam, *Chadijaah* nomine, cujus camelorum ductor erat, sui captam amore Mahometes duxit uxorem. Vidua hæc erat prædivitis mercatoris Ismaelitæ *Abdimonephi*. Absurdissima sunt, quæ nonnulli tradunt de Mahumete apud *Thomam Itigium* de Hæresibus Ævi Apostolici, fuisse illum Nicolaum diaconum, a quo denominati fuerunt hæretici *Nicolaitæ*, aut fuisse S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem: quam opinionem Ittigius tribuit Benvenuto Imolensi in suis ad Comœdiam Danthis commentariis. Danthes Mahometem commemorat in *Inferno* cantu 28. Neque apud Poetam, neque apud Landinum & Vellutellum tanta legitur impostura. Miror id effutiisse Imolensem, si effutiit tamen. Tollerabilior est, licet falsa, opinio illorum, qui tenent Mahometem esse *Antichristum*. Quamquam enim hoc illi nomen conveniat ampliori illa significatione, qua Antichristos multos esse ait Joannes epistola 1. cap. 2. 18., non est tamen seductor ille, *homo peccati*

patre *Abdalla* cœpit anno 608. seipsum venditare Prophetam Domini, uxori, quam viduam divitem duxerat, Epilepsiæ, qua laborabat, convulsiones suadens esse motus afflante numine concitatos. Ita

---

cati, & *filius perditionis*, sese extollens super omne, *quod dicitur Deus*, & venturus ante diem Domini, prænuntiatus, & descriptus in 2. Pauli ad Thessalonicenses epistola, capite 2. 3. Longe deterior, futilis, & execrabilis est assertio quorumdam Saracenorum, quos non pudet asserere, Mahometem esse Paracletum a Christo promissum in Evangelio Joannis capite 14. 16. & capite 15. 26., ibique ab Evangelista expressum fuisse nomen *Mahometis*, sed exemplaria omnia, præter unum, vel alterum, Christianorum dolo fuisse corrupta. Cujus mendacii, apertissimi quidem (nam & multi ante Mahometis tempora Evangelium Joannis exscripserunt, & explanarunt, quorum nullus Mahometem istum commemoravit, & fieri non potuit, ut Christianorum fraude & conspiratione tot, ac tanta sacrosancti Evangelii corrumperentur ubique gentium volumina) unum producunt ignotum prorsus, obscurissimum testem, nescio quem *Al. Seleucium*. Id narrat in Specimine Hist. Arabum Pocokius, atque in Dictionario Historico & Critico V. *Mahomet* Petrus Bayle. De Mahumete libro 25. descript. Eccles. Petrus Cioffius:

Rex Mahometus Arabs quædam spurcissima legum
Ac fœcem reprobi sensus exponit, apertis
Pervertens populos verbis, armisque tuendam
Decernit per regna luem, ut discussio rerum
Absit iniquarum, nulli tentata virorum.
Tandem obit, indigna Mecha tumulatus in urbe.
Quippe superbifico luxu constructa steterunt
Templa sibi, fulvoque auro, gemmaque nitenti.
In mediis, corpus templis sublime pependit
Vi tractum occulta appositæ magnetis, & arte
Inclusum ferro, sic ut mirabile quiddam
Visa rudi, ac supero non indignissima cultu.

Ita *Mahammed*, quod Arabum lingua ajunt denotari hominum *desiderium*, ex Mosaica, & Evangelica lege, quæ Judæis, & Christianis arrideret, commentus est Religionem, retenta precum, pietatisque specie, quam boni non improbarent, & propositis, quibus improbi allicerentur, carnalibus voluptatibus. Librum postea Impostoris scita comprehendentem, & opera Sergii monachi, & quorumdam Judæorum conscriptum, Arabes patria lingua appellavere *Alcoranum* (*k*).

Mahomet igitur an. 623. Saracenorum turba collecta suscepit illorum regimen, administravitque usque ad annum 632. quo decessit. Præfuit illo extincto Saracenis *Ebubezer*, quem vocant Arabes *Aboubecre*. (*l*) Is *Calipha* dici voluit; quam vocem interpretantur *Vices gerentem*. Ebubezere duce undique Saraceni grassabantur; sed illo post biennium mortuo succedente *Haumare*, vel, ut ajunt, Omar, cœperunt majori furore bacchari. Anno 634. irruentes in Syriam, coegerunt Heraclium amisso exercitu provinciam deserere. Occuparunt proximo anno Damascum. An. 635. Jerosolymas cinxerunt obsidione, & an. 637. expugnarunt. Potiti sunt an. 638. Antiochia; & insequente anno subegerunt Mesopotamiam. Devicto insuper an. 640. Hormisda *Iezdegird* Rege Persarum, re-

(*k*) *Alcoranus* vocabulum Arabicum idem significat, ac *liber lectionis*. Editus Arabice, & in Persicam linguam translatus. In Latinam vertit Petrus Mauritius Abbas Cluniacensis, in Gallicam vir nobilis Du Ryer: Lehmanus laudat versionem quoque Italam, & Hispanicam. Confutarunt Mahumetis fabulas Euthymius, Joannes Cantacuzenus, Richardus, Cardinalis Cusanus, Ludovicus Marraccius: pluraque de iis Eduardus Pocokius, Georgevitius, & Clericus in Notis ab lib. 6. Grotii de Verit. Relig. Christianæ.

(*l*) Mahomet hæredes constituerat filiam suam *Fatimam*, hujusque virum *Aly*, sed procerum ambitio voluntatem quoque Pseudoprophetæ parvipendit.

regnum illud universum Saraceni occupaverunt: unde ab hoc anno supputari solet magnum eorumdem Saracenorum Imperium. *(m)* Nec stetit his limitibus circumscriptum. Etenim Haumare, qui an. 643. maximis sumptibus templum Jerosolymitanum extruxerat, Crucis ligno ubique deleto, a femina occiso, *(n)* invadentes Africam ad persolvenda sibi vectigalia compulerunt. Contigit id anno 647. Othmen, qui post Haumarem tenuit Imperium, an. 648. mille septingentis ratibus totam Cypri insulam circumdedit, & in suam redegit potestatem. Irruit anno proximo Saracenorum classis in Siciliam. Ex Africa an. 668. innumeros abduxere captivos, atque a Syracusis LXXX. M. Vexarunt an. 671. Ciliciam, & Lyciam. Anno 685. capta ab iisdem Saracenis, & eversa Carthago. Tota Africa an. 690., culpa Justiniani II. qui violato fœdere antea cum Saracenis inito, istos provocavit ad bellum, & renunciavit pactis induciis, ad hostilem transiit ditionem.

Contrario tamen exitu Saraceni aliquando pugnarunt, enimvero an. 651. invadentes Italiam a Gru-

---

(m) Sublata cum regno Persarum religio *Magorum*. Eodem anno 640. Hegira 20. subacta Alexandria principe Saracenorum Haumare, consumpta fuit igne amplissima Bibliotheca Alexandrina, in qua tanta erat librorum copia, ut iis quatuor mille balneorum aqua calefieret, & ulterius ad sex menses perseveraret combustionis materia. Maluit autem Haumar incendi, quam Joanni Grammatico Jacobitæ concedi. Universa tunc Ægyptus venit in Saracenorum potestatem.

(n) Legi in *Historia Saracenorum*, Haumarem occisum anno Chr. 1641. Hegira 23. a mago quodam captivo Persa, cui nomen *Firouz*, non a femina. Vide & Pucockium *Hist. terræ Sanctæ*. Regnavit itaque Haumar annis 10. Vossius occisum ait anno 647. a Margarita Persa. Quidam tantam in Saracenis armorum fortunam inde repetunt, quod victos ad Mahometanam religionem indiscriminatim admitterent, eaque fere cum omnibus gentibus aliquidhabeat commune: id tamen hominum corruptelæ, ac Numinis animadversioni existimo attribuendum.

Grunoaldo Præfecto Samnitum ad internecionem deleti sunt. Pulsi item an. 657. ab Olympio Exarcho e Sicilia; atque an. 699. Christianorum exercitus sub Absimaro, & Joanne Patricio Samosatam usque profectus occidit Saracenorum IV. M. Frustra imperante Constantino *Pogonato* obsediſſe C. P. dictum supra. Intestinis etiam ob mortem Othmenis laboraverunt discordiis. Successio autem principum Saracenorum est: Cœpit *Mahomet* imperare anno 623. *Ebubezer* illorum Arviras eligitur an. 632. *Haumar* regnavit ab anno 634. Huic an. 644. aut 643. desinente successit *Othmen*, sive *Hotman*. Calipham anno 660. sublatis æmulis se nominavit *Muchavia*. (*o*) Arviras deinde an. 682. ejus frater *Hizith*. Principatum huic an. 685. subripuit *Habdallas* tyrannus; sed electus Arviras *Maruan*. Huic an. 686. suffectus est filius *Hedimelech*. Habdallæ an. 689. Persis & Armenia subjiciuntur, divisoque imperio intestina bella cessarunt. (*p*)

Saracenis Syriam vastantibus, *Maronitæ*, ne illorum subderentur dominatui, sibi in Monte Libano, & Phœnicia principem constituerunt, insciо Imperatore Constantino IV. *Mardaitæ* idcirco, id est, *rebelles*, nuncupabantur. Contigit id anno Christi 676.

Scriptoribus cap. 4. enumeratis addendi sunt aliqui, qui licet Christiani, seculares tamen litteras exco-

(*o*) Narrat Cedrenus incensam ad Cyzicum in Mysia classem Saracenorum a *Gallinico* Heliopolitano, invento maritimo igne, quem *Græcum* vocant hieme anni 664. De Callinico autem *Heilbronner* in Historia Matheseos.

(*p*) Hanc Chronologiam Calipharum exscripsimus ex Epitome Vossii. Si ab hac aliquando discessimus, certa nos impulerunt munimenta.

excoluerunt. Hujusmodi sunt *Julianus Patricius* qui edidit Chronicum, dictum a Suida σύντομον πάνυ θαύμασιον, *breve, valde admirabile: Secundus*, ut creditur, Tridentinus, qui scripsit de rebus gestis Longobardorum: *Samuel Beulanus* Scotus, cujus laudatur Historia Itineraria. Poetis accensendus, præter *Drepanium Florum*, cujus multum extant sacra Poemata, *Aldhelmus* in Saxonia Abbas, & Episcopus, de quo illud pervulgatum, *Aldhelmus cecinit millenis versibus Odas.* Omnia Gentilium testimonia, quibus Christiana Religio confirmari queat, improbo labore collegit *Anonymus* quidam Thebanus, a Photio Cod. 170. atque ab omnibus celebratus, a quibus Scriptorum census contexitur.

OCTAVUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

DE EPISCOPIS ROMANÆ, ET CATHOLICÆ ECCLESIÆ.

Pontifices Maximi Seculi VIII. *Joannes VI. Joannes VII. Siſinnius. Conſtantinus. S. Gregorius II. S. Gregorius III. S. Zacharias. Stephanus II. S. Paulus I. Stephanus III. Hadrianus I. & Leo III.*

LXXXVII. Vita itaque functo Sergio I. Apoſtolicæ Eccleſiæ ſuſcepit adminiſtrationem anno 701. ad finem vergente *Joannes VI.* natione Græcus. Is Theophylactum Exarchum a Tib. Abſimaro contra ipſum Pontificem ignota de cauſa miſſum, a militum & civium furore bona pro malis reddens exemit, & captivos, quos Romanorum dictiones invadens abduxerat princeps Beneventanus Giſulphus, liberali redemit munificentia. Reſtituit S. Andreæ in Vaticano Baſilicam, templumque S. Marci, poſt triennium facilem vitæ exitum ſortitus anno 705. nona die Januarii.

LXXXVIII Conſecratus eſt Pontifex eodem anno *Joannes VII.* & ipſe Græcus origine. Rogatus a Juſtiniano II. confirmare noluit canones Synodi Quiniſextæ, a nonnullis reprehenſus, quod illegitimos non diſpunxit a veris. Eo ſedente Aribertus II. Rex Longobardorum reddidit Romanæ Eccleſiæ Alpes Cottias proximas Pedemontio, a

deceſſoribus ſuis uſurpatas. Nondum exacto Pontificatus triennio, deceſſit anno 707. XVI. Calendas Novembris. (a)

LXXXIX. At brevior fuit Epiſcopatus *Siſinnii*, qui ad Apoſtolicum perveniens thronum ex disjunctiſſima Syriæ regione, tam dira excruciabatur arthritide, ut 20. ab electione die, qui fuit ſeptimus Februarii, an. 708. conſiceretur.

XC. Conſtantinus in Syria pariter ortus Siſinnio ſuffectus; illius *Trullanos* canones, qui rectæ fidei non opponuntur, confirmavit; tali honore a Juſtiniano II. a quo C. P. fuerat accerſitus, Nicomediæ exceptus, ut Imperator capite coronam geſtans illi oſculatus ſit pedes. Philippico conanti pſeudoſyno-

---

(a) Lego patrem Joannis VII. appellatum fuiſſe *Platonem*; cognomine ſcilicet præſtantiſſimi illius Philoſophi, quem Apollodorus apud Diogenem Laertium natum ait Olympiade 88. & mortuum ſcribit Hermippus anno 1. Olymp. 188. Quamquam Plato pater Joannis VI. litterarum inſcius non fuerit; nulla tamen ratione comparandus fuit Platoni, cujus cognomentum habuit, Ariſtonis filio, & Philoſopho, ut nuper dictum eſt, præſtantiſſimo: de quo *Timon* verſibus Latine redditis:

Hos inter dux ille Plato celſiſſimus ibat,
Cujus ab ore melos manabat, quale Hecademi
Arbuſtis lepida modulantur voce cicadæ.

Ven. Baronius ad annum 705. refert, Juſtinianum II. Imperatorem a Joanne VII. poſtulaſſe, ut canones Synodi *Quiniſextæ* congregato in urbe Roma Concilio ad examen revocaret, & quos inveniſſet diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſentientes, cæteris refutatis, confirmaret. At Joannes prædictos canones nec ex parte approbare voluit, nec condemnare. Hæc eſt cauſa, ob quam ab Anaſtaſio, & ab Auctore Libelli Synodici reprehenditur. Videatur Chriſtiani Lupi diſſertatio de Synodi Trullanæ, cauſa, tempore, loco, Epiſcopis, & Auctoritate: ad quam diſſertationem mittunt inquirentem Acta Pontificum Romanorum Franciſcus Pagius in *Breviario* num. 2. in *Joanne* VII. & Antonius Sandinus in *Vitis Pontif. Rom.* adnotatione 2. ad vitam ejusdem Pontificis.

nodo restituere hæresim Monotheliticam invicto restitit animo; obiitque die 8. Apr. an. 715.

XCI. Summum deinde Sacerdotium obtinuit S. *Gregorius II.* ultra 15. annos, e terris discedens Idibus Februariis anno 731. Ad laudum ejus cumulum accedit, quod strenue pro cultu Sanctarum Imaginum pugnavit contra Leonem Isaurum, extinxit Anglicanum schisma annorum 150. exortum inter Britones & Scotos innovata de die Paschatis controversia, & a Luithprando rege Longobardorum obtinuit confirmationem donationis Alpium Cottiarum.

XCII. Sanctitate item præclarus fuit *Gregorius III* qui ab anno 731. usque ad an. 741. summa sapientia, & vigilantia gubernavit Ecclesiam, scriptisque & factis, in templis Christi, Deiparæ, Sanctorumque Imaginibus collocatis, acerrime pugnavit contra Iconomachos. Suprema fuit Sanctissimo Pontifici dies IV. ante Cal. Decembris.

XCIII. Post Gregorium inauguratus Pontifex *Zacharias*. Avertit is a Romana provincia Longobardorum exercitum, sibique Luithprandi animum maxima prudentia devinxit. Illius auctoritate, aut certe consilio, (*b*) exauctorato Childerico ad regnum

(*b*) Cum anno 744. Sacerdos quidam ignorantia Latinæ linguæ in administratione Sacramenti Baptismatis ita præscriptam *formam* verborum protulisset, *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritus Sancta*, S. Zacharias Romanus Pontifex ratum, validumque baptismum esse declaravit, propterea quod *non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam*, Sacerdos baptizans ad illum modum fuerit locutus. Vide Zachariæ Epistolam 6. ad Bonifacium Episcopum tom. 6. Conciliorum, & can. *Retulerunt nuntii tui*, apud Gratianum de Consecr. dist. 4. num. 86. Retulerant id Zachariæ Virgilius & Sidonius, qui cum revera S. Bonifacii non fuerint nuntii; videntur duæ ille voces, *Nuntii tui*, additæ a Gratiano. Consimilem *formæ* mutationem ex ignorantia profectam, non officere Baptismatis validitati, asseruit anno 751. ut fertur Stepha-

gnum inepto, substitutus est Francigenis rex pater Caroli Magni Pipinus. Evolavit S. Zacharias ad Superos, annis decem transactis, anno 752. pridie Idus Martias. (*c*)

XCIV. In Stephani II. (*d*) Pontificatu amplior evasit principatus Romanæ Ecclesiæ. Cum enim armis Aistulphi Longobardorum regis undique premere-

---

phanus II., quem libro 31. de Theologicis discipl. cap. 10. III. diximus, ob subjectam paulo inferius adnotationem.

Negavit S. Zacharias dari *Antipodas* vulgarem sententiam secutus, absque ullo prorsus reprehendendo errore: quippe *Antipodas* esse postremis temporibus ex Italorum navigationibus evidenter compertum est. Hinc doctissimus Norisius occasionem arripuit in Augustinianis Vindiciis cap. 4. §. 8. refellendi *Adamum*: affirmantem dixisse Augustinum, *Terram non esse rotundam, nullosque dari Antipodas.* Quorum primum esse inane *Adami* objectum demonstrat eo loci Norisius, quoniam S. Pater nullibi negat terræ rotunditatem: alterum vero retundit, quoniam, si Augustinus existere *Antipodas* ignoravit, id ignotum erat, priusquam *Columbus* Ligur Argonauta novum Orbem adinvenisset. Præterea autem, quæ de Terræ figura, rotunda sit, necne, differunt ætate nostra Philosophi.

Childerico substitutum regem Pipinum a Zacharia contendit Ven. Bellarminus *lib. 2. de Rom. Pontif. cap.* 17. & consultationi Francorum Zachariam tantum respondisse, demonstrare nititur Jo. Launojus lib. 7. cap. 9. *Lud. Maresium.*

(*c*) Post obitum S. Zachariæ quidam electus est a populo *Stephanus*, & immissus in Patriarchatum Lateranens m, sed quoniam post triduum non ordinatus excessit e vivis, ut sectione 227. narrat Anastasius, non solet inter Pontifices connumerari.

(*d*) Nonnullis III. ob præcedentem Notam. In Gallias ad Pipinum adiit anno 754. ibique regi coronam imposuit. Extat Ravennæ vetus inscriptio; *Pepinus pius, primus amplificandæ Ecclesiæ viam aperuit*, & *Exarchatum Ravennæ cum ampliſſimis*..... deleta sunt reliqua.

meretur, confugiens ad Pipini auxilia, hunc movit, ut cum exercitu ingressus Italiam cogeret Aistulphum ad restituendum Exarchatum, quem occupaverat. Pipinus vero eumdem Exarchatum, & quidquid in Italia armis recuperavit, largitus est Apostolicæ Sedi. Exegerat Stephanus quinque summi Sacerdotii annos, quando VIII. Cal. Majas an. 757. cessit e vita.

XCV. Præfuit deinde Ecclesiæ annis decem *S. Paulus I.* Romanus, qui ab impietate revocare studuit Constantinum *Copronymum*, Theophylactum Archidiaconum, quem nonnulli e populo Pontificem acclamaverant, redegit in ordinem, pluraque Sanctorum corpora transtulit e cœmeteriis in Urbem. Agebat adhuc animam die 28. Junii an. 767. cum Constantinus violentia fratris Nepesini audacter Pontificatum invasit.

XCVI. Constantino Pseudopontifice, & qui huic præter jus fasque subrogatus fuit, Philippo *Monacho* extrusis canonicæ anno 768 electus est *Stephanus III. (e)* Damnatum ab eo est Constantinopolitanum Concilium, in quo reprobatus fuerat sacrarum cultus Imaginum: contulit rursus sacrorum Ordinum insignia iis, quos initiaverat Constantinus; non tamen, ut visum quibusdam, iteravit ordinationem: septem constituit Cardinales Episcopos, & excessit e vivis Cal. Februarii, anno 772.

XCVII. Sedit postea *Hadrianus I.* eruditione & pietate, præclarus. Hoc Pontifice extinctum est in Italia regnum Longobardorum, celebratum contra Iconomachos Generale Concilium VII. confirmata donatio Pipini facta Romanæ Ecclsiæ a glorioſissimo ejus filio Carolo Magno. Hadrianus age-

(e) Quibusdam IV. sed in hujus Synodo in lucem edita, & illustrata a Cajetano Cennio legitur sub initium, *Præsidente ter beatissimo, & coangelico Stephano Summo Pontifice, hujus Romanæ Urbis Ecclesiæ, & universaliter tertio Papa, &c.*

bat annum Pontificatus 24., cum naturæ concessit VII. Cal. Januarias an. 795. (*f*).

XCVIII. Leo III. presbyter R. E. sedit post Hadrianum usque ad annum 816. diemque obitus sui undecimam Junii. Carolum Magnum de Ecclesia optime meritum decoravit corona, sacro inunxit oleo, & appellavit *Augustum*. Litanias, seu *Rogationes* sancivit, institutas antea a Mamerto Episcopo Viennensi, ut habetur in Martyrologio Romano V. Idus Maji. (*g*)

CA-

(*f*) Producunt quidam hæretici Caroli Magni epistolam maledictis conviciisque plenam adversus *Hadrianum I.*, quasi Carolus ægre ferret approbari ab Hadriano Synodum Septimam, cultumque sacrarum Imaginum. Verum Carolus Magnus semper hunc Pontificem honore magno prosecutus est. Etenim eo hortante, non semel in Italiam cum exercitu advenit, & contra *Desiderium* regem Longobardorum, & contra Ducem Beneventanum *Aragisium*, adversus Ecclesiasticam ditionem bella parantes. Carolus item Hadriano, ejusque Successoribus concessit territorium Sabinense. Provolutus etiam ad pedes Pontificis, prius illos *osculo contigit, quam se* Pontifex *complectendum ei daret*, ut in libro 2. de rebus gestis Francorum scribit Paulus Æmilius Veronensis. Vita autem functo Hadriano, Carolus ei carmen concinnavit, in quo hæc leguntur:

Post Patrem Carolus lacrymans hæc carmina scripsi,
Tu mihi dulcis amor, te modo plango, Pater.
Tu memor esto mei: sequitur te mens mea semper,
Cum Christo teneas regna beata Poli.

Et infra:

Tum memor esto tui nati, Pater optime, posco,
Cum patre, dic, natus pergat & iste meus.
O, pete regna, Pater felix: cœlestia Christi,
Inde tuo precibus auxiliare gregi.

Vide Alani Copi Dialogum V. cap. 4.

(*g*) Dum *Leo III.* Litanias Majores Romæ celebraret anno 799. nefarii homines in itinere illum aggressi, inermi fugato popu-

CAPUT II.

INDICTA SECULO VIII. CONCILIA.

Ad hæreſes eliminandas, ac reſtituendam, firmandamque collabentem Eccleſiæ diſciplinam plures habiti ſunt Epiſcoporum conventus. Enimvero bello, quod ſacris Imaginibus intulerunt tres Orientis Imperatores, *Leo Iſaurus*, *Conſtantinus Copronymus*, & *Leo IV.* occurrendum erat ſedulo

---

populo, injuriis, plagisque affecerunt, erutisque illi oculis, atque lingua præciſa, in media via reliquerunt ſemivivum, & paulo poſt detruſerunt in carcerem. Fuerunt immaniſſimi ſceleris auctores *Paſchalis* Primicerius, & *Campulus* Sacellarius Romanæ Eccleſiæ. At Leo divino beneficio ſanatus, ambonem conſcendens ab objectis criminibus coram univerſo populo ſe ipſum purgavit. Rem geſtam ab Anaſtaſio enarratam referunt ex Græcis Zonaras, Cedrenus, Manaſſe Conſtantinus, ex Latinis Hermannus, Contractus, Flodoardus, Sigebertus, Theodulphus, Alcuinus. Illos Papirius laudat, Pagius iſtos. Calviſium addere poſſum, Brietium, cæterosque complures. Ajunt oculos Leoni fuiſſe reditos ab Apoſtolorum Principe Petro: neque obſcure id Theodulphus innuit Carmine ſexto libri III. ubi ait;

Quem furibunda manus ſpoliavit lumine, lingua,
Veſtibus & ſacris, ordinibusque pii.
Reddidit hæc Petrus, quæ Judas abſtulit alter.
Hic qui Confeſſor, proditor ille Dei eſt.

Lego tamen apud Papirum pag. 132. 2. *Hadriani defuncti neceſſarii, populo contra illum concitato, ei læſerunt oculos, non tamen ademerunt. Nam ii, quibus mandata erat excæcatio, pepercerunt homini, ejusque miſerti extrinſecus oculos læſerunt, ſed lumine non privarunt.* De lingua item præciſa illic nec verbum quidem. Sed quod narravimus, teſtimonio comprobatur multorum. Sane Leo dimiſſus per murum, profectus eſt in Galliam ad Carolum Magnum. Alcuinus in Carmine

de

diligenterque. Atque factum id in Romana Synodo S. Gregorii II. anno 726. & in duabus S. Gregorii III. an. 731. & 732. Iconomachi tamen anno 754. celebrarunt C. P. numerosissimam Synodum, 338. Episcoporum, divali Constantini Copronymi, & Leonis Augusti convocatam, absolutamque in Basilica S. Mariæ in (*h*) *Balchernis*, VI. Idus Augusti. Qua in Synodo adversus sacras Imagines conclamatum est, ac illæ undique conquisitæ, abrasæ, & incensæ, traditis quoque igni Catholicorum libris, Sanctorumque Reliquiis. Hanc propterea Pseudosynodum hæretici appellitant VIII. *Oecumenicam.*

Etsi vero de sacrarum Imaginum cultu frequens Episcoporum Galliæ Concilium, cui interfuerunt etiam Legati S. Pauli I. Rom. P., anno 767. statuerit

---

de Leonis profectione ad Carolum refert, Pontificem illatas sibi commemorasse contumelias, & vulnera, regemque magna fuisse permotum admiratione. Ita enim loquitur Alcuinus:

Verbera commemorans, extinctum lumine vultum
Narrat, & abscissam liquido de gutture linguam:
Nunc medicante Deo sanatum, &c.

De Carolo autem Alcuinus hæc subjicit:

Exquirit Carolus casus, auditque laborum
Diversos, sceleris populi impia facta stupescit,
Miratur geminas jamdudum luce fenestras
Extinctas, & nunc reparatum lumine vultum,
Truncatamque loqui miratur forcipe linguam.
Alter in alterius configunt lumina vultus.

Carolus Leonem propriæ Sedi restituit, atque in sceleris auctores pronunciavit sententiam capitis. Sed ut relegarentur solummodo, petiit, obtinuit clementissimus Pontifex.

(*h*) Βλαχέρναι Civitatis Constantinopolitanæ suburbium. Incœpta Synodus in *Hieriæ* Palatio. Appellatur ab Heterodoxis immerito *Septima Synodus Oecumenica.*

rit in Gentiliaco agro Parisiensi, eumdemque cultum confirmaverit an. 769. Romana Synodus Lateranensis Stephani III. comprobatus tamen fuit anno 787. Generali concilio congregato imperantibus Constantino *Porphyrogenito* cum matre Irene, instigante Hadriano I. &. suadente quoque Patriarcha C. P. Tarasio. Incœptum est in C. P. SS. Apostolorum æde, sed translatum postea Nicæam, & inchoatum VIII. Cal. Octobris, completumque X. Cal. Novembris. Est ergo hæc Synodus, qui præter ingentem SS. Monachorum numerum, adfuerunt cum Apostolicæ Sedis Legatis Episcopi 350. Constantinopolitana, seu Nicæna II. *Oecumenica VII.* Confirmatum fuit, quidquid Synodus ista decreverat anno 794. in Synodo *Francofordiensi* 300. Episcoporum, habita adstantibus coram Carolo Magno prælaudati Hadriani Legatis (*i*).

Damnata fuit in eadem Synodo Francofordiensi hæresis *Felicis*, & *Elipandi*, jam ab anno 788. proscripta in Concilio Narbonensi, & rursus anno 792. in Ratisbonensi, postea vero in Aquisgranensi an. 799. Sedente insuper Zacharia Pontifice, atque, ut fertur, anno 745. (*k*) damnati fuerunt *Aldebertus*, &

(*i*) Qui negant cultum religiosum sacris Imaginibus exhibendum, hunc non adprobatum a Synodo Francofordiensi, sed damnatum potius fuisse affirmant: quod item asserunt de Libris *Carolinis*. At præstantissimi Theologi demonstrant tam in secundo illius Concilii canone, quam in hisce libris denegari Sanctorum imaginibus cultum *Latriæ*, Deo tantummodo juxta primum præceptum Decalogi, offerendum, inflicto anathemate iis qui sacris imaginibus eamdem, ac *Deificæ Trinitati*, venerationem impendunt. Quod Oecumenicæ Synodo VII. omnino cohærens est, non repugnans. Sunt tamen & de sensu præcitati secundi canonis, & de libris *Carolinis*, imo & de librorum istorum auctore, diverse Theologorum, Criticorumque sententiæ: quas expendunt fere omnes recentiores, qui *de Cultu Sacrarum Imaginum* pertractant post Bellarminum, Vasquesium, Petavium, *Caspar Juenin*, *Carolus Vitasse*, *Nicolaus E. Herminier*, *Honoratus Tournely*, & alii, post Tractatum *de Incarnatione*.

(*k*) Sancti *Zachariæ* duo laudantur Concilia, unum an. 743. alterum 745.

& *Clemens* hæretici, & quidem Synodali sententia, Hæc autem adversus hæreses.

Spectant ad disciplinam, quæ sequuntur. In Synodo Cloveshovienſi in Anglia anno 742. actum de Ecclesiarum immunitate: in Vermerienſi diœcesis Suessionensis anno 752. de cohibendis fornicatione, adulterio, & incestu: in Compendiensi ejusdem diœcesis anno 756. de iisdem criminibus, & de gradibus consanguinitatis: (*l*) In Lippiensi apud Germanos anno 780. erectæ, & constitutæ in Saxonia Sedes Episcopales: in Narbonensi an. 791. illius Ecclesiæ limites definiti: in Aquisgranensi an. 797. approbatum Caroli M. Capitulare: atque in Romana an. 800. Leo III. se purgavit a quibusdam criminibus sibimet objectis.

CAPUT III.

HÆRESES VIII. SECULI.

Quænam sint exortæ octavo Seculo hæreses, constat ex capite præcedenti. Prima est Iconoclastarum: altera Elipandi & Felicis: tertia Aldeberti, & Clementis. Ac prior explicato nomine statim dignoscitur. Iconoclasta enim, sive Iconomachus idem sonat, ac *Imaginum impugnator*, ab *εἰκὼν imago*, & *μάχομαι pugno*. Horum duces Leo Isauricus, Bardanes, Joannes, Anastasius, Constantinus Copronymus, Leo Armenus. Omnium tamen primus sacris Imaginibus bellum intulisse fertur *Exidus* Rex Arabum, instigante Judæo, nomine *Sarantapehis:* at nulla solet haberi ratio obscuræ hujus Iconoclastarum originis. Ad horum castra accesserunt quotquot ad hæc usque tempora in Sanctorum Imagines, & Reliquias sacri-

(*l*) Sedente Stephano III. anno 769. celebrata est Synodus Lateranensis, quam anno 1735. V. Cl. Cajetanus Cenni in lucem protulit, addita erudita Dissertatione.

crilege conflixerunt. Ἀγιόμαχοι item, ac Θεόμαχοι vocitantur, quoniam contra Sanctos, & contra Deum summa impietate decertant, sacra monumenta, arasque evertentes (*m*).

Christum esse Filium adoptivum Dei Patris dogmatizarunt *Elipandus* Episcopus Toletanus, & *Felix* Urgelitanus in Hispania *Tarraconensi*. Fuit horum error surculus hæresis Nestorianæ, & præmonstratus a Theodoro Mopsuesteno. Cum enim adoptio sit assumptio in Filium personæ extraneæ; qui Christum filium Dei adoptivum vocant, in eo hominis profitentur personam assumptam ad consortium divinæ. Attamen, an Christum cum illo addito, *Secundum humanitatem*, appellari queat adoptivus Dei Filius, disputatur in Scholis. Elipandum & Felicem, seu potius illorum errorem proscripsit an. 793. Paulinus Aquilejensis; postmodum damnarunt Synodi prælaudatæ. (*n*)

Aldebertus & *Clemens*, Zacharia Pontifice, degradati addiderunt Ecclesiasticis precibus ignota spirituum nomina, invocando angelos *Uriel*, *Raguel*, *Tubuel*, *Inias*, *Tubuas*, *Sabaoth*, & *Simiel*.

(*m*) Adversus sacras Imagines nefaria promulgarunt decreta *Leo Isaurus* anno 720. & 730. atque *Constantinus* Copronymus anno 754. coacta Pseudosynodo, de qua supra.

(*n*) Præter Alcuinum, de quo infra, pertractarunt de hac Secta Scriptores enumerati a Jo. Alberto Fabricio tom. 2. Biblioth. Latinæ medii ævi.

CAPUT IV.

ECCLESIASTICI SCRIPTORES VIII. SECULI.

Initium ducendum a *Ven. Beda*, (o) nato in districtu Dunelmi Angliæ Septentrionalis an. 672. & vita functo, ut fert probabiliter opinio, an. 735. Sanctimonia, pietate, atque omnigena excelluit eruditione. Nam de ratione temporum, de mundi ætatibus, de computo, & Arithmeticis numeris, de situ locorum sanctorum libri exhibent insignem Chronologum, Geographum, & Mathematicum. Ejus vero in Theologia sacrisque litteris peritiam amplissima Commentaria, Tractatus egregii, & Homiliæ complures demonstrant. Quid in Historia valuerit, Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum, Martyrologium, & Sanctorum vitæ testantur. Si ignarum existimes Astronomiæ; perlege, quæ scripsit de argumentis lunæ, de Embolismis, de Cyclis, de Astrolabio, de Planetis, de Sphæra. Etiam de arte metrica, de partibus Orationis, de Elementis, de Linguis, & de Oraculis pertractavit; eumque novimus Grammaticum, Poetam, Philosophum, Polygraphum.

Consignantur anno 740. mors *S. Germani* Patriarchæ C. P. qui Leoni Isaurico, cæterisque Iconoclastis invicte restitit. Scripsit de sex Synodis Oecumenicis, Apologiam S. Gregorii Nysseni, & rerum Ecclesiasticarum Theoriam. In illum acuunt stylum Iconomachi: at colunt inter Sanctos IV. Idus Majas Martyrologium Romanum, et Menologia Græcorum.

Accedit

(o) Dictum *Venerabilem* ajunt, quod ejus discipulus leonino versu ita Epitaphium meditatus, *Hac sunt in fossa Bedæ presbyteri ossa*, torquens se ob syllabarum quantitatem, in somnis admonitus fuerit, ut ita versum emendaret. *Hac sunt in fossa* BEDÆ VENERABILIS OSSA. At aliam causam ad annum 779. profert *Gedeau.*

Accedit *S. Joannes* monachus, ac Presbyter Damascenus, ob eloquentiam vocatus χρυσορρόας, a χρύσος, *aurum* & ῥέω, *fluo*. Quamvis interdum nimis fuisse credulus videatur, docte tamen eleganterque conscripsit de fide Orthodoxa, de Hæresibus, nec non contra Acephalos, seu Monophysitas, Nestorianos, & Manichæos, Orationesque sacras stylo perpolito, et exculto. Scribendo circa annum 730. applicuit animum, obiitque anno circiter 750. qui enim mortuum affirmarunt sub Theodosio Juniore, enormi 300. annorum peccarunt anachronismo.

Sequitur *Paulus* Diaconus Aquilegiensis, postea Cassinensis monachus; qui cum foret Cancellarius Desiderii Regis Longobardorum, eo devicto, venerat in captivitatem Caroli Magni, atque propter nimiam erga Desiderium fidem relegatus fuerat in insulas maris Adriatici Diomedeas. Præter Historiæ Longobardorum libros sex, & quatuor alios de vita S. Gregorii M. Homilias, & opuscula alia, adscribuntur Paulo Diacono libri 24. Historiæ Miscellæ: sed hæc non unum habet parentem. Lusit etiam versibus in laudem S. Scholasticæ, eique tribuitur sonorus Hymnus S. Joannis Baptistæ, *Ut quaeant laxis*, &c. Floruit circa annum 776. (p)

Vixit eadem ætate *Paulinus* Forojulienſis, ad patriarchatum Aquilejensem evectus a Carolo M. anno nuper citato 776. Edidit an. 793. contra Elipandum librum inscriptum *Sacrosyllabum*. Prædicatione Carinthiæ, finitimosque populos perduxit ad Christi fidem; atque in cœlum migravit an. 804. die 11. Januarii, qua die colitur ipsius memoria in Festis Sanctorum Foro-Julienſium.

Obiit eodem an. 894. XIV. Kal. Junias *Flaccus Alcuinus* Anglus, discipulus Ven. Bedæ, & Diaconus Eboracensis. A Carolo M. Palatinæ scholæ præ-

(p) Paulum Diaconum decessisse ajunt anno 801.

Præfectus, principem in Galliam, & ad Synodum Francofordienſem ſecutus, tandem recepit ſeſe in Turonenſe S. Martini cœnobium. Strinxit calamum aduerſus Felicem Urgelitanum, & Elipandum: pertractavit de Divinis officiis, ritibusque ſacrorum myſteriorum, plura interpretatus eſt Divinæ Scripturæ loca, Epiſtolas edidit plurimas, epigramata, pœmatia 272. & carmen Heroicum de Pontificibus, & Sanctis Eboracenſis Eccleſiæ. (q)

Percurram breviter reliquos. Conſcriptus ab *Anonymo* ætate Gregorii II. *Liber diurnus* Romanorum Pontificum, & circa eadem tempora *Ordo Romanus* pertractans de Divinis officiis, ac miniſteriis. *Fredegarius* Scholaſticus perduxit ad annum 739. Chronicum de geſtis Francorum, & *Iſidorus* Epiſcopus Pacenſis in Luſitania ad an. 754. Chronicum Hiſpaniarum ſub Arabum principatu. *Florus* monachus in diœceſi Laodicenſi circa annum 760. collegit Acta SS. Martyrum, fortaſſe permixta

(q) Ipſum quoque *Carolum Magnum* Scriptoribus Eccleſiaſticis hujus Seculi ad annum 768. adnumerat Guilelmus Cave. Recenſet Caroli Epiſtolas, & capitula de re Eccleſiaſtica, Libellum ad Alcuinum de Sacrificio Miſſæ, & ratione, rituum Eccleſiæ, Capitularia, &c. Nititur eo loci Caveus auctori ſuo vindicare libros, qui *Carolini* dicuntur, affirmans ſpurios dici a Catholicis plurimis, *ut iſtorum librorum ictum declinent*, nempe quia in his damnatur Synodus VII. & improbatur cultus Sanctorum; tamen non idem judicium eſt omnium Communionis noſtræ Theologorum: ſed præfatos libros jubente Carolo conſcriptos eſſe fatentur. Nec tamen horum librorum auctoritate labefactari putant fidem Catholicæ Eccleſiæ circa Imaginum ſacrarum cultum, quoniam iisdem libris non cultus *duliæ* ſed cultus *latriæ* Sanctis, horumque Imaginibus denegatur. Vide *Not.* ad præcedens caput ſecundum.

Præter libros a Caveo adſcriptos Carolo Magno, Grammaticam ipſe condidit patriæ linguæ, ſcilicet Teutonicæ, leges plures & conſtitutiones edidit, lib. 4. Annalium recenſitas ab Aventino, collegitque, & promulgavit Mutinæ anno 891. edicta legesque Longobardorum.

mixta in Bedæ Matyrologio. *Elias* Cretenſis, qui an. 787. interfuit ſecundæ Nicænæ Synodo, edidit Commentaria in Orationes S. Gregorii Nazianzeni. *Theodulphus* Epiſcopus Aurelianenſis circa finem VIII. Seculi elucubravit libros 6. Carminum, & Poemata 10. notis a Mabillonio illuſtrata. Condita pariter exeunte Seculo Annalia Francorum *Anonymi*, atque a *Turpino* Archiepiſcopo Remenſi Hiſtoria Caroli Magni, & Rolandi. (r)

CAPUT V.

RECTORES IMPERII, MARTYRUM, ALIORUMQUE SANCTORUM PERMULTI.

Tiberio Abſimaro occiſo anno 705. *Juſtinianus ῥινοτμήτος* recuperavit Imperium, regnavitque uſque ad annum 711. quo anno interfectus & ipſe fuit a *Philippico* (aliis *Philippicus Bardanes* nuncupatur) Pergamenſi, Bardanis filio, eodemmet Philippico Bardane a militibus Cherſonenſibus acclamato. Tiberius quoque filius Juſtiniani e templo in *Blachernis*, quo confugerat, & ex ara, cujus cornua tenebat, vi extractus eodem Philippico jubente immaniter jugulatur. Idem vero tyrannus hæreticus Monothelita, ſextæ Synodi oppugnator, & Orthodoxorum implacabilis hoſtis, ineunte in eum Patriciorum virorum factione, excæcatus, & in carcerem detruſus eſt, an. 713. in vigilia Pentecoſtes. (s) Imperante autem Juſtiniano coronatus

(r) Obiit Turpinus anno 800. *Tilpinum* rectius dixeris.

(s) Narrant Cedrenus, Theophanes, Paulus Diaconus, & alii, *Philippicum* a militibus imperatorem fuiſſe ſalutatum, que-

tus est martyrio *Lambertus* Trajectensis Antistes a nocentibus, quorum flagitia increpaverat, atque perennem consecuti sunt gloriam sanctissimi Episcopi Arvernis *Bonitus*, *Alvelmus* Schireburgi, Eboraci in Anglia *Walfridus*, *Tetricus* Antissiodori, singuli juxta Fleurium an. 709.

Philippicus successorem habuit *Arthemium*, sive *Anastasium II.* qui an. 715. Imperium cedens Theodosio III. ab Exercitu exclamato, coactus est habitum induere monasticum, regiaque discedere ex Urbe. At *Theodosius*, Adramyttenus vocatus a patria Adramyttio civitate Mysiæ, seu Troadis, ut invitus susceperat, ita sponte dimisit Imperium, convolans an. 717. ad institutum monachorum, una cum filio: in quo vivendi genere dicitur Ephesi vita functus, clarus virtutibus, signisque, inscripta, quo conditus fuit tumulo Græca dictione Υγιεια, nempe *Sanitas*. Ita evectus ad Imperium anno 717. die 25. Martii *Leo III.* in Isauria obscuro genere ortus, & sceleratissimus Iconomachus, extinctus aqua intercute an. 741. dum ageret principatus sui annum 25.

Sub initia Imperii Leonis Christianorum plurimi in Syria necati fuerunt a Saracenis: permulti etiam in Hispania, quam occupaverant anno 714. In regnum quippe illud ex Africa transmiserant Arabes, Hegyræ an. 93. Ær. Chr. 712. atque anno sequente 713. Mousa, vel *Muza*, Toletum usque victor per-

---

quoniam illos ad rebellionem intolerabili sævitia Justinianus compulerat. Nam cum Abimaro, de quo cap. 5. præcedentis Seculi, *Leontium* per forum atque theatrum circumductum spectaculo exhibuit in Ludis Circensibus, pedibus conculcavit, & capite abscisso interfecit. Fratrem Abimari *Heraclium*, multosque illi adhærentes, circa urbis C. P. mœnia jussit suspendi: plurimos in mare demergi mandavit; atque prædictæ civitatis Antistitem *Gallinicum*, qui fuerat a partibus Leontii, depositi e Sede, erutisque oculis relegavit. Quoties vero truncatas emungebat nares, aut guta aliqua inde fluebat,

unum

pervenit, ubique fidelium cæde cruentus. (*t*) Recruduit Arabum persecutio, ubi agnoverunt Christianos anno 718. in montibus Asturiæ Regem sibi constituisse Pelagium. *Rigobertus* Episcopus Remensis, *Rupertus* Salisburgensis, *Meneleus* Abbas Arvernensis, prope Argentoratum, beato fine quieverunt. Ubi vero Leo imperator ineunte an. 730. promulgavit edictum, ut omnes abjicerent, ac damnarent cultum sacrarum Imaginum; nolens ei subscribere S. Patriarcha *Germanus*, exuit se pallio, & in monasterium secessit. *Julianus*, *Marcianus*, & alii octo subierunt martyrium, quoniam ægre tulerant dejectam jussu principis Iconomachi Imaginem SS. Crucifixi, nomine Ἀντιφωνήτην. De his Roman. Martyrologium V. Idus Augusti. Addenda iis ex vita Stephani Junioris multiplex sanctarum Mulierum Corona.

Stephanus, quem laudavi nuperrime, Constantinopolim e Palæstina venerat hortante Germano. Pro sacrarum Imaginum veneratione cum *Basilio*, *Petro*, *Andrea*, & sodalibus aliis monachis 339. sub Constantino *Copronymo*, subiit martyrium. Adito Fastos Sanctorum, & Menologia ad diem 28. Novembris. *Constantinus*, quem ex Marina conjuge suscepit Leo, dictus est κοπρόνυμος a κοπρος, ster-

S 2

unum ex Leontii amicis rapi jubebat ad extremum deterrimumque supplicium. Chersonensibus autem devictis anno 710. præcepit, ut omnes necarentur, nulli parcens, nec mulieribus, nec infantibus. Præstantes viri infixi verubus ligneis ad ignem fuerunt assati. *Philippico* imperium prænuntiasse fertur *Joannes* monachus Monothelita, quem propterea ad Patriachatum evexit, dejecto *Cyro*, Monothelitarum licet antesignano; nam hunc Justinianus elegerat expulso Gallinico. Idem Joannes cum Philippico reprobans sextam Synodum anathemate percussus est a *Constantino* Romano Pontifice.

(*t*) Migrasse ad Superos anno 717. S. *Suibertum* Saxonum & Frisiorum Apostolum, refert quoque in sua Chronologia Calvisius pag. 695.

ſtercus, & ὄνομα; *nomen*, quoniam dum ablueretur regenerationis lavacro, ſacrum fontem fœdavit alvi excrementis. Præſtigiis addictiſſimus, humanarum Divinarumque legum contemptor, & vix non atheus, naturæ debitum ſolvit 35. Imperii anno, Vulg. Æ. 775. *(u)* Excepit *Copronymum* filius, quem genuerat ex Irene Athenienſi, *Leo IV.* niſi deterior, certe parenti impietate ſimillimus. Nam Irenem deſpectam habuit, atque exoſam hoc tantum nomine, quod in ejus cubiculis nonnullas Sanctorum imagines offendiſſet. Ea de cauſa cædi flagris, & in monaſterium detrudi mandavit Aulæ proceres, *Jacobum*, *Theophanem*, *Leonem*, ac *Thomam*; quorum *Theophanes* loris percuſſus occubuit martyr. Exceſſit autem Leo, poſteaquam imperaverat quinquennio, die 8. Sept. an. 780.

Inter cæteros pro cultu ſacrarum Imaginum trucidatos, imperante Copronymo, an. 761. obiit verberibus, & altero pede amputato *S. Andreas* monachus Cretenſis, nuncupatus καλυβώτης, a καλύβη, *tugurium*. Machliniæ an. 775. martyrio coronatus eſt *Rumoldus*, regio ortus genere, & Epiſcopus Dublini in Hibernia. Necatus anno 755. a furentibus Gentilibus cum *Eobano*, aliisque, Epiſcopus Moguntinus, & Germanorum Apoſtolus *Bonifacius*.

Leoni IV. ſucceſſit in Imperio *Conſtantinus VI.* annos natus 12. ſub tutela matris *Irenis*. Hunc appellant πορφυρογέννητον, vel quod ſtatim in lucem editus obvolutus ſit purpura; vel quod genitus in Palatio ædificato [pro Auguſtis puerperis. Purpu-

ra

(u) Conſtantinus *Copronymus*, Caballinus quoque vocatus, quoniam ſtercoris equini delectabatur fœtore, Monachos pro cultu ſacrarum Imaginum decertantes Vatiniano infectatus eſt odio. Inter cæteros an. 765. in quo coegit ſubditos, ut jurejurando promitterent execraturos ſe eundem Imaginum cultum, affecit martyrio *Antonium* clariſſimi inter monachos nominis. Decreto an. 762. inhibuit, ne quis amplecteretur monaſticæ vitæ inſtitutum; atque an. 770. monachos

ra enim, & palatium illud, πορφύρα Græce vocantur. An. 789 Irenem omni exspoliavit auctoritate, & cœpit pessime administrare Rempublicam. Revocata an. 792. matre ad imperii consortium, odium universorum non declinavit. *Irenes* autem, ut sola imperaret anno 797. jussit, ut filio oculi eruerentur: at post quintum annum deposita est a Græcis; propterea quod adspiraret ad nuptias Caroli Magni, quem an. 800. Leo III. redimitum corona declaraverat *Augustum*, in solemni die Nativitatis Dominicæ. (x) Contigit Irenis obitus anno 803. V. Idus Aug.

---

chos omnes ac moniales Ephesum adire jussit, & ni jungerentur connubio, orbatos oculis deportari in Cyprum, & Saracenorum injuriis exponi. Hæc ex Theophane. *Leo IV.* Imperii, & impietatis *Copronymi* hæres, dictus quoque *Cazarus*, matrem habuit *Helenam* cujusdam Scytharum principis filiam, feminamque religiosissimam: qua defuncta, duas alias sibi copulavit uxores, *Mariam Armeniam* unam, *Eudoxiam* alteram. Uxor Leonis IV. *Irenes* fuit mulier Attica, corporisque decore venustissima. Leonem extinctum ajunt Zonoras, Funcius, Blondus, aliique, enato illi carbunculo in capite. Ei idcirco quidam consequens epigramma, quasi epitaphium, concinnavit:

Æmulus hic patris, rapto diademate sacro
Exornasse comas dicitur ipse suas
Ergo & sacrilegam mox percutit ultio frontem
Ustus obit, facto tuberis igne, caput.

(x) *Carolus Magnus*, de quo etiam Seculo proximo, natus est anno 747. prope Moguntiam. Quidam anno 742. natum ajunt. An in arce *Carlisburg*, ac in pago *Ingelheim*, incertum est. Patrem habuit Pipinum, cognomento *brevem*, matrem *Bartham*, sive *Bertradam*. Idem significat *Carolus*, ac *Andreas*, nimirum, Virum fortem. Est enim apud Germanos *Karl*, fortis, robustus. Præceptorem habuit in Grammaticis Petrum Pisanum, in disciplinis cæteris Alcuinum, quem laudavi superiori capite quarto. A rerum gestarum magnitudine, & gloria cognominatus est *Magnus*. Longobardos, Saxones, Bohemos, Saracenos in Hispania, Hunnos, Regemque Daniæ Godefridum bello devicit. Plures erexit Episcopatus, auxitque red-

Non defuere octavo labente Seculo glorioſi martyres; aliique viri ſanctitate percelebres. Etenim Friſii an. 755. trucidarunt Bonifacium Germanorum Apoſtolum. Saraceni anno 796. trucidarunt in Palæſtina monachos S. Sabbæ *Joannem*, *Sergium*, *Patricium*, cæterosque. Deceſſerunt item an. 774. *Comerus* Auſterus in Brabantia cultor eremi: anno 784. juxta Baronium, ſive potius 776. *Gregorius* Epiſcopus Trajectenſis: an. 780. *Virgilius* Antiſtes Salisburgi; & anno 785. electus primus Epiſcopus Verdenſis Apoſtolus Saxonum *Suithertus*.

---

redditibus. Pariſiis, Bononiæ, Ticini publicas Scholas inſtituit. Pluribus ſacrorum Antiſtitum interfuit Synodis. Monaſteria conſtruxit ampliſſima. Ædificavit Dresdam ad Albim, munivit Hamburgum, arcesque alias erexit. Pontem ſupra Rhenum ſtrui curavit paſſuum, ut ajunt, quingentorum; ſed idem pons mirabili opere, magnisque ſumptibus erectus ſpatio annorum decem, anno ante Caroli obitum penitus tribus horis conſumptus eſt flamma. De illius eruditione vide *Not.* præcedentis capitis 4. Inducitur a Poeta Anonymo ita loquens de ſemetipſo:

Data quidem pro te, Germania, viribus almis
Per mare, per terras, varia per climata terræ
Cum duris dure populis, & maxima bella
Confeci: hinc proprio regnum mihi ſanguine partum eſt.
Arma virosque graves per vincula tetra ligatos
Ducens, ad patrios redii ſine vulnere lares.
Cæſareum nomen tribuit mihi maxima Virtus.

CAPUT VI.

DOGMATA, VIII. SECULO, CONFIRMATA, ET QUÆ VIGEBAT TUNC DISCIPLINA.

Sacrarum Imaginum cultus, & Sanctis, horumque Reliquiis religiosus honor exhibitus habet, ut liquet ex dictis, Conciliorum definitionibus, scriptis Patrum, & Martyrum sanguine firmitudinem. Unam in Christo Personam, unum Dei filium, & hunc naturalem & proprium, non adoptivum, ut adversus Nestorium definierat Ecclesia, ita fide nunquam variata tradidit contra Felicem, & Elipandum. Et Patrem & Filium esse unum principium Spiritus Sancti, ideoque eumdem Spiritum ab utroque procedere, docuit quovis Ecclesiæ Seculo Theologia, & Majorum traditio: sedente tamen Leone III. cœpit a Gallis, & Hispanis Episcopis addi Symbolo Constantinopolitano particula *Filioque*. Ut moneremur, magno in pretio habenda esse statuta Majorum, nec unius voculæ additamento, dummodo recte fidei cohæreat, subverti Ecclesiæ doctrinam; prælaudatus Pontifex Maximus Symbolum, prout editum fuerat Constantinopoli a 150. Patribus, inscriptum Græcis, Latinisque litteris in duabus tabulis argenteis condidit in Vaticana Principis Apostolorum æde.

Habemus formam degradationis illi parum absimilem, quæ describitur 3. p. *Pontificalis* Romani, in Constantino C. P. degradato anno 767. in templo S. Sophiæ a Niceta, quemadmodum *restitutionis* ad sacrorum Ordinum ministeria, Basilii Ancyrani, Theodori Myrensis, atque Theodosii Amorienſis in Phrygia, qui anno 787. Iconomachorum abjurantis errorem a Patriarcha C. P. Tarasio, cum magna Catholicorum lætitia, palam petierunt, & solemni cæremonia consecuti sunt reconciliationem, & Epi-

ſcopatus inſignia. Innovati ea occaſione fuerunt Canones de recipiendis hæreticis: quam pariter formam tradit præcitata parte 3. *Pontificale*. Abſtruſa, & ignota Angelorum nomina non eſſe precibus addenda declaravit S. Pontifex Zacharias. Baptiſmum vino a nonnullis collatum reprobat cum Evangelio Auguſtinus Tract. 15. in Joannem, & Stephani II. pro eodem baptiſmo Reſcriptum cenſetur ſuppoſititium, ac ſpurium. Deteſtabili abuſu cœperunt in Galiis monaſteria deputari VIII. Seculo in patrimonium feminarum. Ferunt a Leone III. circa annum 800. celebratam fuiſſe primam ſolemnem Canonizationem Sanctorum, eamque fuiſſe S. *Suitberti* Epiſcopi, de quo Surius ad diem 2. Mart. ſed Cardinalis Lambertini, poſtea *Benedictus XIV.* lib. 1. cap. 7. & cap. 8. demonſtrat, primam Canonizationem ſolemniter factam fuiſſe *S. Udalrici* Epiſcopi Auguſtani, peractam a *Joanne XV.* Fidem Chriſtianam Seculo VIII. ſuſceperunt Hircani, & veteres Scythæ, quos modo Tartaros vocant: at hæreſi imbutos a Timotheo Neſtoriano. *Bonifacius* Anglus, quem alii Winfridum vocant. Friſios, Thuringos, Haſſos, aliorum Germanorum plures convertit ad Chriſtum, Archiepiſcopus exinde Moguntinus, & Colonienſis creatus, atque, ut diximus, coronatus martyrio. Ætate Caroli M. Chriſtianæ Religioni nomen dedere *Charas* Sarmata: *Cufidus*, & *Cuba* filii *Chundi* Regis Hunnorum, Saxones, & Pannoniam, terrasque Svecorum, Gothorumque incolentes. *Telericus* quoque Rex Bulgarorum initiatus eſt Chriſtianæ Religionis myſteriis, (y)

AP-

(y) Plures hoc Seculo factæ ſunt ſacrarum Reliquiarum translationes. Anno quippe 762. Corpus S. *Vincentii* Martyris ex urbe Valentia, quam occuparunt Saraceni, translatum fuit in promontorium, S. *Vincentii* exinde appellatum. Sancti Patris *Auguſtini* Exuviæ, ut proxima dicendum eſt Appendice, Ticinum fuere translatæ. S. *Huberti* Leodienſis Epiſcopi in amplio-

APPENDIX.

SIVE EXTERNARUM RERUM MANTISSA.

Cunibertus Longobardorum Rex deceſſit an. 703. regnumque obtinuit *Luitpertus* puer ſub Aſprandi tutela, extinctus poſt menſes VIII. Succeſſit anno 704. *Raimbertus* filius Gundiberti, immatura morte poſt tres menſes ſublatus. Regnaverunt itaque ab anno 704. *Aribertus II.* (z) ab an. 712. *Aſprandus:* ab an. 713. *Luithprandus*, a quo anno 724. corpus S. P. Auguſtini ingenti pretio a Saracenis redemptum e Sardinia Ticinum translatum fuit. Obiit *Luithprandus* an. 744. Regnarunt deinde *Hildebrandus*, *Rachis*, *Aiſtulphus*, & *Deſiderius*. *Rachis* regio paludamento prætulit Caſſinenſium

---

pliorem Eccleſiam opera Carolomanni anno 771. adſportatæ fuerunt.

Non ſolum hoc Seculo ampliſſima ædificata ſunt monaſteria, ut Verdenſe anno 708. Romanum Græcorum anno 760. & Fuldenſe anno 747. verum etiam abjecta corona prætulerunt regio paludamento monaſticum ſagum Reges Anglorum *Edilredus* anno 705. & *Geolulphus* anno 737. atque ad Caſſini Aſceterium ſe conferens *Carolamannus* anno 747.

(z) *Aribertus* Rom. Pontifici, ut refert Paulus Diaconus, donationem Alpium *Cottiarum* confirmavit. Id innuimus capite 1. Alpes illas denominatas ajunt a Rege *Cottio*, qui vixit Cæſare Auguſto Octaviano imperante. Sunt, qui Alpes *Cottias*, & Appenninos unam dicunt eſſe provinciam: quos refellit lib. 2. cap. 18. Paulus Diaconus. Incipere ab Hebriduno oppido Delphinatus, tradit apud Pagium *itinerarium* Burdigalenſe. A Seguſio urbe Pedemontii ducit illarum initium Marcellinus libro 15. A Seguſio itidem vulgo *Suſa*, easdem Alpes protrahi usque ad mare Liguſticum, ſcribit Cluverius lib. 2. Geograph. cap. 32. Comprehendere Genuam, & ora ejus maritima usque ad fines Galliæ, ait Thomaſſinus p. 3. lib. 1. cap. 27. &c.

sium monachorum cucullam anno 750. *Aistulphus* an. 752. occupavit Exarchatum Ravennæ, qui postea ad R. Ecclesiæ ditionem accessit. An. 755. Romam cinxit trium mensium obsidione: sed implorante Stephano II. Pipini Francorum Regis auxilia, coacte pacem inivit. *Desiderius* regnum auspicatus an. 756. immemor initi pacti, & armis impetens Hadrianum: hujus nutu *Carolus Magnus* in Italiam adveniens an. 764. *Desiderium* bello devicit, & captum abduxit in Gallias. *(a)* Ita post annos 206. Regnum Longobardicum extinctum est apud Italos. Incœperat enim an. 568

Finem habuit & Regnum Gothicum in Hispania: ubi post *Egicanem* an. 701. regnavit *Vitiza*, deinde 711. *Rodericus*. Quo moderante regnum, Saraceni Arabes anno Hegyræ 93. Christi 712. ex Africa in Hispanias migrarunt; & magna urbium, ac populorum clade, occiso Roderico, Gothisque fugatis, Cordubæ in provincia Boetica principem locarunt sedem. Cum vero Gothi in Hispanias appulerint duce *Ataulpho* an. 411. permansit regnum illud Gothicum annis tricentenis. Attamen Christianorum penitus deletus non est principatus. Astures enim anno 718. Regem crearunt *Pelagium*: atque hæc est series Successorum. Post Pelagium an. 736. Regnum indeptus est *Favila*: an. 738. *Alphonsus I.* an. 756. *Froyla*: 768. *Aurelius*: 775. *Silo*: 783. *Mauregatus* tyrannus: 789. *Veremundus*: & anno 791. *Alphonsus II.* cognomento *Castus*. Mauregatus cum Saracenis feriit turpissimam, sceleratissimamque pactionem solvendi quotannis tributum centum puellarum virginum, quam abrogavit Alphonsus.

In

(a) Desiderius Romanæ Sedi abstulit Faventiam & Comacium de Exarchatu Ravennæ. Vide Anastasium in *Hadriano* I. Quæ in Marmore Viterbiensi de Rege Desiderio leguntur, putantur esse commentitia, & ab Annio conficta.

In Galliarum regno *Childeberto* succeſſit anno 711 *Dagobertus II.* nominatus a Sigeberto *Clodovæus*: anno 715. *Childericus II.* 721. *Theodoricus II.* filius Dagoberti II. an. 742. *Childericus III.* cognomine *Stupidus*. (*b*) 752. *Pipinus* Brevis filius Caroli Martelli, Francorum principis, qui e vivis exceſſit anno 741. XI. Cal. Nov. tribus relictis filiis; quorum *Carolomannus* Auſtraſiæ, *Pipinus* Franciæ præfecturam obtinuit, & *Ægidius* electus eſt Archiepiſcopus Rotomagenſis. *Carolomannus* vero anno 747. fortunis omnibus abjectis, primum in monte Soracte, deinde in Caſſino vitam exercuit Monaſticam. Obiit rex *Pipinus* (*c*) Pariſiis an. 768. duobus filiis regibus relictis, *Carolo Magno* Sueſſionibus, & *Carolomanno* altero Novioduni. Hoc tamen anno 771. e vivis ſublato, rerum potitus eſt Carolus Magnus. Natus is erat anno 747. aliis 742. Suſceperat expeditionem adverſus Arabes dominantes Hiſpanis, & Pompejopolim (*d*) in ſuam regerat poteſtatem; cum anno 788. Vaſcones incolæ regionis Navarræ, inter montes Pirenæos, & flumen Iberum, Caroli exercitum ex inſidiis aggreſſi magnum fortiſſimorum Virorum, inter quos Rollandus Caroli e ſorore nepos, numerum memoranda clade deleverunt, (*e*) Paulo poſt Saxones Carolus Magnus bello ſuperavit, & ad Chriſtianam religionem perduxit. Opera Alcuini, & Claudii Clemen-

(*b*) *Childericus* agebat annum ætatis ſuæ 17., ineptus regno in monaſterium detruſus fuit: uno tantum anno ſuperſtes fuit abdicationi. Electus anno 742. dejectus anno 750. Deſiit in illo ſeries Regum *Merovingiæ* Gentis, quæ regnaverat a Clodoveo hucusque annis 270. ab ejus baptiſmo computatis.

(*c*) Anno 754. Pipinus Exarchatum Ravennæ Romano Pontifici dono dedit. Vid. Pagium ad an. 796. num. 11. & ad an. 755. num. 6. & ſupra cap. 1. in *Stephano II.*

(*d*) Vulgo *Pamplona*.

(*e*) In *Roncifvalle*.

Rollan-

mentis instituit anno 791. Scholam Parisiensem. Quoniam, ut supra diximus, anno 800. in Christi natali a Leone III. diadema, & *Augusti* nomen accepit; agendum de illo rursus in proximi Seculi Imperatoribus.

Quid autem de Saracenis, quos diximus irrupisse in Hispanias? Anno 718. duce *Mazalina* Constantinopoli, quam navibus 1800. obsederant, attrita igne ac tempestatibus illorum classe, coacti sunt re infecta discedere. Anno 725. evocante Eudone Aquitano in Galliam exundantes, cæsi proximo anno fuerunt a Carolo Martello in Gallia Celtica. Rediere tamen an. 729. cum liberis & uxoribus in Galliam Narbonensem, inde rursus anno 731. a Carolo Martello expulsi. Masalmas item Saraceni ductor exercitus, aggressus Turcas incolentes tunc Sarmatiam Asiaticam, atque ab iisdem fugatus, rursus contra illos progressus est usque ad Portas Caspias, sitas in Media, finibusque Parthorum, iterum ad fugiendum coactus. Inter se dissidentibus Saracenis anno 745. feliciter Constantinus Copronymus intulit bellum, atque innumeros occidit in Syria. Turcæ rursus Portis Caspiis effusi anno 767. cum Saracenis pugnarunt. Horum Arviras eligitur anno 777. *Mady*, seu *Muhammed*. Is anno 783. in Asiam irrumpens, ad pacem petendam, atque solvendum tributum coegit Irenem. Post Muhammedem an. 798. Saraceni Cappadociam, & Thraciam vastarunt, coacta rursus Irene pacem suppliciter flagitare. Electus autem exspirante Seculo Saracenorum Arviras *Aaron Rachid*.

Muta-

Rollando autem seu Rulando nepoti suo Carolus M. hoc posuit Epitaphium:

Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis:
Te tenet aula nitens, nos lacrymosa dies.
Sed qui lustra geris octo, & binos super annos,
Ereptus terris, justus ad astra redis.

Mutationi in regnorum, barbarorumque excurſionibus quædam alia accedunt commemoranda. Hujusmodi ſunt illatæ a Chriſtianis clades Saracenorum phalangibus. Enimvero præter ea, quæ diximus de Carolo Martello, & Conſtantino Copronymo. Alphonſus I. rex Auſtriæ illos expulit an. 750. e Gallaciæ finibus: Pipinus anno 752. e Septumanis, ſive Occitania: e Gallia Narbonenſi anno 756. vel juxta Pagium 755. Tunc vero ultra Pyrenæos, quibus Gallia dividitur ab Hiſpania, compulſi ſunt remeare. In memorata Mazalinæ, vel Maſalmæ obſidione, peſtilentia & fame perierunt Conſtantinopoli hominum trecenta millia: Mauritani in Africa circa hæc tempora, ſpreto Evangelio, receperunt Alcoranum; quod ſcelus admiſere nonnulli in Hiſpania, poſtquam Arabes interfecerant Rodericum, duo etiam Archiepiſcopi, ejusdem Regis affines, Oppa, & Tauriſius, Conſtantinopoli an. 740. demolientibus Iconomachis ſimulacra Sanctorum, repetitis concuſſionibus Auguſtorum ſtatuas, ædes, & palatia terræmotus confregit. Supra mœnia Romanæ Urbis anno 791. excreverunt Tibridis undæ. (*f*)

Præ-

(*f*) Non omnia hujus Seculi VIII. infortunia narravimus. Anaſtaſius enim refert inundationem Tiberis, quo excreſcente ſupra muros Urbis in humilioribus locis anno 717. domos evertit, vaſtavit agros, ac ſegetes perdidit. Cedrenus refert hiemem ejusdem anni vehementiſſimam atque aſperrimam, qua per Aſiam terra adeo nivibus obducta fuit, ut animantia pleraque, ac feræ ſilveſtres perirent. Ex binis anno 729. apparentibus cometis, quorum alter orientem ſolem præcedebat, alter vero ſequebatur occidentem, futuram ingentem cladem vaticinatus eſt Beda. Evenerunt anno 746. in Syria terræmotus, quibus corruerunt templa, monaſteria, & domus, multaque hominum millia extincta ſunt, ut Hiſtorici tradunt: peſtilentia, quæ primum invaſit Siciliam, deinde cæteras maris inſulas, tum Græciam univerſam, poſtremo Conſtantinopolim, ubi lue per triennium graſſante, quemadmodum Theophanes refert, cuncta cœmeteria, lacunæ, ciſternæ, vineæ etiam & horti, repleta ſunt cadaveribus. Syriam rur-

Præter recensitos cap. 4. Ecclesiasticos Scriptores, floruerunt circa finem VIII. Seculi Historici duo, *Georgius Syncellus* & *Georgius Theophanes*. Σύγκελλος, nomen erat dignitatis in Græcorum Ecclesiis, & Syncelli assistebant secretioribus Episcoporum obsequiis. Talis erat Georgii monachi, de quo loquimur, munus, sedente in Cathedra C. P. Tarasio. Scripsit autem *Chronicum* ab initio mundi usque ad tempora Impp. Maximiani, & Maximini. *Theophanes* vero, *Confessor* dictus, quoniam nulla ratione adduci potuit a Leone Armenio ad εἰκονοδουλίαν reprobandam, ab anno 1. Diocletiani 284. usque ad primum ejusdem Leonis, nimirum 813. edidit conciso stylo *Chronographiam*: quam mutila, & pro vitio seculi rudi interpretatione apposuit Historiæ Ecclesiasticæ Anastasius Bibliothecarius. *Eginarthus*, sive *Eginhardus*, Caroli Magni Concellarius,

---

rursus, ac Mesopotamiam, ut inquit idem Historicus, anno 749. adeo excussit, ut aliquæ urbes e propriis sedibus moverentur. Ex dirupta terra prodiisse animal humana voce loquens, tradit idem Theophanes. Sunt, qui id referunt ad annum proximum 750. Sæviente iterum anno 756. in urbe Constantinopolis pestilentia, tanta civium copia deperiit, ut necessum fuerit undique novos colonos traducere, ne vacua incolis desereretur. Inclementia hiemis anno 763. constrictus est Pontus Euxinus glacie triginta cubitis alta, atque proximo vere anno, 764. per Bosphorum in Propontidem perpulit pontus tam ingentia glaciei fragmina, ut his insisterent plusquam triginta homines, ac tuto veherentur per maris undas. Magdeburgum ad Albim situm, omnesque vicinias anno 789. *Slavi*, Vandalorum genus, devastarunt, omniaque loca in ditionem suam redegerunt usque ad Vistulam finesque Sarmatiæ. Pestis, quam diximus sæviisse anno 746. & duobus sequentibus Constantinopoli, occidione tam dira, ut cadaveribus tumulandis deesset humus, & quæ e Calabria & Siciilia fertur erupisse, ea erat, quam vulgo a signo epidemico appellant *Bubonis*. Bubo autem βουβών, est glandula inter femur & coxendicem ad latera pubis, aut in aliis quibusvis partibus corporis nascens.

rius ejusdem Principis Vitam conscripsit. (*g*) Lusit demum Carmine tolerabilis pro Seculi barbarie versificator *Ethelvolphus* Berenicius in Anglia: cujus nomen illustris Vossius interpretatur *nobilem Lupum*.

(*g*) *Eginartho* Jacobus Curio, & Christianus Mathiæ narrant, captum amore *Immæ* filiæ Caroli Magni & Hildegardis, noctu ad illam accessisse, relictis in nive pedum suorum vestigiis, atque ab eadem compressa *Imma* in suos sublatum humeros, ne detegeretur flagitium, ad locum hospitio proximum fuisse adsportatum, elegantissimamque juvenculam per eadem vestigia caute observata ad proprium rediisse cubiculum; re tamen comperta ex impressa in nive Eginarthi pedum forma, Imperatorem consulentem honori filiæ, ac timori *Eginarthi*, quem Senatus plenis suffragiis ad acerbissima supplicia damnaverat, huic *Imma* nuptias, admirantibus omnibus, conciliasse.

NO-

NONUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

CONTINUATIO, SERIESQUE PONTIFICUM.

In apostolica Petri cathedra sederunt post Leonem III. *Stephanus IV. S. Paschalis I. Eugenius II. Valentinus. Gregorius IV. Sergius II. S. Leo IV. Benedictus III. S. Nicolaus I. Hadrianus II. Joannes VIII. Marinus I. Hadrianus III. Stephanus V. Formosus. Bonifacius VI. Stephanus VI. Romanus. Theodorus II. Joannes IX. & Benedictus IV.*

XCIX. Stephanus IV. a X. Cal. Jul. an. 816. usque ad 9. Cal. Februarias anni 817. Pontificis functus est munere. In tam exiguo 7. mensium spatio nominis sui consuluit immortalitati. In Gallias enim proficiscenti occurrit, omnesque detulit honores Ludovicus Pius F. Caroli M. qui ab eodem Pontifice Remis cum regina Irmingarda sacram inunctionem, aureum diadema, dignitatemque consecutus est Augustalem.

C. Cum eodem Ludovico pristina sancivit fœdera, ad Pontificiam ditionem, & Exarchatum ab hostium aggressionibus defendendum, *S. Paschalis I.* qui electus postridie Stephani mortem, post annos 7. videlicet, anno 824. die Febr. 10. immortalitatem est assecutus; posteaquam Lothario F. Ludovici, missо

missio Romam a Patre, Langobardici Regni coronam nomenque Augusti contulerat. (a)

CI. Duos post S. Paschalem contentione insanientis populi fuisse electos, Eugenium, & Zinzinum, tradunt Historici. *Eugenius* tamen canonice, & a majori parte summum sacerdotium indeptus, eo potius est ad annum usque 827. quo anno, post reginminis sui tertium, sextili mense decessit. (b)

CII. Vix Eugenio suffectus fuerat *Valentinus* Archidiaconus Romanæ Ecclesiæ, cum eodem an. 827. die ab inauguratione sua quadragesimo abiit ad plures; unde Virgilianum illud usurpat Papirius:

Hunc tantum terris ostendent fata, nec ultra
Esse sinent.

CIII. Reluctantem præ humilitate, Romanus clerus ac populus elegit post Valentinum *Gregorium IV.* Ab illo Ostiensis Civitas, ne pateret incursionibus Saracenorum, cincta fuit novis mœnibus. Ut filios Ludovici Pii, Lotharium, Pipinum, & Ludovicum Patri conciliaret, contendit in Galliam. Quoniam rediit re infecta, hunc reditum nonnulli cum

---

(a) *S. Paschalis I.* Lothario coronam imposuit anno 823. die quinta mensis Augusti. Inter cætera pietatis opera, vetustissimam S. Praxedis Ecclesiam collabentem proximo in loco erexit ornavitque magnifice. Illic construxit Oratorium S. Zenonis Martyris, collocato ibidem sacro ejusdem Corpore, Monachos Græcos constituit, qui die ac nocte divinas laudes persolverent: Ciborium argenteum octingentarum decemque librarum, argenteas item laminas Propitiatorium undique tegentes, auri lapillorumque ornatus ab Anastasio descriptos, splendidissima liberalitate eo loci apposuit. Extat S. Paschalis Sarcophagum in eadem Ecclesia cum inscriptione: *Hic jacet S. Paschalis* PP. I. ac fallitur Platina scribens, fuisse sepultum in Vaticana S. Petri Basilica.

(b) Ven. Baronius ad an. 824. num. 11. ait, præcellentem fuisse simplicitate, humilitate, doctrina, & eloquentia. Cognominabatur quoque *Pater pauperum.*

cum Hincmaro in litteris ad Hadrianum II. haud multum commendant. Obiit an. 844. die 29. Januar.

CIV. Ecclesiam deinde gubernavit *Sergius II.* Romanus, post triennium nondum expletum, sublatus e vivis an. 847. VI. Cal. Februarias. Extinctum ajunt concepto dolore ob direptionem Urbis factam a Saracenis. Eo sedente 28. scalarum gradus, ætate Constantini M. e prætorio Pilati Romam, ut inquiunt, vecti, ante Basilicam Lateranensem fuerunt constructo ædificio dispositi: quos postea Cœlestinus III. ante Patriarchium juxta porticum, & Sixtus V. ante *Capellam*, quæ dicitur *Sancta Sanctorum*, collocarunt. Quod fabulantur aliqui, Sergium, eo quod ante vocaretur *Os Porci*, primum omnium Pontificum sibi nomen immutasse, abest procul a vero; nam primus, qui voluit alio nomine appellari, fuit Joannes XII. inauguratus an. 956. & nominatus ante Pontificatum Octavianus.

CV. Sedit post Sergium *S. Leo IV.* ultra annos 8. ad beatam evocatus æternitatem anno 855. die Julii. 17. Hujus sanctitas pluribus argumentis enituit, maxime cum signo crucis flagrantissimum extinxit incendium, exterminavitque serpentem teterrimum permultos pestifero halitu corripientem. (c)

CVI. Leone IV. vita functo, habitis statim Comitiis electus est *Benedictus III.* ad summum sacerdotium, paucis deferentibus, & illegitime simul evecto Anastasio presbytero Cardinale, quem *S. Leo IV.* e gradu dejecerat, propterea quod a parœcia

(c) Inter cætera, quæ S. Leonis IV. comprobant virtutem ac sanctitatem, narratur in ejus vita ab Anastasio Bibliothecario, illum signo crucis extinxisse maximum in Urbe incendium, atque precibus ad Deum fusis exterminasse teterrimum anguem, homines absumentem halitu pestilentissimo. Ferunt fuisse ex illorum genere, qui sibilo serpentes reliquos fugant, peracuta capita, oculosque rubeos, & candidam ad instar diadematis maculam gerentes: unde a Græcis βασιλίσκοι, *Reguli* a Latinis vocantur.

rœcia ſua integro quinquennio abfuiſſet. Verum Anaſtaſio detruſo, Benedictus geſſit Pontificatum usque ad annum 858. quo anno conceſſit naturæ VI. Idus Aprilis.

Fuerunt, qui inter Leonem IV. & Benedictum III. locarunt meretriculam *Joannam Papiſſam*, Martini Poloni, Mariani Scoti, aliorumque producentes teſtimonia. At cuſam fabulam poſt annum 1278. quo obiit Martinus Polonus, conſentiunt cordati omnes auctores. Profecto illam refellit præmiſſa, & communiter recepta chronologia, quæ inter Leonem, & Benedictum, nullum relinquit locum Papiſſæ. Nec de patria, aut nomine audacis mulierculæ conſentiunt architecti fabellæ. Græcis etiam non ſemel redargutis, quoniam Patriarchalibus inſignibus interdum decoraſſent Eunuchum, nunquam vel a Photio, vel ab aliis viciſſim Romanæ Cathedræ dedecus, probrumque iſtud fuit obiectum. In vetuſtiori Martini Poloni Codice regiæ Pariſienſis Bibliothecæ, inſertam hanc fabulam, aſſuta aliena manu lacinia, vidit David Blondellus, qui idcirco commentitiam hanc hiſtoriolam refutauit. Deeſſe idem commentum in antiquioribus Exemplaribus Mariani Scoti teſtatur Miræus. De Vaticanis Codicibus Anaſtaſii idem tradit oculatus inſpector Onuphrius Panvinius, & de Chronicis MSS. Sigeberti Alanus Copus. At undenam tam putida fabula emerſit? Incertum, an ex obſcura fama Joannis VIII. cui ob nimiam mollitudinem, fractumque animum, quo nequivit reſiſtere Photio, adtributa fuerit feminæ nomenclatura: an Joannis IX. quem primarium Sacerdotem creavit Theodora, imperioſum Romanis & nobiliſſimum ſcortum: an Joannis VII. in ferendo judicio circa Trullanos canones nimis timidi & puſillanimis. Sunt, qui fabulæ originem referunt ad Thiotam pſeudoprophetiſſam temporibus Leonis IV. damnatam: qui confictam a Valdenſibus: qui erutam ex laticibus Lutheranorum. Verum ingenue fatendum eſt, eandem fabellam complures Catholicorum ignaviter adoptaſſe, & plures Proteſtantium illam expunxiſſe, tametſi quidam propugnare

gnare eam pergant, ut hoc ridiculo commento pascant gregarios. Memoravi Blondellum refutantem Papissæ narratiunculas. Adde Courcellæum, Boxhornium, Conringium, Viginierium, Gassellium, Caveum, Schookium, aliosque e numero Protestantium apud Petrum Bayle in Dictionario V. *Papesse*. Sed illuc, unde digressi fuimus, revertamur.

CVII. Post Benedictum III. inauguratus est Pontifex *S. Nicolaus I.* seditque ab anno 858. usque ad annum 867. quo Idibus Novembris ad cœlestem patriam migravit; ob virtutum decora, ob instituta Bulgarorum, ob defensionem S. Ignatii C. P. & Photii invasoris condemnationem, in generali Synodo VIII. vere *Magnus* nuncupatus, meritoque comparatus Eliæ, Phinees, & Danieli. (*d*)

CVIII. Nicolai thronum consecutus, & virtutem imitatus est *Hadrianus II.* Nicolaitanus propterea a Schismaticis nuncupatus. Nam & Romæ proscripsit Photium, & hujus contra Nicolaum scripta addixit igni, & Generale Concilium VIII. paulo supra laudatum coegit, & confirmavit. Ecclesiæ autem gubernacula, quæ susceperat decimo mense anni 867. simul cum corpore dimisit eodem, aut præcedenti mense anni 872.

CIX.

(*d*) De *S. Nicolao I.* narrant, qui Romanorum Pontificum res gestas conscribunt, dedisse operam, ut *Lotharius* Rex Lotharingiæ filius Lotharii Imperatoris dimissa pellice Waldrada, reciperet legitimam conjugem Teutbergam. Waldrada soror fuit Guntharii Archiepiscopi Colonienſis, & Teutberga soror Hugoberti Abbatis. Accusata itaque Teutberga de incestu cum fratre Hugoberto, iniqua Guntharii, & Episcopi Trevirensis sententia, a legitima conjuge, & injuste accusata, facto divortio, coacta Synodo Aquisgrani anno 862., hac approbante, repudiavit uxorem, sibique copulavit Waldradam. Actitata causa in Concilio Metensi anno 863. de quo proximo capite, & lata pro Lothario sententia, S. Pontifex Nicolaus, rescissis actis ejusdem concilii, aliud anno 865. in Galliis celebrari mandavit, in quo statutum fuit, Lotharium turpiter peccasse. Quare a Nicolao, ut pelleret Waldradam, & Teutbergam reciperet, jus

ino

CIX. Subſtitutus in Hadriani locum *Joannes VIII.* Is neceſſitati cedens, rogante Baſilio Imperatore, annuit, ut Photius Ignatio vita functo ſedem C. P. reciperet. Quare Photius aliam ſynodum contra VIII. coegit, eandem VIII. ſynodum cum particula *Filioque* proſcripſit, & cum Joanne firmavit communionem. Poſt decem annos, nimirum anno 882. XVIII. Cal. Januarias contigit mors Joannis.

CX. Suffectus Joanni *Marinus* Etruſcus, quem aliqui appellaverunt Martinum: qui e vita exiit an. 884. Qua die, & quo menſe, ignoratur. (*e*)

CXI. Renunciatus tum Pontifex *Hadrianus II.* Romanus, qui altero Pontificatus anno 885. tendens in Galliam, vix transmiſſo Pado, in morbum incidit, & extinctus tumulo reconditus eſt in cœnobio Nonantulæ.

CXII. Poſt Hadrianum ad ſummum Sacerdotium aſcendit *Stephanus V.* Romanus. (*f*) Ratam is habuit S. Nicolai, & Hadriani II. & III. ſententiam, qua Photium interdixerant communione: excuſavit Marinum, quo ſedente ipſe Photius fuit reſtitutus; atque effecit, ut Leo Sapiens Imp. Græcorum illum

---

ſus eſt. Verum rediens ad pellicis amplexus, & re ad Nicolaum delata, Lotharius ad ſe purgandum adeundi Romam fruſtra anno 867. licentiam petiit. Hac ab Hadriano obtenta, illuc ſe contulit anno 869. Tunc perjurio, & horribili execratione, ſacra etiam uſus Synaxi, affirmavit, ſe nunquam poſt latam a Nicolao ſententiam ad Waldradæ acceſſiſſe conſuetudinem. At perjurii, & execrationis ſuæ pœnam luit. Etenim præcitato anno 869. poſtquam lætabundus Roma diſceſſerat, Placentiæ die 8. Auguſti morte inopinata deceſſit.

(*e*) Marianus Scotus & Sigebertus inter Marinum & Hadrianum III. intrudunt Pontificem *Agapitum*. Commentitius eſt: & error inde ortus creditur, quod antea Hadrianus *Agapitus* vocaretur.

(*f*) Baronius appellandum cenſet *Stephanum Sextum*, & corrigendum exiſtimat illius Epitaphium productum a Manlio. Cur in enumerandis Pontificibus, qui vocati fuerunt nomine *Stephani*,

detruderet in monasterium. Obiit VI. Pontificatus sui anno. Chr. Ær. 891. exeunte Septembri.

CXIII. Post Stephanum V. electus est *Formosus* Episcopus Portuensis. Varia de illo circumferuntur judicia, tum propter ea, quæ ei primum contigerant, tum propter ea, quæ posthac evenerunt. Formosum enim e gradu dejecerat, & in Gallias relegaverat Joannes P. VIII. devinctum juramento, se nunquam Romam, neque ad Ecclesiam suam reversurum. At sedi restituerat suæ, & à juramenti vinculo solverat successor Joannis Marinus. Ita potuit summus Pontifex renunciari, licet dicatur primus, qui ab alia Sede translatus sit ad Romanam. Virtutibus, ac sapientia plurimum commendatur. Tumultuariam fuisse electionem Formosi, elevante se contra eum Sergio Diacono, tradunt aliqui ex Luithprando: ideoque recensent hoc in loco Schisma 13. consignandum inferius. Cum a Vidone Imperatore res turbarentur Italiæ, Formosus evocavit e Germania Arnulphum Regem, a quo capta est Roma, expulsi hostes, & impetratum Augustum diadema. Id contigit anno 896. quo anno Formosus obiit pridie Nonas Aprilis. (g)

CXIV.

---

ni varietas occurrat, diximus in Adnot. ad *Stephanum II.* Epitaphium illud est:

Hic tumulus Quinti sacratos continet artus
Præsulis eximii Pontificis Stephani,
Bis ternis annis populum qui rexit & Urbem.

(g) De Formoso ita *Flodoardus* apud Mabillon. Sec. 3. Benedict. p. 3.

Præsul hic egregius Formosus laudibus altis
Evehitur, castus, parcus sibi, largus egenis.
Bulgaricæ Genti fidei qui semina sparsit,
Delubra destruxit, populum cœlestibus armis
Instruxit, tolerans diserimina plurima: promptus
Exemplum tribuens, ut sint adversa ferenda,
Et bene viventi metuenda incommoda nulla:

In-

CXIV. Electus post Formosum *Bonifacius VI.* qui sedit tantum diebus 15. atque a nonnullis existimatur violenter intrusus, atque ex Pontificum catalogo delendus. (h)

CXV. Stephanus VI. Pontifex constitutus potentia Adelberti Marchionis Tusciæ, Formosum e sepulcro extrahi jussit, eumque, ac si vivens fuisset, degradavit, exuit pontificalibus indumentis, digitisque tribus abscissis in Tiberim jactari præcepit. Cunctos, quos Formosus ordinaverat, gradu proprio depositos, iterum ordinavit. Verum & ipse Stephanus post annum ac mensem Episcopatus, an. 897. in carcerem conjectus fuit, & strangulatus. (i)

T 4 CXVI.

Invento a piscatoribus Formosi cadavere, atque ad Vaticanam Basilicam deportato, fertur sacras imagines in loculo Pontificem positum venerabiliter salutasse. Quod utique, si verum est, ejus pietatis, ac religionis, necnon legitimi Pontificatus argumentum est maximum. Erravisse puto Calvisium, qui Formosum obiisse ait *die* 14. *Decembris*. Defunctum *in die sancto Paschatis*, scribunt Contractus, aliique apud Pagium.

(h) Scelestum hominem, Apostolicæ Sedis invasorem, a sacris Ordinibus degradatum, scribit Ven. Baronius ad annum 897. §. I. Idem Baronius ad an. 904. §. 6. tradit, hunc Bonifacium damnatum fuisse a Joanne IX. Intrusus fuisse dicitur factione *Sergii*, de quo paulo supra in *Formoso*. Fuit genere Etruscus, obiitque arthritico morbo.

(i) De Stephano VI. ait Flodoardus:

Durus qui nostris, propriis ac durior instat.
Sæva quidem legat vivis, truciora sepultis;
Folconemque minis, Formosum concutit actis.

Fuit *Folco*, seu *Fulco*, Archiepiscopus Rhemensis, cui R. Pontifex Marinus, aut *Martinus II.* miserat Pallium, Formosus vero ampliſſima contulerat privilegia, ab eodem Flodoardo descri-

CXVI. Abrogavit Stephani contra Formosum acta *Romanus*, electus eodem anno 897. & post 4. menses extinctus sub initia an. 898.

CXVII. Viginti duntaxat diebus sedit postmodum *Theodorus II.* qui Formosi cadaver in Apostolicam tumbam reduci jussit.

CXVIII. Tumultuaria deinde electione in locum Theodori quidam substituere conati sunt Sergium diaconum; sed canonice renunciatus est, & solemni ritu consecratus *Joannes IX.* Tiburtinus, Sergio dejecto. Cassavit & Joannes acta Stephani VI. adversus Formosum, hujusque ratas habuit Ordinationes. Vita functus est ineunte mense Augusti, anno 900. eique successit *Benedictus IV.*

---

descripta. De morte ipsius Stephani hæc prælaudatus Flodoardus:

Visus ab hinc meritis dignam incurrisse ruinam,
Captus & ipse, sacraque abiectus Sede, tenebris
Carceris injicitur, vinclisque innectitur atris,
Et suffocatum crudo premit ultio letho.

Stephanum tamen habuisse probabilem causam aliquam saviendi in Formosum vita functum, neque hunc fuisse criminis prorsus expertem, affirmant aliqui cum Joanne Morino p. 2. de sacris Ordinationibus.

CA-

CAPUT II.

NONI SECULI RECENSENTUR CONCILIA.

Quæ de Formoſo paulo ſupra narravimus, coactis Synodis mandata fuerunt executioni. Exhumatum ejus cadaver, & projectum in Tiberim a Stephano VI. præhabita an 897. *Romana* & rurſus honorifice ſepulcro reconditum anno 898. alia *Romana* Synodo a Joanne IX. congregata. Fuerunt Romæ aliorum Sacerdotum in Synodis cauſæ diſcuſſæ. Etenim anno 853. ſub Leone IV. Synodali judicio 63. Epiſcoporum depoſitus & damnatus eſt Anaſtaſius, de quo ſupra. Depoſitus item Joannes Ravennatum Epiſcopus in *Romano* Concilio an. 861. ſub Nicolao Magno, eodemque Pontifice an. 864. ejectus e gradu Rodoaldus Portuenſis, qui Apoſtolicæ Sedis Legatus anno præcedenti 863. interfuerat Concilio *Metenſi*, & pecunia a Lothario corruptus approbaverat ejus a Teutberga divortium, poſtea ab eodem Nicolao I. una cum anteſignanis præfatæ Metenſis ſynodi Epiſcopis condemnatum. Vide capite præcedenti *Adnot.* ad Nicolaum. Synodus item *Romana* an. 881. ſub Joanne VIII. communione privavit Athanaſium Epiſcopum & Principem Neapolitanum ob fœdus initum cum Saracenis, junctaque cum eis adverſus Italos arma. Alia id genus extra Urbem celebrata fuerunt Concilia. *Altinenſe* an. 802. in provincia Aquilejenſi contra Joannem ducem Venetorum ob cædem ab eo patratam Joannis Patriarchæ Gradenſis: *Conſtantinopolitanum* an. 806. pro reſtituendo ſacris miniſteriis Joſepho, quem ſacerdotio interdixerat Patriarcha Taraſius: *Stramiacenſe* apud Lugdunum an. 836. ad ventilandam cauſam Agobardi Lugdunenſis Epiſcopi, & Bernardi Viennenſis, qui conjurationis in regem Ludovicum fuerant inſimulati.

At quænam in cauſa S. Ignatii C. P. & Photii Sedis ejus invaſoris, habita fuere Concilia? Principio

S. Ignatio ad patriarchalem sedem evecto, in *Synodo C. P.* anno 854. percussus anathemate, & depositus fuit Gregorius Syracusanus, qui electioni ejusdem Ignatii totis lacertis obstiterat. Anno autem 861. jussu Michaelis Imp. indicta Synodo 318. Episcoporum, in locum Ignatii paulo antea depositi opera Bardæ Cæsaris, quem interdixerat ab Ecclesiæ ingressu, suffectus est Photius, non repugnantibus legatis Apostolicæ Sedis, Zacharia Ananiæ, & Rodoaldo Episcopo Portuensi. Qui e Constantinopoli reduces an. 863. Romana in Synodo præside Nicolao I. ob male gestam legationem damnati fuerunt, lata etiam sententia adversus Photium, & Ignatii definita restitutione. Rursus anno 868. *Romana* in Synodo sub Hadriano II. ter dictum est anathema Photio: & proximo anno 869. celebratum est *Constantinopolitanum* Concilium IV. & Oecumenicum VIII. Huic subscripsere Episcopi 109. neque enim admissi fuere, qui stabant a patribus Photii; in quem pronuntiatum anathema subscriptione Præsulum firmatum fuit calamis in sacro Calice intinctis. Defuncto nihilominus Ignatio, restitutus est Photius; depravato a Basilio Imp. animo Joannis VIII. & a Photio rursus intruso coactum est anno 879. Concilium aliud C. P. oppositum præcedenti. Istud tanquam Oecumenicum jactant Græci Schismatici, & ei interfuisse ajunt Episcopos 383. Adfuere & Legati Joannis, Photio munera Pontificalium ornamentorum deferentes. Rejecta in eo Concilio particula *Filioque* Leo Allatius, aliique illud refutarunt.

Ad extirpandas hæreses habiti fuerunt alii Episcoporum conventus. Etenim Iconomachi rursus damnati fuerunt an. 814. in Concilio C. P. 270 Episcoporum sub patriarcha Nicephoro: quamquam eodem anno Iconoclastæ, Nicephoro depositio, & substituto Theodoto, pseudosynodo decreverint, Imagines esse abrogandas. Verum harum cultus restitutus est sub Methodio, altero *Concilio* anno 842. Repullulans Theopaschitarum hæresis damnata rursus est anno 862. in Concilio *Romano*, sub Nicolao I.

Præ-

Prædestinatianorum hæresis una cum Gotheſcalcho monacho, & presbytero proſcripta eſt an. 848. in Synodo *Moguntina*, & an. 849. in *Cariſiaca*. (k)

Plura demum Concilia pro diſciplina Eccleſiaſtica fuerunt congregata, ut ſub Carolo Magno *Aquisgrani* anno 812. *Arelate* anno 813. eodemque anno *Remis*, *Turonis*, & *Cabilone*; atque ſub Ludovico Pio Aquisgrani anno 816. *Pariſiis* anno 824. *Aquisgrani* rurſus an. 828. &c.

CAPUT III.

DE HÆRESIBUS EXORTIS SECULO IX.

Paucis tertium caput expediam. Etenim de repullulantibus hoc Seculo hæreſibus Theopaſchitarum, & Iconomachorum, neceſſum non eſt plura dicere. De errore, & Schiſmate Græcorum, quod maxime invaluit auctore Photio, & de rejecta ab illis particula *Filioque*, pertractatum eſt ſupra. Memoravimus quoque Thiotam pſeudoprophetiſſam, quæ audebat aſſerere, diem & horam judicii extremi minime a ſe ignorari, Moguntiæ idcirco affectam verberibus, & in exilium expulſam: ſed malo infa-

nam

(k) Hæc tamen hæreſis fictitia eſt. Gotheſcalchus prædeſtinationis & gratiæ aſſertor plures, clariſſimosque patronos ac vindices adinvenit, S. Prudentium, S. Remigium, Florum diaconum, Lupum Ferrarienſem, Ratramnum monachum Corbejenſem, & Synodum Valentinam anni 885. in qua capitula Cariſiacæ fuerunt rejecta. Vide Flod. lib. 3, Mabil. An. lib. 30. Fleury H. E. libr. 49. & librum noſtrum 6. de Th. diſcipl. cap. 14 ubi de Gotheſcalcho plura. Vide infra cap. 4. Adverte, duo eſſe diſtinguenda concilia Cariſiaca, unum anni 849. in quo primum damnatus eſt Gotheſcalchus, alterum anni 853. in quo contra illum edita fuerunt quatuor Capitula.

nam, quam hæreticam appellare. Prædestinatiana autem hæresis eorum est, qui electionis, & reprobationis decreta ita adstruunt, ut necessum sit prædestinatos salvari, & damnari reprobos, sed hanc hæresim tradidisse Gotheschalcum, non est, ut vulgo dicitur, exploratum.

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS NONI SECULI.

Principio eos, qui cum multiplici scientiarum genere fuerint exornati, in sacrarum litterarum studio præsertim locarunt operam, arbitror esse laudandos. Inter quos recenserem lubenter *Claudium* Hispanum, discipulum Felicis Urgelitani, promotum anno 821. a Ludovico Pio ad Episcopatum Taurinensem, scripsit enim in vetus ac novum Testamentum Commentaria permulta; nisi contra sacras Imagines, & Cruces debacchatus fuisset, suamque impietatem adversus Theodemirum, pium doctumque Abbatem Gallicanum, Apologetico scripto temere vindicare curasset. Claudio itaque omisso, laudandi occurrunt *Haymo Alcuini* discipulus, qui præter Breviarium Historicum, & Tractatum de Corpore & Sanguine Domini, Commentaria edidit in Psalmos, in Isaiam, in Epistolas Pauli, in Apocalypsin, atque in Evangelia Homilias; *Paschasius Radbertus*, qui pariter præter singularem librum de Sacramento Corporis, & Sanguinis D. N. J. C. & duos de Partu Virginis libros, Evangelium Matthæi, Psalmum 44. atque Jeremiæ Threnos libris 21. luculenter expositi. *Rabanus Maurus*, carmine & soluta oratione clarus per divinarum Scripturarum amplitudinem longe lateque diffusus: *Bertharius* Abbas M. Cassini, ex cuius scriptis supereſt Opus Qq. in utrumque Testamentum: & *Remigius* Monachus

nachus Antiſſiodorenſis, a qno conſcripti fuerunt Commentarii in omnes Pſalmos Davidicos, in XII. poſteriores Prophetas, & in Epiſtolas Pauli. Quorum *Haymo* obiit anno 853. Paſchaſius Radbertus an. 851. *Rabanus Maurus* an. 856. *Bertharius* a Saracenis mactatus ad aram an. 884. & *Remigius* deceſſit circa annum 900.

Paſchaſius vero, Haymo, & Rabanus, quoniam de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini egregie pertractarunt, eorum quoque numero, qui Eccleſiæ illuſtrarunt dogmata, ſunt recenſendi. Ad quorum claſſem acceſſere *Agobardus* vita functus an. 840. *Theodorus* Palæſtinus pro fide Orthodoxa in Bithyniam relegatus anno 883. *Dungalus* Monachus S. Dionyſii, Pariſienſis, cuius mors contigit paulo poſt annum 830. & *Jonas* Epiſcopus Aurelianenſis, qui obiit anno 843. Horum autem primus hæreſim Felicis & Elipandi, Judæorum pervicaciam, & Iconomachorum impietatem ſcriptis exagitavit: reliqui item pro SS. Imaginum cultu exercuerunt glorioſa certamina, ac duo præſertim poſtremo loco memorati, qui refutarunt Claudii Taurinenſis Apologeticum. Exagitatis hoc ſeculo de divina Prædeſtinatione quæſtionibus, de his plura conſcripſerunt *Lupus* cognomento *Servatus* (*l*), quem obiiſſe tradunt paulo poſt annum 861. *Florus* Diaconus Lugdunenſis, qui Eccleſiæ ſuæ nomine an. 852. ediditlibrum de Prædeſtinatione contra Joannem Scotum, cognomine *Erigenam*. Duo item Monachi Corbejenſes, *Chriſtianus Druthmarus*, & *Ratramnus*; nec non *Gothescalchus* Monachus Orbacenſis, qui non ex chariſmate hanc ſubiit provinciam, & audiit tanquam Prædeſtinatianus. Perſonabat horum trium fama circa an. 840. Acuere contra Gotheſcalchum calamos *Amulus* Lugdunenſis,

(*l*) Quidam *Lupum Servatum* a Lupo Abbate Ferrarienſi diſtinguunt. At Baluzius, Sirmondus, Mabillon, aliique tradunt, unum eundemque fuiſſe.

fis, (m) & *Hincmarus* Rhemenſis, aliis vero lucubrationibus præclariſſimus. Ambo aduerſus Gotheſcalchum ſcripſerunt circa annum 850. Ad partes tamen Gotheſcalchi acceſſiſſe videntur *S. Prudentius* Trecarum in Gallia Epiſcopus, qui deceſſit anno 861. & *S. Remigius* Lugdunenſium poſt Amulum Antiſtes, qui obiit poſt annum 875. qui acerrime pro veritate divinæ Prædeſtinationis pugnarunt. Hincmari refutarunt Capitula, atque hæreſim Prædeſtinatianam putarunt eſſe commentum, hoc nomine infamantium S. P. Auguſtini doctrinam. *Joannes Erigena*, & ipſe Gotheſcalchi oppugnator, cuius mentionem feci ſuperius, anno 883. a diſcipulis Malmesburii graphiis confixus miſerrime interiit.

Hiſtoricis hujus Seculi adnumerandi ſunt, *Anonymus* auctor Annalium Francorum: *Nicephorus* C. P. auctor Breviarii Hiſtorici, & Chronologiæ tripartitæ: *Eginhardus* natione Germanus, qui edidit Vitam Caroli Magni, Breviarium Chronologicum, & Annales Pipini Regis, Caroli M. & Ludovici Pii: *Andreas Agnellus* Ravennas, a quo conſcriptæ fuerunt Vitæ Archiepiſcoporum Ravennatenſium: *Sergius* elegantiſſimus auctor Hiſtoriæ *Iconomachorum*: *Eulogius* Hiſpanus ſcripſit de Martyribus Cordubenſibus: *Ernoldus Nigellus* res geſtas Ludovici Imp. elegiaco narravit carmine. *Theognoſtus* C. P. deſcripſit Cauſam, & illatas S. Ignatio injurias: *Petrus Siculus* litteris tradidit Hiſtoriam Manichæorum: *Ado* Viennenſis in Gallia Epiſcopus Martyrologium, & Breviarium Chronicorum de ſex ætatibus mundi: *Anaſtaſius* Abbas, & S.

(m) *Amulus*, ſeu *Amulon* ſcripſiſſe dicitur contra epiſtolam Gotheſcalchi, ſed hanc ſuppoſitam cenſent Mauguinus, aliique viri eruditi; tum quia S. Remigius ſucceſſor Amuli, Florus, & Lugdunenſis Eccleſia pro Gotheſcalcho pugnarunt: tum etiam quia fragmenta, quæ e Scriptis Gotheſcalchi ſuperſunt, doctrinam continent directe oppoſitam erroribus refutatis ab Amulone.

& S. R. E. Bibliothecarius ſeptimi, & octavi Generalis Concilii Acta, Hiſtoriam Eccleſiaſticam tripartitam, librum pontificalem, ſeu de Vitis PP. Romanorum, & Collectanea rerum ſpectantium ad hiſtoriam Monothelitarum collegit atque diſpoſuit: & *Uſuardus* monachus S. Germani Martyrologium ex aliis hujus generis libris contexuit. (*n*)

Monachorum regulas, ritusque Eccleſiæ plures explicaverunt *S. Benedictus* Abbas Anianæ Codicem Veterum Regularum, earumque expoſuit Concordiam: *Amalarius Fortunatus* Archiepiſcopus Trevirenſis ſcripſit de ratione rituum baptiſmi: (*o*) *Amalarius* alter Metenſis de Eccleſiaſticis Officiis, & de Ordine Antiphonarii: *Walafridus Strabo* Germanus edidit inter cætera Opus de exordiis & incrementis rerum Eccleſiaſticarum.

His addendi, qui de vario pertractarunt argumento; cujusmodi ſunt *Ælfridus* regio ortus genere, qui Saxonum lingua Hiſtoriam V. Bedæ, Pſalmos Davidis, Gregorii M. Dialogos, aliosque libros deſcripſit: *Agobardus* Lugdunenſis Epiſcopus, cujus extant philoſophicæ lucubrationes de gran-

(*n*) Martyrologium *Uſuardus* ex Flori, aliorumque ſcriptis contexuit, dicavitque Carolo Imperatori; & in lucem prodiit anno 1568. cum notis & additionibus Joannis Molani. Ex hac vita migrarunt *Uſuardus* anno 806. & *Ado* an. 875.

(*o*) Obiit *Amalarius* Trevirenſis Archiepiſcopus anno 814. & *Amalarius* diaconus Metenſis anno 817. S. Benedictus anno 821. eodemque anno *Theodulphus* Epiſcopus Aurelianenſis, *Walafridus* anno 849.

Theodulphus, cujus nuper meminimus, dum Gandavi detineretur in carcere, propterea quod Lotharium filium Ludovici Pii adverſus patrem excitaverat, in ſupplicatione, quæ agitur in Dominica Palmarum, modulans canora voce compoſitum a ſe carmen illud *Gloria, laus & honor &c.* quod in eadem ſupplicatione canitur modo in Latinorum Eccleſiis, ita prætereuntis Ludovici, plebisque animum ad pietatem inflexit, ut ſtatim Imperator ei reddiderit libertatem.

grandine & tonitruis: Juridicæ de Jure Sxcerdotii, de modo regiminis Ecclesiastici, & de divisione Imperii Francorum: Theologicæ contra dogma Felicis, de Imaginibus, & de Judaicis superstitionibus; nec non Ecclesiasticæ de diuina Psalmodia, atque Antiphonis. Nec prætermittendi sunt *Methodius* Homologeta, id est, *Confessor*, Syracusanus, a quo præter sacras aliquas orationes collecti fuerunt Canones pœnitentiales, & decreta de iis, qui post abnegationem ad fidem Catholicam revertuntur: *Auxilius* incerti nominis auctor, a quo pertractatum fuit de causa Formosi Papæ, de huius Ordinationibus, & contra intestinas Romanæ Ecclesiæ discordias; atque *Theodorus Abucara* Cariæ in Asia minori Archiepiscopus, a quo profligati fuerunt eruditis lucubrationibus Acephali, Jacobitæ, Nestoriani, Theopaschitæ, Judæi, & Saraceni; sapienterque idem de Filio ὁιρουσίῳ, de Pane mystico, seu de corpore Christi, de Verbi Dei Incarnatione, de origine boni & mali, nec non de quæstionibus aliis disseruit. Addendus est *Photius*, non semel duobus prioribus capitulis commemoratus: quem licet S. Ignatio, & Romanæ Ecclesiæ aduersarium, & originis Spiritus Sancti a Filio impugnatorem acerrimus, negare tamen non possumus doctissimum sapientissimumque fuisse, prout commonstrant ejus Μυριόβιβλον, seu bibliotheca, Νομοκάνων, scilicet regularum Ecclesiasticarum lex & conciliatio, pluraque ἀνέκδοτα, aut opera superaddita.

Coronidem apponent tres Augusti Principes: *Carolus Magnus*, cujus habentur complures Epistolæ, Capitularia collecta an. 827. ab Ansegiso Abbate, & libri *Carolini* nuncupati, de non adorandis Imaginibus latriæ cultu, quos tamen permulti Carolo abjudicant: *Basilius* post Michaelem Imperator Græcorum, qui scripsit capita Exhortatoria 66. ad Leonem Filium, & librum de Jure, quo periit; deditque operam, ut augeretur, ac perficeretur Græcorum Μυνολόγιον. Denique *Leo Sapiens* prædicti Basilii, & Eudociæ filius, cujus habentur orationes elegantissimæ, in lucem editæ a Gretsero, aliisque; delectus

ctus Legum, Constitutiones, liber de re militari, & Epistola contra Saracenorum impietatem, atque blasphemias. His accedit Homilia de Spiritu sancto contra Photium, edita in lucem a Viro Cl. Scipione Maffejo, an. 1751.

CAPUT V.

AUGUSTORUM CÆSARUM, SANCTORUMQUE RECENSIO.

Imperium Occidentale extinctum Seculo V. in Augustulo, erectum est iterum in *Carolo Magno*, an. 800. in die Nativitatis Domini declarato *Augusto*. Obiit autem invictissimus Princeps anno 814. die 28, Januarii, post administratum Francorum Regnum annis 45. & Romanorum Imp. annis 13. In Beatorum numero idem Carolus colitur ab Ecclesia. (*p*)

Decorantur vero hæc Seculi initia Sanctorum Natalitiis. Obierunt enim an. 804. die 11. Januarii *Paulinus Aquilejensis*: anno 806. die 25. Febr. *Tarasius C. P.* anno 809. die 26. Martii *Ludgerus* Monasterienfis, Apostolus Saxoniæ: an. 813. die 4. Apri-

(*p*) Inter Sanctos quidem relatus fuit a Paschali III. at is illegitimus fuit Pontifex. Vide Hist. Seculi XII. cap. 1. & 6. *Carolus M.* qui anno 774. in Italiam contra Desiderium venerat, & Hadrianum Pontificem strenue juverat, rediens anno proximo in Gallias confirmavit donationem parentis sui factam Romanæ Ecclesiæ. Addidit Ducatum Spoletinum, & insuper anno 781. integrum territorium Sabinense. Rursus anno 787. Capuam, & subjecta oppida. Vide præcedentis Seculi Appendicem.

4. Aprilis *Platonius* Monachus: atque per id temporis a Saracenis Christianorum plurimi in Syria necati sunt, plurimi in Cyprum fugerunt.

Successit Carolo M. *Ludovicus Pius*, ei natus ex Ildegarde: cui tres filii Pipinus, Lotharius, & Ludovicus susceptí ex uxore Hermingarde, quos Reges creaverat, an. 833. conjuratione facta insidias moliti sunt, eumque in cœnobium detruserunt, quoniam ducta secunda conjuge Juditha, ex hac procreaverat *Carolum*, quem ut hæredem constitueret, necessum erat aliorum imminuere ditionem. Verum dissentientibus tribus illis fratribus, in Imperium restituitur, & regnavit usque ad ann. 840. quo decessit XII. Kal. Junias, exacto Imperii sui anno 26. (q)

Fastis Sanctorum præ cæteris habentur inscripti, 12. die Martii *Theophanes* Monachus, vita functus an. 818. 3. Aprilis. *Nicetas* Abbas mortuus an. 842. 12. Novemb. *Theodorus Studita*. m. anno 826. 11. Martii. *Euthymius* Episcopus Sardicensis m. anno 828. 13. ejusd. mensis. *Nicephorus* C. P. ipsomet anno defunctus; aliique permulti, exilia, ærumnasque passi pro sacrarum Imaginum cultu. Trajecti etiam *Fridericus* Episcopus Martyr occubuit an. 838. die 18. Jul. quod Regem redarguisset ob introductam pellicem consanguineam.

Ludovico Pio successit in Imperio *Lotharius* filiorum ejus natu maximus (r). A Paschali I. anno

---

(q) *Juditha* Ludovici secunda uxor, & mater Caroli Calvi, filia fuit Guelphi Altorfiensis in Servia Comitis, elegantissimæ formæ mulier, & impense a viro adamata. Nihil itaque mirum, si conjugis hujus consilio Ludovicus imperium inter Lotharium, & prædictum Carolum diviserit, aliorumque filiorum imminuta ditione, dissidiis, quæ magnam reipublicæ attulerunt perniciem, occasionem præbuerit, nimium indulgens sagacissimæ fœminæ amori.

(r) *Lotharius* Germanorum lingua *Ludherr*, *Ludherus*, quo vocabulo

no 323. vivente patre acceperat Augusti nomen, & Longobardici Regni coronam. In divisione paternæ ditionis obtigit ei Austrasiæ regnum, dictum posthac Lotharingia. At fratrum invadens principatum cum his infeliciter gessit bellum; cumque imperasset annis 15. attonsus in Monachum in Abbatia ad Prumiam sita, anno 855. nuncium seculo, imperioque remisit. Renunciatus tum Imperator *Ludovicus II.* filius Lotharii, & Hermingardis, litterarum cultor, æquitatis studiosus, & eleemosynarum largitor munificentissimus: qui pulsis ex Italia Saracenis, atque Normannis e Gallia, obiit Mediolani an. 875. Imperii autem 20.

Capta a Saracenis anno 845. Phrygiæ civitate Amorio, Martyrii palmam perceperunt quam plurimi, inter quos 42. laudant Martyrologia pridie nonas Martias: obiitque circa hæc tempora die Novembris 4. *Joannicius* montis Olympi in Bithynia celebris anachoreta. Apud Italos mactarunt plurimos Saraceni ex Hispania, & Africa acciti a Siconulpho, & a Duce Beneventano Radelgiso anno 843. qui ulterius diripuerunt Montis Cassini monasterium, sublatis inde immensis Re-

U 2 gum

---

cabulo significatur *Populi Dominus.* Lotharius declaratus fuit a patre Rex Italiæ, & Imperii collega anno 817. Post plura cum fratribus certamina, cum iis tandem convenit, ut ipse cum titulo imperatoris Austrasiam, Burgundiam, & Italiam teneret: Carolo cederent, quæ a mari Britannico usque ad Mosam extenduntur: Ludovico, quidquid continetur in Germania ultra Rhenum: Pipino Aquitania. Monasterium, quod an. 855. ingressus est, apud Treviros situm dicitur; at inde duodecim distat leucis. A fluvio, quem incolæ *Prum* vocant, appellatur Prumiense, & oppidum Prumia. Spectat celeberrimum illud monasterium ad Monachos S. Benedicti. Obiit Lotharius anno 855. III. Calendas Octobris; suscepit ex Hermingarde filia Hugonis Comitis, quam uxorem duxerat an. 821. tres filios, Ludovicum, qui ei successit in Imperio, Lotharium Regem Lotharingiæ, & Carolum paulo post mortem patris sublatum e vivis.

gum Francorum donariis, 130. libris auri puriſſimi, argenti nongentis, gemmarum, & auri ſignati copia quam maxima. Septies autem locupletiſſimas depopulati ſunt ædes. Eorumdem Saracenorum an. 852, efferbuit Cordubæ perſecutio: in qua *Eulogius* Presbyter, *Aurelius*, & *Felix*; *Flora* & *Maria* virgines, *Joannes*, *Iſaac*, & *Georgius* Monachi, aliique plurimi martyres occubuerunt. Quorum colitur in Faſtis Sanctorum memoria die 11. Martii, 24. Novemb. 20. Auguſti, & 16. Septembris (s). Viennenſi in Galliis Eccleſia die 23. Januarii feſtum agit *Bernardi* Archiepiſcopi: *Athanaſiæ* viduæ Græci, & Latini die 14. Auguſti; & ne catalogum contexam prolixiorem, *Theodoræ* Imperatricis 11. Febr. Menologia Græcorum.

Modo ut ad Seriem Auguſtorum revertar; Ludovico II. abſque maſculina prole defuncto ſucceſſit an. 875. *Carolus II.* filius Ludovici Pii ex Juditha, *Calvus* a calvitie capitis cognominatus. Huic autem, nondum expleto biennio, ſublato e vivis veneno ſibi propinato a medico quodam Judæo, ſuffectus eſt in regno Francorum, at non in Imperio, Ludovicus III. appellatus *Balbus* ei natus ex Hermintrude. Imperator enim renunciatus eſt *Carolus III.* a corporis habitudine *Craſſus* denominatus, nepos prædicti Caroli Calvi & Lotharii. Atque is a Joanne VIII. coronatus anno 881., Richarda filia Scotiæ Regis inique repudiata, tanquam regni impos depoſitus eſt anno imperii ſui 7. Chr. Ær. 887. Quarto poſt Caroli Craſſi abdicationem anno, id eſt, 891. *Wido* dux Spoleti, contranitentibus Arnulpho, filio ex Carentina pellice Carolomanni filii Ludovici Regis Germaniæ, & Berengario Foroju-

(s) Inter MM. Cordubenſes recenſentur item *Aurea V.* 19. Julii. *Argimirus* Monachus 28. Jun. *Columba* 27. Sept. *Sifenandus* 16. Jul. *Paulus*, & *Theodemirus* 20. ejusdem menſis. Memoria etiam agitur *Emilæ*, & *Hieremiæ* 15. Sept. *Rogelii* & *Servidei* proximo die 16. *Leovigildi*, & *Chriſtophori* 20. Auguſti, &c.

rojulienſi, obtinuit imperium, quod abrupta repente vena anno 894. cum vita dimiſit. Poſt quem habenas ſuſcepit Widonis filius *Lambertus*, ab Arnulpho ſuperius laudato dejectus e ſolio anno 896. etſi vixerit usque ad an. 898. quo anno inter venandum ab Ugone filio Manfredi Comitis Mediolanenſis occiſus eſt, ſparſo rumore, ex equo lapſum caput filicibus eliſiſſe. Verum neque Arnulpho, cui Formoſus Papa anno 896. impoſuerat diadema, diuturnum fuit imperium: deceſſit enim anno 899. corpore vermibus & pediculis putrefacto: unde extat de illo Epigramma:

Normannos vicit, ſed non animalia tetra,
A quibus, ut quondam Sylla, perefus obit. (t)

Reliquit Arnulphus ex Deyta ſecunda uxore *Ludovicum*, patr a Principibus Germaniæ ſuffectum; ſed revera nunquam coronam accepit Imperii: unde non videtur inter Imperatores computandus. Arnulphi itaque ſucceſſor fuit *Ludovicus III.* filius Beſonis Regis Aralatenſium, coronatus a Benedicto IV. an. 900. Hunc *Berengarius* dux Forojulienſis an. 902. Verone cœpit, & excœcavit, occupavitque totum Longobardicum Regnum. Ipſe tamen Berengarius non eſt appellatus *Imperator* ante an. 916. ut proximo Seculo dicendum eſt.

Perpauca modo de ſanctis viris ſubjiciam. Commemoravi enim ſuperiori capite *Benedictum* Anianæ Abbatem, & *Bertharium* Caſſinenſem: quorum primus ad perennem vitam migravit anno 821. alter martyrio a Saracenis affectus anno 844. Ad hæc Martyrologiis inſerta ſunt nomina die 4. Februarii *Remberti* Bremenſis Epiſcopi: 10. Sept. *Theodardi*

(t) De *Cornelio Sylla* ſcribit Sex. Aurelius Victor de Viris Illuſtr. num. 65. *Republica ordinata, Dictaturam depoſuit; undeſperni cœptus Puteolos conceſſit: & morbo, qui* Phthiriaſis *vocatur, interiit.* Eſt autem φθειριασις morbus pedicularis, a φθειρ *pediculus*, nomen trahens.

Episcopi, & Martyris Leodiensis: 12. Febr. *Antonii* C. P. 23. Octobris. *Ignatii* Episcopi, ¡ pariter C. P. Horum primus anno 888. alter anno 889. tertius anno 894. quartus anno 895. e corporis evolarunt ergastulo.

Quoniam vero præmissa Augustorum series attinet ad Imperatores Occidentis, subjiciendus eorum, qui in Oriente imperarunt, indiculus. Ireni itaque an. 802. relegatæ in Insulam Lesbum successit *Nicephorus*, Λογοθέτα, id est, qui expensarum aliarumque rerum tenebat rationem: Nicephoro interfecto a Crummo Rege Bulgarorum an. 811. *Michael Curopalates*: huic sponte Imperium abdicanti, ut monasticam ageret vitam, an. 813. *Leo V.* Armenus Iconomachus: Leoni vulneribus in sacra æde confosso, an. 820. (contigit hæc cædes in Natalitiis Domini, hora undecima pomeridiana) *Michael II.* cognomine *Balbus*, sacrarum Imaginum, omniumque Catholicorum immanissimus insectator: Michaeli extincto an. 829. *Theophilus*, & ipse Iconomachus: Theophilo extincto an. 842. *Michael III.* Porphyrogenetus una cum matre sua Theodora, religiosissima atque plissima. Trucidato autem Michaele ebrio ac temulento, Imperium consecutus est an. 867. *Basilius Macedo*, cultor Imaginum, & Orthodoxus, cui e vivis erepto anno 886. suffectus est *Leo VI.* Sapiens, & Philosophus nuncupatus; qui vixit, & administravit Imperium usque ad annum 911.

CAPUT VI.

NONI SECULI DOGMATA, ET DISCIPLINA.

Tam perspicue substantiæ panis, & vini conversionem in corpus, & sanguinem Domini, quam *Transubstantiationem* appellamus, tradiderunt Seculi hujus Scriptores, ut Paschasius Radbertus & alii,

alii, qui de hoc argumento pertractarunt, perperam dicantur a Novatoribus a majorum fide & dogmate desciviſſe. Cuſtoditum tam caute Trinitatis dogma, ut Hincmarus in hymno Martyrum, non ea verba, *Te trina Deitas*, ſed iſta, *Te ſumma Deitas*, ut modo legitur, enunciandum eſſe contenderit, ne quis in una Deitate plures gradus ſuſpicaretur: quamvis ea phraſis recte uſurpetur in hymno Corporis Chriſti edito a S. Thoma, ad perſonarum numerum, non ad naturam Divinitatis, voce illa *Trina* relata. Extiterint autem, vel non, Prædeſtinatiani Seculo IX., procul dubio Fideles omnes execrati ſunt iſtiusmodi enunciationes. *Deus eſt auctor peccati, prædeſtinat impios ad malum, creat permultos, ut pereant, & reprobi neceſſitate damnantur inevitabili.* Quidquid moliti fuerint Iconomachi, exhibitus eſt, & ſcriptis, martyrumque ſanguine confirmatus ſacrarum cultus Imaginum; Divinumque Paracletum eſſe Patris, Filiique Spiritum, & ab utroque procedere, adverſus Græcos refractarios, cuncti profeſſi ſunt orthodoxi.

Ad diſciplinam vero quod attinet; in Formoſo, Ignatio, Photio exempla habemus degradationis, Reſidentiæ Parochorum debitum oſtendit Leo IV. in depoſitione Anaſtaſii Presbyteri Cardinalis. In ieratis a Stephano VI. ordinationibus Formoſi error quidem facti, ac non Apoſtolicæ Sedis intervenit aliqua Conſtitutio. Chorepiſcopi, quoniam ſeſe Epiſcopis temere æquiparabant, Synodorum definitionibus fuere ſublati, atque poſita ſaluberrimis conſtitutis Clericorum, Laicorumque licentiæ repagula. Tanta cura immunitas ſervata fuit bonorum Eccleſiarum, ut ea de cauſa Fulco Remenſium Antiſtes reprehenderit principes, ac mortem anno 900. ſubierit. Gratanter Occidentis Imperatores, Carolus Magnus, & poſteri a Romanis Pontificibus acceperunt Coronam: Aquisgrani argenteam tanquam Reges Germaniæ, Modoetiæ, vel Mediolani ferream tanquam Reges Longobardorum, & Romæ auream e Pontificis manu ut Imperato-

res recipere consueverunt (*u*). In usu fuit aquæ fervidæ, & ferri candentis experimentum; quo innocentiam comprobavit suam Richarda filia Regis Scotorum, & uxor Caroli Crassi a viro propter adulterii suspicionem repudiata, atque ulterius, marito ad concubitum inepto, se virginem patefecit coram Vercellensi Antistite Luiduardo. Mirifice propagatum est, & ubique floruit Monasticum S. Benedicti Institutum.

AP.

(*u*) Referunt Historici ad annum 816. inventionem corporis *S. Jacobi* Apostoli Compostellæ in Hispania, ibidem Alphonso Casto regnante. Corpus *S. Marci* Evangelistæ, furto sublatum e templo Alexandriæ, Venetias a quibusdam mercatoribus delatum ttadunt anno 820. postremo anno Leonis V. Iconomachi: & Corpus *S. Bartholomæi* Apostoli ex insula Lipari translatum est Beneventum, anno 840. juxta Chronicum Sigeberti.

Prædicatum Evangelium in Dania ab *Ebbone* Remensi Episcopo, illuc misso a S. Paschali I. Romano Pontifice anno 823. & sacro regenerationis lavacro tinctus est anno 826. Rex Danorum *Heroldus*. Christianæ item religioni nomen dedit anno 878. alter Daniæ Rex, *Gitro* nomine. Svevos, Cimbrosque ad Christum convertit *S. Anascharius* Monachus Corbejensis, primus Episcopus Hamburgensis, deinde Bremensis Archiepiscopus consecratus anno 833. sedente Gregorio IV. Daniam antea, comite Ebbone, de quo supra, petierat. *Cyrillus* ac *Methodius* Monachi, hortante Theodora Augusta matre Michaelis III. circa annum 850. ad revocandos ab idololatria Mysos, Bulgaros, aliasque gentes sese applicuerunt.

Leo III., quem ex hac vita discessisse diximus anno 816. pretiosissimum Christi Sanguinem, Mantuæ, ut fama erat, una cum Corpore *S. Longini* Martyris, qui lancea latus Domini pendentis e cruce transfixit, repertum, rogante Carolo Magno, recognovit, & rei veritatem dicitur comprobasse. Historici id referunt ad annum 804. Bollandus ad diem 15. Martii. Honoratus a S. Maria in Animadversionibus Criticis, & Card. Lambertinus, seu Bened. XIV. libro 4. de Canoniz. SS. de hoc Leonis III. judicio pertractant. Proferunt & Baptistæ

Man-

APPENDIX,

EXTERNÆ RES ATTINGUNTUR.

Francorum Reges iidem fuere, ac Imperatores cap. 5. descripti, usque ad *Carolum III.* cognomine *Crassum:* cui an. 889. suffectus est Odo filius Roberti Andium ducis, a genere Caroli Magni alienus. At an. 898. rediit Regnum ad *Carolum IV.* filium Ludovici Balbi, cognomento *Simplicem;* qui e throno ejectus fuit an. 923. egitque animam an. 929.

Mantuani versus ex libro I. *de sacris diebus*, seu III. Fastorum ubi de sancto Longino ait:

Secula post aliquot tua sunt translata per undas
Corpora in Italiam, Christi cum Sanguine sacro
Ad crucis excelsæ quondam vestigia lecto:
Atque in vase brevi tecum post fata sepulto.
Ultima divina sedes tibi Mantua nutu
Hospitiumque fuit, mediis ubi mœnia in undis
Dicitur antiquus quondam posuisse Bianor.

Idem in Aprili, *De sanctis Leonibus:*

Tertius in regno Primi pervenit ad annos,
Atque diu Romanorum fœdissima passus
Jurgia, damna, minas, iter est ingressus ad alpes,
Ut sibi Gallorum Regem sociaret; & illo
Auspice terrorem Romanæ evaderet iræ.
Dum meat, audito sancti rumore Cruoris
Nuper adinventi, gressum convertit ad urbem,
Nomina cui fecit virgo Cadmeja Manto;

In Hiſpanis vero poſt Alphonſum Caſtum an. 829. conſecutus eſt Regnum *Ramirus I.* an. 850. *Ordonius*; & anno 866. *Alphonſus III.* cognomine *Magnus.* (*x*)

Saracenorum vero Caliphæ dominatores Orientis fuerunt, *Aaron Rachid*, a quo an. 801. legati, elephas, & donaria complura ad Carolum Magnum miſſa fuerunt. Huic extincto Hegyræ anno 193. Chriſtianæ Æræ 809, ſucceſſit *Mahomet-Alamin*: quem ad Rempublicam gerendam ineptum an. 813. Hegyræ 198. dejecit frater *Abdalla-Almamon* (*y*). Obiit Almamon an. 833. Hegyræ 218. eique ſuf-

fectus

Et quæ purpureus ſanguis faciebat in horas
Mira opera intuitus, credi debere putavit
Effuſum noſtra pro libertate Cruorem.

Sinimus pias & inveteratas populorum traditiones in ſuo robore permanere, penitus omiſſis difficultatibus, quæ circa hanc Mantuanæ Urbis, & conſimilem Sarzanenſis, pretioſi Sanguinis Reliquias, poſſent moveri. Non opus eſt, ut in hujus generis immoremur controverſiis. Longinum Cæſareæ in Cappadocia paſſum tradunt Martyrologia, & Scriptores laudati a Ven. Baronio in notis ad Romanum Idibus Martii. Viget apud nos traditio vetuſta, Corpus S. Longini ſervari apud noſtrates, & aſſervari ſub ara maxima in templo S. P. Auguſtini de Urbe. Porro Eccleſiaſticorum Annalium Parens in præcitatis Notis inquit: *Sancti Longini venerandum corpus Romæ aſſervari percepi in Eccleſia ſancti Auguſtini.*

(*x*) Regnavit apud Anglos, ſublata anno 818. Heptarchia *Egbertus* uſque ad annum 837. *Etevulphus* uſque ad an. 857. *Etgebaldus* ad an. 860. *Edelbertus* 865. *Edelredus* 872. *Alfridus* uſque ad annum 899. Deinde *Eduardus I.* uſque ad annum 925.

(*y*) Calipha *Almamon*, Mathematicus nomine *Bengonain* Geographiam Ptolomæi vertit ex Græca in Arabicam linguam; eodemque Calipha jubente facta eſt geometrica totius terræ extenſionem aſſequendi regula per lineam & gradus Meridionales; quod poſt annos ſupra nongentos, regnante Ludovico XIV. perfecerunt iterum doctiſſimi Galliarum Aſtronomi.

fectus est *Mahomet Almoutasem ;* quo anno 838. Amorio urbe Phrygiæ expugnata, incolæ omnes in ore gladii interfecti fuerunt. Fatis cessit Almoutasem anno 842. & Hegyræ 227. suffecto illi filio *Aaron-Alovatec-Aboujafar.* Immodica venere extincto Alovatec an. 846. Hegyræ 231. renunciatus est Calipha *Jafar-Aboulfader*, cognominatus *Moutevaquel.* Huic interfecto anno Hegyræ 247. Chr. 861. successit patricida *Mahomet Mostanser*, anno proximo extinctus. Arripuit tum Imperium *Ahmed* minimus filius Caliphæ Almoutasem, interfectus anno 865. Hegyræ 251. Regnavit postmodum *Mahomet Molutaz* filius Caliphæ Moutavaquel, qui obiit an. 869. Hegyræ 255. Successit huic *Moutamid* anno 870. Hegyræ 256. voluptatibus deditus, cujus mors contigit anno Hegyræ 279. Æræ communis 892. Defuncto Moutamid Regnum occupavit nepos ejus *Ahmed*, ob libidinis excessum extinctus Æræ vulgaris 902. & Hegyræ 289.

Descripta modo Calipharum Saracenorum serie, memoria repetendum est, illos an. 846. depopulatos Siciliam, horreum Romani populi, insulasque finitimas, Romamque profectos Vaticanam diripuisse Basilicam, multisque abductis civibus, multis cæsis, per viam Appiam contendisse fundos, atque ea incensa urbe, consedisse juxta Minturnas in paludibus Marii. Ad Romanæ vero civitatis præsidium an. 848. Leo IV. addidit, cinxitque mœnibus partem illam, quæ dicitur *Civitas Leonina*, ne ulterius excursionibus hostium pateret Ædes Apostolorum. Tentarunt tamen Saraceni nova instructa classe ad Romanum litus appellere ; sed maris tempestate, & Neapolitanorum jactati pugna, an. 849. miserrime perierunt. Anno insuper 856. Benevento egressi devastarunt Neapolim : quo anno Romæ Tiberis supra modum exundatio plura attulit incommoda, superveniente maxime pestilentia. Excidium urbi Salernitanæ, & deinde universæ Calabriæ, an. 871. iidem Saraceni attulere. In Africa item an. 893. urbes, templa, hominesque igne ferroque vexarunt,

Verum-

Verumtamen non omnia Saracenorum feritati prospere contigerunt; siquidem an. 848. a Lothario Imperatore Benevento expelluntur. Illos item anno 866. bello lacessivit, & Bario arcta obsidione concluſit Ludovicus II. Salerno rursus illos Ludovicus ejecit anno 874. ibique ipsorum Saracenorum, qui ex Africa advenerant, princeps Abdala, dum niteretur in templo SS. Martyrum Fortunati & Caji comprimere virginem, lapsa e tecto trabe peremptus est, illæsa omnino puella. Extra Italiam pariter Saraceni non semel fuerunt attriti. In Hispania quippe Rex Ramirus anno secundo regni sui septuaginta Saracenorum millia trucidavit, atque anno 880. ab imperatore Basilio expugnata, & deleta est illorum classis, qua Orientis oras plurimum infestabant.

In Gallias anno 845. irruperunt *Normanni* e Norvegia, & Svecia profecti, duce illorum Rege *Horich.* Germania item ab Hunnis anno 889. miserrime fuit devastata.

Alia, quæ Chronicorum Editores adnotarunt, perfunctorie recenseo, id est, terræmotum, quo Romæ primo hujus Seculi anno corruit S. Pauli Basilica: vastatam anno 807. Rhodum ab Aaron Rachid: infelicem Pipini contra Venetos expeditionem anni 810. haud feliciorem Bernardi filii Pipini adversus Ludovicum Pium, a quo devictus anno 817. erutis oculis miserabiliter obiit: Forum Julium anno 828. direptum a Bulgaris: Basilicum Romæ anno 847. pestifero halitu homines interimentem, ut dixi cap. 1. in not. ad S. Leonem IV. alteram, & exitiosissimam Tiberis exundationem anni 856. ab Anastasio commemoratam: occupatas anno 878. a Saracenis, & fere deletas Siracusas: ab iisdem incensum anno 884. monasterium Cassinense, atque interfectum Abbatem Bertharium, prælaudatum capite 5. obitum Joannis Scoti viri doctissimi, quem in Anglia anno 883. discipuli graphiis necarunt, prout innuimus eodem capite 4. nuper citato. Quamquam vero Græcis consilium Imperatricis Irenis transeundi ad nuptias Caroli Magni, de qua re diximus præcedenti Seculo pagina 232. magnopere displiceret; nihilo tamen minus *Nicephorus*, qui relegata Irene in

Lesbum

Lesbum insulam maris Ægæi, urbemque Mitylenem Græcorum consecutus est Imperium, passus est duos appellari Imperatores, Orientis unum, & alterum Occidentis; eodemque anno 802. quo ipse ad Imperii *Orientalis* fastigium evectus fuit, Carolum Magnum agnovit tanquam *Occidentalis* Imperii Augustum, atque supremum Dominatorem. Ita duo coaluerunt Imperia, utriusque finibus constitutis. Amplissima autem Venetorum Respublica duos per id temporis creavit Duces: quorum unus cum uno, alter cum altero Imperatore de rebus politicis pertractaret.

Castigati, cultique fuerunt hoc vertente Seculo mores. Instructi exercitus clypeis, arcubus, telis, cassidibus, thoracibus, aliisque armorum, quæ in desuetudinem abierant, generibus. Magistri, seu Tribuni Equitum munus, in Galliis præsertim, cohonestatum est titulo dignitatis, proceribusque collatum. *Salica* lex eorum Francorum propria, quia *Sala* flumine *Salii* a Strabone, aliisque Geographis denominantur, decernebat autem filiorum ac posterorum hæreditatem, cum ante inviolata perseverasset, cœpit imperante Carolo Magno immutari. Constat hæc immutatio ex ablato Saxonibus ab eodem Carolo jure successionis, quod anno 814. restituit eis Ludovicus Pius: atque ex hujus inter filios divisione facta anno 817. 833. & rursus anno 836. quæ in seipsum, ut narravimus, provocavit eorumdem Filiorum arma. *Christianissimi* Regis titulus collatus fuit *Carolo Calvo* anno 859. in Synodo Saponariæ, vulgo *Savonieres*: quo titulo a Stephano II. cohonestatus fuerat Rex Pipinus anno 755. Proprius autem titulus idem evasit Regum omnium Galliarum ab anno 1469. & a regno Ludovici XI. Secernebatur hoc nono Seculo condito hominum indumentorum diversitate; vetitumque vilioribus in vestibus incedere pretiosis. Ipse Carolus Magnus, ut litteris prodidit Eginarthus, tunica lanea, & hiemali tempore pellibus lutræ, animantis amphibii induebatur. Obtinuit in judiciis *crucis* experimentum, præter commemorata capite sexto ferventis

aquæ

aquæ, ferrique candentis; & pro illo sententia proferebatur, qui diutius tenuisset manus extensas, atque in crucifixi modum conformatas.

Præter enumeratos cap. 4. perpauci extant scriptores hic recensendi. *Sabbatius*, jubente Leone VI. Σόφῳ, collectionem legum, quæ fuerat inchoata imperante Basilio Leonis patre, perfecit, atque sex voluminibus, quæ inscribuntur *Basilicum*, sive *Basilica Jura*, complexus est. Regio ortus genere, & stylo, moribusque candidus fuit *Nithardus*, qui scripsit de dissidio filiorum Ludovici Pii. Libri Ptolomæi Astronomici, quorum titulus *Almagestum*, in Arabicam Linguam translati fuerunt anno 827. in urbe Babylone, jubente Saracenorum Rege *Almamon*, sive, ut Scaliger, & alii quidam vocant; *Maimon*. Dum autem iidem libri anno 1230. jussu Friderici II. Romanorum Imperatoris ex Arabica in Latinam linguam conversi fuerint, sequitur Ptolemaicam Astronomiam Græce primum conscriptam, apud Latinos obtinuisse, antequam lingua Græcorum in Europa eadem Astronomia nota foret. Obscuri admodum, & fortassis commentitii, Scriptores duo Genealogiæ Regum Frisiæ, *Solco*, & *Sivardus*, *Michael Psellus* summus philosophus, & præceptor Leonis Byzantini, itidem Philosophi, distinguendus ab altero cognomine, de quo in Seculo XI. Præclaros Poetas, quales extiterunt inter Latinos imperante Augusto, floruisse inter Arabes sub Calipha *Aaron-Rachid*, cujus supra meminimus, tradunt complures. *Photius*, quem commemoravimus supra capite quarto, scripsit quoque in Aristotelis *Categorias*. Anonymus, qui Belga creditur, labente nono Seculo litteris tradidit res gestas Normannorum. Carmen inscriptum *de Sobrietate* nuncupavit Carolo Calvo *Gallus Milo*: sed is inter Scriptores Ecclesiasticos, si omnes & singuli forent numerandi, locum haberet: cum Vitam *S. Amandi* exaraverit. Adde *Hugobaldi* Poema de laude *Calvorum*, cujus lepidum illud initium,

Carmina clarisonæ Calvis cantatæ Camœnæ.

DECI-

DECIMUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

SUMMI ROMANÆ ECCLESIÆ PASTORES.

Vita functo Benedicto IV. inter Romanos PP. CXIX. quem diximus administrasse post Joannem IX. Ecclesiam, anno 903. Octobris labente mense.

CXX. Nec non Leone V. Ardeatino. sive ex Rutulorum in Latio colonia, statim post Benedicti obitum subrogato, de quo Flodoardus,

Emigrat ante, suum quam luna bis impleat orbem.

CXXI. Atque etiam *Christophoro*, qui eodem anno 903. exeunte Novembri, excelsam occupaverat sedem, hanc coacto deserere, & primo in cœnobium, deinde in carcerem detruso, ac miserrima morte sublato, ut in Historia Cassinensi tradit Leo Marsicanus: his, inquam, extinctis, Ecclesiæ regimen susceperunt Seculo X. *Sergius III. Anastasius III. Landus. Joannes X. Leo VI. Stephanus VII. Joannes XI. Leo VII. Stephanus VIII. Marinus II. Agapetus II. Joannes XII. Benedictus V. Leo VIII. Joannes XIII. Benedictus VI. Donus II. Benedictus VII. Joannes XIV. Joannes XV. Gregorius V. & Silvester II.*

CXXII. Sergius itaque etsi post Theodorum per vim & illegitime fuerat intrusus, Christophoro tamen canonice suffectus est, tenuitque Episcopatum ultra annos septem, fatis cedens anno 911. desinente Sextili: in eo magnopere vituperandus, quod cum Marozia stupri habuerit consuetudinem, & Formosi cadaver iterum e sepulcro erui mandaverit; laudandus tamen, quod Lateranensem Basilicam instauraverit, atque decoraverit aureis, argenteisque ornamentis.

CXXIII. Dignus erat, ut diutius sederet successor Sergii *Anastasius*, vir probus atque integerrimus, sed hunc post biennium mors rapuit an. 913. mense Octobri ex Chronico Victoriano.

CXXIV. Puderet, nisi veritas cogeret, enarrare, non tantum Sergium III. verum etiam *Landum* Sabinum, Pontificium obtinuisse culmen, opera Theodoræ matris Maroziæ; & nutu impurissimi scorti dejectos, intrusosque Pontifices: at Landum quamcitius, nempe anno 914. mense Aprilis, e vivis inevitabile fatum subripuit.

CXXV. Ejusdem Theodoræ potentia ad summum Pontificatum evexit *Joannem X.* Romanum, cujus illa deperibat amore, atque a Lando prius Bononiæ, deinde Ravennæ Antistitem creari curaverat. At Joannes anno Pontificatus 15. inchoato, id est, anno 928. opera Maroziæ, ejusque viri Vidonis Marchionis Thusciæ, mancipatus est custodiæ, & posito super os illius cervicali pessime suffocatus.

CXXVI. Leonis VI.

CXXVII. Et Stephani VII. nomina tantum scimus, inquit ex Leone Marsicano Papirius. Illum tamen filium cujusdam Christophori Primicerii, & post mensem septimum ineunte Februario an. 929. obiisse tradunt, qui post Panvinium, & Venerabilem Baronium scripsere. Stephanum vero decessisse conje-

conjectant menſe Martio anno 931. quoniam Scriptor coævus Flodoardus de illo inquit:

Binos præfulget in annos,
Auctò menſe ſuper biſſeno ac ſole jugato.

CXXVIII. Acceſſit ad Romanæ Eccleſiæ decus inauguratio in Pontificem Maximum *Joannis XI.* Hunc enim Sergius III. ex Marozia nefario genuerat concubitu. Cuncta geſſit ad nutum inceſtuoſæ parentis, & vitrici Hugonis Regis Italiæ, cum quo Marozia mortuo Vidone inierat ſcelerata connubia. Vido enim, & Hugo uterini erant fratres. Ab anno autem 931. usque ad initia anni 936. ſexto fluente anno regiminis Joannes præfuit Eccleſiæ.

CXXIX. Deinde Epiſcopatum tenuit usque ad annum nongenteſimum triceſimum nonum *Leo VII.* Romanus, appellatus a prælaudato Flodoardo,

Deditus aſſiduis precibus ſpeculamine celſus
Afflatu lætus ſapiens, atque ore ſerenus.

CXXX. Pari trium annorum, ac menſium aliquot ſpatio ſederunt *Stephanus VIII.*

CXXXI. Et *Marinus II.* Quorum ille Germanus genere ſuffectus Leoni opera Othonis Regis Germaniæ, deceſſit menſe Julio an. 942. vulneribus faciei ejus inflictis ab Alberico filio Vidonis, & Marozíæ, adeo deformis, ut erubeſceret palam prodire, & in aliorum verſari conſpectu. Marinus vero Romæ natus, & ſcientia canonum, rerumque gerendarum peritia, pro ſeculi hujus calamitate, ſatis excultus, Junio menſe, anno, 946. mortem oppetiit.

CXXXII. Eodem, quo Marinus deceſſit menſe, ſubſtitutus eſt *Agapetus II.* Romanus, undecimo Pontificatus anno è vivis exemptus, ſextilis ſcilicet die, ut inquiunt, 20. anno 957. *Frotho* Rex ab Agapeto Apoſtolicos viros petiit, qui Daniam divinis legibus erudirent, ſed legatorum Regis Pontificem

fatis suis præcessisse adventum, scribit libro 9. Historiæ Danicæ Grammaticus Saxo.

CXXXIII. Post Agapetum, malorum consilio & conspiratione summum Sacerdotium usurpavit Octavianus filius Alberici, dictus immutato nomine *Joannes XII.* (*a*) Ad omnem lasciviam, ac malum dicitur fuisse propensus. Cum Othone Germaniæ Rege coluit amicitiam; ab isto postmodum alienatus, ad partes Adelberti deflexit. Quare gravissimis accusatus criminibus Pontificatu exutus est, substituto *Leone VIII.* quem alii inter legitimos Pontifices numerant: unde Leo creatus anno 1049. dicitur hujus nominis IX. Sed revera Leo VIII. Pseudopontifex fuit, eoque a Romanis post duos menses expulso, Joannes fuit restitutus. Obiit autem pridie Nonas Majas anno 964. (*b*) De hoc Pontifice *Roswida*, aut *Rhosoita*, nominalis Saxona, inter Poetas Latinos laudata a Vossio cap. 6. in Heroico Carmine de gestis Othonum Cæsarum ait:

Summum pontificem quædam perversa patrantem,
Ejus nec monitis dignitatem credere crebris,
Sedis Apostolicæ fraudari fecit honore,
Constituens alium rectoris nomine dignum.

CXXXIV. Benedictum V. absque Othonis consensu, contra quem jurejurando promiserat, Joanni populus Romanus suffecit: unde Otho cum exercitu ad urbem accedens, coegit cives, ut rursus Leonem VIII. susciperent, ac Benedictum, in ordinem redactum, secum in Germaniam abduxit. Errant Luith-

(*a*) Natus annorum 18. Et hunc occasionem dedisse fabulæ Joannæ Papissæ quidam tradunt. Sed repugnat ratio temporum, ut constat ex præced. Seculi capite I.

(*b*) Continuator Luithprandi mortuum Joannem XII. ait ex vulnere inflicto, dum nocte se cum uxore cujusdam viri oblectaret.

Luithprandus, aliique afferentes, Benedictum jure meritoque fuisse exauctoratum. Eodem fere tempore, anno 965. Benedictus, & Leo decessere.

CXXXV. Sedit postmodum annis quasi septem *Joannes XIII.* ex Episcopatu Narniensi ad Romanum, Othone assentiente, translatus. Romanorum seditione Capuam adire compulsus fuit; sed Othone in Italiam properante, revocatus est Pontifex, & seditionis auctores damnati capite. Ad Polonos nuperrime ad fidem Christi conversos misit Episcopum Tusculanum Ægidium: obiitque anno 972. die *6.* Septembris.

CXXXVI. Obscurus fuit Pontificatus *Benedicti VI.*

CXXXVII. Doni II.

CXXXVIII. Atque *Benedicti VII.* Etenim Benedictum VI. nequissimus Cardinalis, Franco nomine, jugulavit, ac Pontificatum arripuit, sibi Bonifacii VII. nomen imposuit, ac paulo post Constantinopolim expilata Basilica Vaticana profugit. Frustra itaque Papirius queritur, eumdem Bonifacium a Platina sacrilegii damnari. *Donus* inauguratus an. 974. vita functus est anno proximo. De Benedicto VII. hoc unum memoriæ posterorum traditum est, sedisse usque ad annum 984. Cætera ex incertis profluunt historiis, veluti quod e chronico Ditmari Episcopi Merseburgi colligit libro 4. Papirius, obiisse in exilio; id enim ad Benedictum V. arbitror referri oportere.

CXXXIX. Alii quatuor fecerunt Seculo X. Romani Pontifices, nimirum *Joannes XIV.*

CXXXX. *Joannes XV.*

CXXXXI. *Gregorius V.*

CXXXXII. Et Silvester II. Joannes XIV. Episcopus antea Ticinensis, octavo Pontificatus mense in Hadriano inclusus carcere, fama & veneno sublatus est, opera Bonifacii VII. Pseudopontificis: qui Constantinopoli rediens Apostolicam Sedem rursus

invaſit. Verum ſceleſtiſſimus iſte duorum Pontificum parricida paulo poſt morte extinctus eſt repentina. Joannem XV. multorum librorum auctorem appellat Martinus Polonus; armigerum & crudeliſſimum vetuſtus Epiſcoporum Urbis Catalogus: ſedit tamen annis fere undecim, obiitque anno 996. Hos inter alium quemdam *Joannem* nonnulli intrudunt: quem exceſſiſſe quarto Pontificatus menſe ſcribit apud Papirium Leo Hiſtoricus Caſſinenſis; nunquam conſecratum fuiſſe exiſtimat Papebrochius, atque Pſeudopontificem cum Pagio cæteri appellant. Ita hiſtoria hujus Seculi ambigua eſt, & incerta.

Gregorio V. e Germania, creato Pontifici anno 996. & mortuo die 18. Februarii anno 999. adſcribitur Septemvirorum, a quibus creandus eſt Imperator, inſtitutio. Verum id in magna poſitum eſt controverſia. Huic ex urbe ejecto Creſcentius Nomentanus ſubſtituit Pſeudopontificem Epiſcopum Placentinum, qui ſe nominavit *Joannem XVI.* cui juſſu Othonis eruti fuerunt oculi, & aures, nares-que præciſæ. Creſcentius itidem mulctatus eſt capite.

Silveſter, antea Gerbertus, prius Monachus Floriacenſis, tum Rhemenſis, deinde Ravennatenſis Antiſtes, favore Othonis III. an. 999. menſe Aprili ſummum Pontificatum indeptus, anno 1003. die 11. Maji migravit e vita. Quoniam Mathematicas artes, & Philoſophiæ arcana didicerat, a nonnullis infamatus eſt tanquam præſtigiator, & magicis imbutus artibus. At legendus de ejus laudibus Papirius, & inſcriptio ad illius tumulum in Laterani Baſilica, illic inſculpta ſub Sergio IV. quæ incipit: *Iſte locus mundi Silveſtri membra ſepulti &c.*

CA-

CAPUT II.

SYNODI SECULO DECIMO CONGREGATÆ.

Nulla Oecumenica, nec Plenaria Seculo X. celebrata fuere Concilia. Quædam commemoranda ſunt tamen, ad depoſitiones Epiſcoporum, ad bonorum Eccleſiarum immunitatem, & ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantia; ac duo tandem, quæ adnotationem petunt aliquam, diſtincte ſunt recenſenda.

Actum itaque de Eccleſiarum bonis an. 935. in Synodo Arthaldi Rhemenſis Archiepiſcopi, & illorum bonorum raptores percuſſi ſunt anathemate. Sub eodem Archiepiſcopo anno 935. alia coacta eſt Synodus adverſus Reginaldum Comitem bonorum Eccleſiæ invaſorem, excommunicatione tamen ad tempus ſuſpenſa. Anno item 955. in Synodo Burgundiæ indictum anathema Iſuardo detinenti quosdam Eccleſiæ agros: anno 959. reſtituta Eccleſiis fuerunt bona ſublata, collecto ſub Edgaro Rege Angliæ Concilio Middleſexiæ prope Londinum.

De amovendis Epiſcopis egit anno 941. ſynodus Sueſſionenſis, in qua depoſito Arthaldo, conſecratus eſt Rhemenſium Archiepiſcopus Hugo Heriberti Comitis filius. Reſtitutus tamen Arthaldus an. 947. decreto Synodi Verdunenſis. Adnitente rurſus Hugone Rhemenſem ſedem invadere, coacta in pago Meldenſi ſynodo an. 962. Epiſcopus conſtitutus eſt Odalricus. Conſtantinopoli quoque an. 944. dejecto Synodali ſententia Patriarcha Tryphone, ſubſtitutus eſt Theophylactus. Quæ præcedenti cap. dicta ſunt de Joanne XII. exauctorato, & intruſo Leone VIII. & de Benedicto V. ejecto, & relegato Hamburgum, atque ab Othone reſtituto iterum pſeudopontifice Leone VIII. violentis, abrogandisque Sacerdotum ſynodis anno 963. & anno 964. peracta fuerunt.

Pertractatum est de Ecclesiastica disciplina in Concilio C. P. secundo hujus Seculi anno, reprobatis quartis nuptiis Leonis Sapientis cum Zoe. Acta Stephani VI. contra Formosum a Joanne IX. jam rescissa, rursus an. 904. reprobata sunt in Synodo Ravennate, & ratæ habitæ sunt ipsius Formosi ordinationes. Synodo Duisburgensi in Germania (c) anno 917. excommunicati sunt, qui excæcaverant Bennonem Metensem Episcopum. In Cantuariensi an. 969 ejecti sunt Clerici conjugati, & indicta pœnitentia septem annorum Edgaro Anglorum Regi, ob vitiatam virginem claustralem. Ticinensis anni 997. in Crescentium, qui ex Urbe ejecit Gregorium V. sententiam protulit anathematis.

Duo autem Concilia, quæ peculiariter diximus nominanda, sunt Romanum anni 993. sub Joanne XV. & Romanum alterum anni 996. sub Gregorio V. celebratum. Nam in priori inter sanctos solemni ritu relatus est Udalricus Episcopus Augustanus: atque hæc fuit prima Canonizatio a Summo Pontifice solemniter celebrata. In altero Concilio 996. institutos septem Imperii Electores putant quamplures. Id vero, ut supra monui, ambiguum est valde. Quidam enim hanc septem Electorum institutionem Carolo Magno, quidam prælaudato Gregorio, quidam, fortasse probabilius, adscribunt Germaniæ Principibus. Septem nihilominus fuisse olim Electores imperii, tres ecclesiasticos, & laicos quatuor, indicant pervulgati versus:

Moguntinus, Trevirensis, Colonensis,
Quilibet Imperii sit Cancellarius horum:
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio præpositus Cameræ, Pincerna Boemus.
Hi statuunt Dominum cuncti per secula summum.

Primi tres sunt Archiepiscopi. Alii, Comes Palatinus, *Dux* Saxonicus, *Marchio* Brandeburgicus, & Rex

c) Photius in Gallia Belgica.

Rex *Bohemus*. Additus anno 1623. Dux Bavariæ, (*d*) & anno 1692. Hanoverensis.

CAPUT III.

HÆRESES DECIMI SECULI.

Nullam hoc seculo in tanta illuvione vitiorum invenimus de novo ortam hæresim. Quosdam duntaxat Anthropomorphitas, apud Italos statim extinctos opera Ratherii Episcopi Veronensis, commemorat in Chronico ad annum 935. Genebrardus, & Manichæos Trimontii, seu Philippopoli in Thracia: quorum origo referenda est ad tertium, aut quartum Ecclesiæ Seculum.

CAPUT IV.

SECULI DECIMI SCRIPTORES ECCLESIASTICI CELEBRIORES.

Ex quo hoc Seculum *obscurum*, ac *ferreum* passim a Scriptoribus vocitetur, nemo hinc inferre debet, nullum in eo litterarum claruisse splendore. Enimvero præter Monachorum complures, qui Monasteriorum chronica, suorumque Sodalium gesta exornaverunt, de quibus in Seculo V. Benedictino Cl. Mabillonius, cum historicis, tum dogmaticis lucubrationibus Græci, Latinique Scriptores assiduam operam impenderunt.

(*d*) Dux Bavariæ initio suffectus est in locum Comitis Palatini perduellis, qui anno 1648. restitutus est, modo Archithesaurarius, & Elector VIII.

Inter Græcos historicos præclarum honestumque est nomen *Simeonis* Metaphrastæ, *Joannis Cameniatæ*, *Constantini* πορφυρογεννήτου, *Anonymi* Byzantini, *Hippolyti* Thebani, & *Eutychii*. *Simeon*, Metaphrastes dictus a scribendi genere, natus C. P. & Leonis Imp. Δογοθέτης, claruit hujus Seculi initio, certumque est in ejus chronologia Genebrardum, Raphaelem Volaterranum, & Oudinum enormiter aberrasse. Vitas SS. magno studio collegit, sed plures adjectæ fuere suppositæ ac spuriæ; scripsitque ulterius stricta oratione poemata in lucem edita ab Allatio, Trimetros Jambicos de Eucharistia, hymnosque ab eodem Allatio laudatos. *Constantinus*, quem Leo Sapiens genuit e Zoe, imperii suscepit habenas an. 919. & e vivis excessit anno 959. Scripsit vero *Pandectas* historico-politicas, Vitam Basilii Macedonis avi sui, & Historiam Imaginis Salvatoris, quam ajunt ad Abgarum Edessæ Regem fuisse missam, Constantinopolim e Syria translatam. *Anonymus* Byzantinus, quem nonnulli vocarunt Leontium, decepti similitudine nominis alterius Scriptoris, qui floruit seculo VI. conscripsit circa annum 930. libros 4. Chronographiæ ab an. 813. usque ad annum 867. eique multa ex aliena manu accessere. Quatuor decessorum Basilii Macedonis Vitas postmodum addidit. *Hyppolitus* patria Thebanus, junior Simeone Metaphraste, quem τὸν κύριον appellat, conscripsit Syntagma Chronicum ab Orbe condito ad sua usque tempora; hujusque fragmenta edita a Canisio auxerunt Lambecius, Scheleſtratius, atque Basnagius. *Eutychius*, natione Ægyptius, qui ab an. 933. ad an. 950. Alexandrinam rexit Ecclesiam, præter Opuscula medica recensita ab Hottingero, conscripsit Arabico sermone Annales a mundi primordiis usque ad annum 940. Edidit quoque librum de rebus Siciliæ, postquam capta fuerat a Saracenis; necnon de Ecclesiæ Alexandrinæ origine, moribus, & electione Patriarcharum, Opus a Seldeno, cum pluribus additamentis refutatis ab Abramo Echellensi, in lucem emissum Londini anno 1642.

Histo-

Historicis autem Latinis adnumerandi sunt *Regino*, *Flodoardus*, *Winduchindus*, *Luithprandus*, *Fulcuinus*, *Abbo*, *Notkerus*, *Herigerus*: *Regino* Abbas Prumiensis in Germania exaravit Chronicum a Christo nato usque ad an. 970. Protractum deinde ab alio ignoto Scriptore usque ad an. 972. *Flodoardus* Canonicus Rhemensis, qui decessit an. 966. conscripsit usque ad hunc annum, exorsus ab anno 919. Chronicon rerum inter Francos gestarum, nec non Historiæ Rhemensis libros quatuor. *Winduchindus*, seu *Witikindus*, Monachus Corbejensis in Westphalia (est enim Corbeja altera in Picardia) præter vitam Pauli Eremitæ, & Passionem S. Theclæ Virginis metro conscriptas, edidit tres libros Historiæ Saxonum ad Mathildem Reginam. Adhuc inter vivos degebat an. 973. *Luithprandus* diaconus Ticinensis, & postea Cremonensis Episcopus, qui Historiam rerum ætate sua in Europa gestarum, in libros sex distributam, Librumque edidit de Romanis Pontificibus a Petro ad Formosum, stylo, ut inquit Sigebertus, luculento & alterno. Huic autem opponitur Chronicum Luithprandi cujusdam Toletani, nugis fabulisque refertum. *Fulcuinus*, vel *Folquinus* Monachus Laubiensis, gesta Abbatum celeberrimi illius cœnobii, siti in Diœcesi Cameracensi, de Miraculis S. Ursmari, & vitam Folcuini Tarvanensis in Belgio Episcopi, litteris tradidit, vita functus an. 990. *Abbo* Monachus Floriacensis in Burgundia scripserat ante Seculi X. exitum, præter collectionem Canonum, Commentarium in canonem Paschalem Victorii, atque Epitomen de Vitis Pontificum Romanorum: *Notkerus* filius Ducis Sveviæ, creatus anno 971. Episcopus Leodiensis, Historiam Episcoporum Leodiensium, & quorumdam Sanctorum Vitas; atque *Herigerus* renuntiatus Abbas Laubiensis an. 990., res gestas ab iisdem Leodiensibus Episcopis, a S. Berlende Virgine, & a S. Landoaldo. Obierunt autem hi tres XI. Seculo jam inchoato, nempe *Abbo* lancea transfixus, ac martyr an. 1004. *Notkerus* autem, & *Herigerus* an. 1007.

Præter Hiſtoricos alii percelebres viri X. Seculo claruerunt, videlicet, *Odo* Abbas Cluniacenſis, qui deceſſit an. 942, adſcriptus SS. Faſtis XIV. Cal. Decembris, ſcripſitque ſermones aſceticos, varios hymnos, libros 35. Moralium in Job, & ſuccinctum Chronicum: *Ratherius* Monachus antea Laubienſis, tum Veronenſis Epiſcopus, deinde ex Italia pulſus, & Sedi Leodienſi præfectus; hinc quoque ejectus, & Veronenſi Cathedræ reſtitutus, atque rurſus ſede deturbatus, & jam tertio ob auſteram rigidamque diſciplinam exul ad Laubienſe monaſterium reverſus, adeo, ut verſus iſte in epitaphio ejus legatur.

Veronæ Præſul, ſed ter Ratherius exul;

Sui ipſius deſcripſit Itinerarium, atque Apologiam; ac pertractavit de contemptu Canonum, de exilio, ærumnisque ſuis, additis ſermonibus, Epiſtolis, aliisque eruditis Opuſculis; obiiſſe fertur an. 973. *Oecumenius* Scholiaſtes Græcus hoc, ut fertur, Seculo Novum Teſtamentum perpetuis commentariis, e Chryſoſtomo ut plurimum depromtis, perſpicue breviterque explanavit: *Burchardus* Monachus Laubienſis, deinde non procul a Wormatia (*e*) ad Rhenum cultor vitæ Eremiticæ, circa finem hujus Seculi ſcripſit Decretorum Volumen, in libros 20. diſtributum: *Suidas* Grammaticus prolixum Lexicum ſuum, in quo plura continentur ad Theologiam, & Eccleſiaſticam Hiſtoriam pertinentia, abſolviſſe videtur circa an. 976. nam hucuſque temporum recenſet Epochas.

Addendi forent, niſi compendio res ageretur, *Moſes Barcepha* Syrus, *Joſeph Geneſius* Hiſtoricus Byzantinus, *Anonymus* auctor Hiſtoriæ Claromontenſis, *Nicon* Armenus, *Fridegodus*, & *Dunſtanus* Angli, *Aelfricus* Cantuarienſis Epiſcopus litteris,

(*e*) Promotus ad epiſcopatum Wormatienſem an. 996.

teris, & sanctitate clarissimus, *Odilo* Arvernus, & *Philotheus* Alexandrinus, &c.

CAPUT V.

IMPERATORUM SUCCESSIO, ET NATALITIA SANCTORUM.

Berengarius an. 916. ob pulsos ex Italia Saracenos & Mauros a Joanne X. Imperii coronam accepit in solemni Festo Dominicæ Resurrectionis. Dum Veronæ, ad quam urbem confugere hostium armis coactus fuerat, oraturus templum matutinis horis ingrederetur, transfixus est, & occisus in ipso sacræ ædis vestibulo anno 924. Nullus deinde coronatus est Imperator usque ad an. 962.

Hoc autem anno a Joanne XII. Imperii diadema consecutus est *Otho I.* cognomine *Magnus*; a quo adversus eumdem Pontificem intrusus fuit Leo VIII. nec desunt, qui scribant, ab hoc Pseudopontifice Othonem iterum fuisse coronatum. Decessit Otho anno Imperii sui XI. Chr. Æræ 973.

Imperium tum indeptus est *Otho II.* illius Filius; qui vivente patre coronatus fuerat a Joanne XIII. an. juxta Baronium 966. vel potius an. proximo 967. Imperavit autem a morte patris annis 10. sublatus e vivis an. 983.

Et in regno successit eodem anno *Otho III.* sed hujus Imperium supputatur ab an. 966. quo anno coronatus est a Gregorio V. in Festo Pentecostes. Exinde vero imperavit annis 6. vita functus anno 1002. Paterni in Campania, dum reditum in Germaniam meditaretur.

Quamquam vero soli Principes hactenus laudati corona decorati fuerint Imperii; defuncto tamen Ludovico filio Arnulphi, Rege Germaniæ an. 912.

absque

absque liberis, electus est in Germaniæ comitiis *Conradus* filius Conradi Franconiæ ducis: & huic extincto an. 918. suffectus est *Henricus*, ab aucupio, quo mirum in modum delectabatur, denominatus *Auceps*, filius Othonis Ducis Saxoniæ ex Ludgarda filia Imperatoris Arnulphi. Henrici autem, & Mechtildis filius fuit *Otho I.* de quo paulo supra. Quare sunt, qui ita post Arnulphum enumerant Imperatores, *Ludovicum IV.* Arnulphi Fil. *Conradum*, *Henricum Aucupem*, *Othonem I. Othonem II.* & *III.* (*f*)

Addo

(*f*) *Ludovicus IV.* fuit filius Arnulphi, & Juttæ filiæ Guelphi, editus in lucem circa annum 892. Electus est defuncto patre ab Optimatibus Franciæ, cum esset septennis, obiitque anno 912. decimo Calendas Februarii, anno ætatis suæ 19. nondum exacto. Nullam ex Ludgarda, aut Mathilde uxore, filia Ludulphi Ducis Saxoniæ, & sororis Othonis Magni, prolem suscepit. *Conradus* pariter nullos e conjuge *Placentia*, filia Regis Germaniæ, genuit libros, & placida morte decessit anno, ut dixi, 918. sive 919. juxta Calvisium, & alios, die 23. Decembris, cum ante obitum per fratrem suum Eberardum misisset imperii insignia *Henrico* filio Othonis Ducis Saxoniæ. De illo legitur Epigramma:

Fallere quod volucres laqueis, viscoque solebat,
AUCUPIS aucupii nomen ab arte tulit.

Hoc Principe Imperium a Francis pertransiit ad Saxones, ut *Roswida* (*de qua in Appendice*) *cecinit:*

Postquam Rex Regnum, qui solus regnat in ævum,
Per se cunctorum transmutans tempora Regum,
Jussit Francorum transferri nobile regnum
Ad claram gentem Saxonum, nomen habentem
A Saxo, per duritiem mentis bene firmam.
Filius Othonis, magni Ducis & venerandi,
Scilicet HENRICUS, suscepit regia prima,
Justo pro populo moderamine sceptra regendo.

Hujus

Addo nomina, & Chronologiam Imperatorum Orientis. Memoravi præcedenti Seculo IX. Leonem

---

Hujus itaque Henrici, & Mechtildis filiæ Diderici Comitis Ringelheimenſis, primogenitus fuit Otho I. cognomento *Magnus*. Scribitur etiam *Otto*, immo & *Hatto*, quam vocem repetunt a Theſſalica Ἄττα, qua ſignificatur *Pater benevolus*. Eodem vocabulo apud Græcos a junioribus compellantur ſenes. Pervulgatus eſt verſus:

Hatto, poſt Hatto, regnavit tertius Hatto.

Tres enim *Othones* unus poſt alium imperarunt. Otho I. ex Adelaide filia Regis Burgundiorum, & vidua relicta Lotharii Regis Italiæ, ſuſcepit Othonem II. natum anno 955. quo anno Pater Ratiſbonam, Germanis *Regensburg*, in ſui redegit poteſtatem, Hungaros ingenti prælio proſtravit, ac paulo poſt Magdeburgenſem, Miſnenſem, aliosque Epiſcopatus magnificentiſſime erexit. Obiit Otho I. an. 972. die 7. Martii, & ſepultus eſt Magdeburgi. Tumulo hi verſus fuerunt inſcripti:

Tres luctus cauſæ ſunt hoc ſub marmore clauſæ:
Rex, Decus Eccleſiæ, Summus honor Patriæ,

Otho II. Patri rerum geſtarum magnitudine haud diſſimilis fuit, extatque de ipſo Sabini epigramma:

Non fuit inferior Primo *virtute* Secundus,
Multa domi geſſit prælia, multa foris.

Uxorem habuit Theophaniam privignam Nicephori Imperatoris Græcorum, cum qua anno 972. Romæ nuptias honorificentiſſime celebravit. Uxores ejus alias prætereo. Suſcepit ex Theophania Othonem III. natum primo nuptiarum anno. In bello adverſus Saracenos venenato telo percuſſus, reverſus Romam anno 983. ibidem anno ætatis ſuæ 29. obdormivit die 7. Decembris. In atrio Vaticanæ Baſilicæ ſepultus eſt. Plura Aventinus, Ditmarus, Sigonius, alii.

Otho III. tam probe ſe geſſit, ac tam prudenter adminiſtravit rempublicam, ut mundi miraculum diceretur. Bohemos an. 986. compeſcuit: Henricum Bavarum in Germania, Lotharium in Gallia, Creſcentium in Italia æmulos habuit Imperii. At

Hen-

nem VI. Philosophum. Is obiit an. 911. filiumque suum *Constantinum* Porphyrogenitum (*g*) reliquit septennem *Alexandri* fratris sui regimini ac tutelæ. *Alexander* crapulæ & libidini deditus misere occubuit anno 912. abrupta in ludo pilæ vena pectoris, multaque sanguinis copia ex omni effusa meatu. Ab eo anno, quo patruus extinctus est, 912. *Constantinus* imperavit sub tutela Zoes matris suæ, & Nicolai Patriarchæ C. P. regnavitque usque ad annum 959., & aliquandiu cum *Romano Lacapeno*, quem reversum a clade Bulgarica adscivit in consortium Imperii; sed ante Constantinum obiit, propriis suadentibus filiis, an. 944. exutus Imperii insignibus, & Protem Bosphorii Thracii insulam relega-

---

Henricum veniam petentem in amicitiam recepit. Lotharius ei sponte cessit. Crescentius vero sæpe Romæ tumultus excitans anno 996. Romæ captus est, asino retrorsum impositus, & circumductus per urbem, mutilatus membris, atque suspendio necatus. Vide cap. 1. quæ diximus de *Gregorio V.* Otho III. uxorem habuit Mariam filiam Regis Aragoniæ, libidinis adeo procacis, ut in gynæceo detineret juvenem indutum veste muliebri, ad immodicam explendam cupiditatem. Quare adulterii ream Otho Mariam cremari jussit Mutinæ. Rediens Otho in Italiam anno 1001., quomodo e vivis propinato veneno exierit, dicam proximo Seculo undecimo, capite quinto.

(*g*) *Porphyrogenitum* appellaverunt, quoniam in lucem editus fuit in ædibus Imperatoris, quæ dicebantur πορφύρα. Eodem idcirco cognomine alii quoque nati ibidem Principes distinguantur. *Porphyrogeniti* insuper, aut *Porphyretici*, dicti sunt filii omnes geniti patre Imperatore; unde in *Legatione* ait Luitprandus: *Inaudita res est, ut Porphyrogenita, hoc est, in purpura nata filia gentibus misceatur.* Latini pariter Imperatorum, Regumque filios *Purpuratos* dixerunt, quod scilicet *in purpura* nati essent, purpureisque fasciis circumvoluti. Plura Carolus Dufresne in *Glossario*, & in Adnotationibus ad *Alexiadem.* Claudianus in tertio Honorii consultatu cecinit:

Ardua privatos nescit fortuna penates,
Et regnum cum luce dedit, cognata potestas
Excepit Tyrio venerabile pignus in ostro.

legatus. At Conſtantino ſucceſſit *Romanus* ei natus ex Helena conjuge, & filia Romani Lacapeni, adeo improbus, ut patrem veneno necaverit, & ipſe an. 963. conſumptus fuerit immodica libidine, & crapula enormi. Acclamatus tum ab exercitu *Nicephorus Phocas*, princeps quidem ſtrenuus, ſed avaritiæ deditus ſupra modum. Occiſus eſt anno 969. inſidiis, ut fertur, Theophaniæ uxoris ſuæ, captæ inſano amore *Joannis Tzimiſcis*. Is itaque poſt Nicephori necem arripuit Imperium, quod adminiſtravit usque ad annum 976. a Baſilio cubiculario ſuo extinctus veneno. Diu poſthæc imperavit *Baſilius III.* F. Romani Junioris, cum fratre ſuo *Conſtantino VIII.* etenim Baſilius obiit an. 1025. & Conſtantinus an. 1028.

Addenda ſunt modo Chronotaxi Auguſtorum Principum natalitia Sanctorum. Inter quos Martyrum Faſti celebrant die 28 Septembris *Ludmillam* Bohemiæ duciſſam, nurus ſuæ Drahomiræ Gentilis feminæ juſſu necatam an. 922. Sexto Cal. Jul. memoriam agunt *Pelagii* adoleſcentuli Cordubæ ſub Addarameno Rege Saracenorum an. 925. membratim forcipibus ferreis præciſi. Quinto Cal. Octobris *Wenceslai* Bohemorum ducis, filii prædictæ Drahomiræ, ac trucidati in domo fratris ſui Boleslai anno juxta Segebertum 938. vel potius 939. Quinto decimo Cal. Aprilis *Eduardi* Britanniæ Regis, dolis novercæ anno 978. interfecti. Addit Eccl. Hiſt. virginem *Guiboratiam (h)* ab Hungaris enecatam an. 925. die 2. Maji, & *Haroldum* Daniæ Regem a filio pagano peremptum Cal. Novembris anno 980.

Plures quoque ſanctorum Epiſcoporum albo fuerunt adſcripti, atque ex hac vita exceſſerunt anno 965. die 11. Octobris *Brunon* frater Othonis I. Archi-

(b) Alibi *Viboradam*. Cordubæ anno 975. ſub Alhacha Rege Saracenorum permulti Martyres occubuerunt.

Archiepiscopus Colonienſis: anno 973. die 4. Julii *Uldalricus* Epiſcopus Auguſtanus in Rhetia: (*i*) an. 976. die 26. Novemb. *Conradus* Epiſcopus Conſtantiæ: anno 981. die 20. Junii *Adalbertus* primus Archiepiſcopus Magdeburgenſis: anno 984. die 1. Auguſti contigit mors *Ethelwoldi* Epiſcopi Wintonienſis in Anglia: anno 988. die Maji 19. *Dunſtani* Cantuarienſis, ſuperiori etiam capite laudati: anno 992. die 15. Octobris *Oſualdi* Antiſtitis Eboracenſis in Anglia: anno 994. die Octobris ultima *Wolphgangi* Epiſcopi Ratisbonæ; & an. 997. die 23. Aprilis obiit *Adalbertus* Epiſcopus Pragenſis & Martyr, Apoſtolus Poloniæ, & Hungariæ.

Si modo ſinerent anguſtiæ temporum adire ſanctorum Monachorum Aſceteria, quot nobis occurrerent ſanctitatis eximii cultores? *Bernon* monaſterii Cluniacenſis primus Abbas in cælum raptus an. 926. die Januarii 13. ejusque ſucceſſor prælaudatus *Odo*, vita functus anno 942. XIV. Cal. Decembris, *Joannes* Abbas Gorſii in Lotharingia mortuus anno 973. die 27. Feb. *Majolus* item Cluniacenſis, qui obiit V. Idus Majas anno 994. aliique complures aureolis Sanctorum ſtolis præfulgent. Atque ne ſua deſit gloria femineo ſexui, addo *Ludmillæ*, & *Guiboratiæ*, *Mathildem* Germanorum Reginam, & Othonis I. parentem, quæ obiit pridie Id. Martii anno 967., *Editam* virginem filiam Edgardi Regis Anglorum defunctam anno 984. XVI. Cal. Octobris, & *Adelaidem* Imperatricem, Matremque Othonis II. quæ migravit e vita XVII. Cal. Januarias an. 999. virtutum gloria, quam regio diademate ſplendidiores.

(*i*) *Udalricum* obiiſſe alii tradunt anno 863. canonizatum vero conſtat an. 993. a Joanne XV. Hanc eſſe primam Canonizationem factam a Romano Pontifice, de qua hæſitari non poteſt, cenſet Bollandus. Vide Seculi VIII. caput 6.

CAPUT VI.

DOCTRINA ET DISCIPLINA SECULI X.

Apostolicam divinamque traditionem de Christi in Eucharistia corpore, hoc propugnatam Seculo, ex Epistolis Ratherii Ep. Veronensis, & S. Udalrici opere de Antiquis Consuetudinibus Cluniacensium, Arnaldus de Perpetuitate Fidei, aliique viri docti demonstrant. Exhibendum Sanctis cultum confirmavit solemnis S. Udalrici Episcopi Augustani Canonizatio a Joanne XV. peracta; & qui hinc repetunt ejusdem religiosi cultus exordium, veterum diptychis, memoriis Martyrum, omniumque Seculorum consuetudine refelluntur. Quartas nuptias a Græcis in Leone Philosopho reprobatas, ratas firmasque semper habuit Romana Ecclesia veritatis magistra. Romanis Pontificibus, quantumvis pro humana fragilitate improbis, omnem reverentiam esse adhibendam, & summi Sacerdotii fastigium non contemnendum propter morum improbitatem, cunctorum temporum, præsertim vero hujus Seculi gesta declarant.

Simoniaci, bonorumque Ecclesiasticorum raptores canonum auctoritate fuere perstricti. Reformati a S. Odone Cluniacensi Monachorum mores, hortante etiam R. P. Leone VII. A Romano Episcopo coronatos Imperatores Occidentis Berengarium, & Othones, dictum est paulo supra. Ipsorum Impetatorum assensu summi eligebantur Pontifices; eodemque assensu neglecto, Benedictus V. dejectus est, & Innocentius VIII. intrusus, Sacerdotii jure violato. A Romana Sede Archiepiscopi juxta veterem consuetudinem receperunt Pallium, quo statis utuntur diebus: a Joanne IX. Rogerius Hamburgi, & Sergius Colonienſis, a Joanne XI. Artaldus Rhemensis, & Theophylactus P. C. Ab Aga-

peto II. Brunon Colonienſis Archiepiſcopus, frater Othonis I. cujus & ſupra meminimus. Conceſſum item Pallium ab Anaſtaſio III. Epiſcopis Ticinenſibus. Inhibitum a Leone VII. mulieribus ne ſepta monaſterii S. Martini Turonenſis ingrederentur. Campanam Lateranenſis Eccleſiæ Joannes XIII. ſacris ceremoniis conſecravit; atque hinc ritum ſigna benedicendi repetunt aliqui; ſed decipi Cardinalis Bona, Angelus Rocca, Edmundus Martene, & Franciſcus Pagius demonſtrant, vindicantes antiquiorem ejusdem ritus originem. Jus præferendæ Crucis indulſit Silveſter Secundus Regibus Hungariæ, quoniam opera ſanctiſſimi Regis Stephani Pannonia ad Chriſti fidem pervenit. Sunt, qui ad hujus Seculi initia referendam cenſent Academiæ Toloſanæ inſtitutionem. *Cluniacenſis* Ordo ſub Regula *S.* Benedicti anno 910. & Ordo *Camaldulenſium* anno 997. habuere primordia: fuitque illius auctor *Bernon*, de quo ſupra; iſtius vero *S. Romualdus*, de quo rurſus cap. 5. proximi Seculi XI.

In Dania hoc Seculo X. Chriſtiana religio refloruit. Eamdem religionem circa annum 988. propagatam novimus apud Suecos. Hungari pariter, ſeſe illis addixerunt, Evangelium eis annunciante Pragenſi Epiſcopo *Adalberto*. S. Olaus item Rex Norvegiæ circa annum 994. ſuſcepit baptiſmum, aſſumpto Jacobi nomine. Hunc tanquam martyrem IV. Cal. Auguſti recolit Romanum Martyrologium.

AP-

APPENDIX.

RES ATTINGUNTUR EXTERNÆ.

Dejecto Carolo *Simplici* Francorum Rege anno 923. obtinuit Regnum *Rodulphus* Burgundio Normannorum debellator, extinctus anno 926. Revocatus tunc ex Anglia, quo ad avunculum Regem cum matre Oginia (*k*) confugerat. *Ludovicus IV.* F. Caroli *Simplicis*, Transmarinus nuncupatus; qui consecratus Rex Lugduni XIII. Cal. Junias obiit anno 954. Corona tum insignitur *Lotharius* illius Filius, consecratus Rhemis Idib. Novemb. eodem anno, ac vita functus anno 986. Regnavit postea uno duntaxat anno *Ludovicus V.* ejus Filius, & cum eo extincta est anno 987. secunda Regum Francorum Dynastia, (sive prosapia & Genus Caroli Magni) vocari solita *Carolovingica.* Incœpit anno 987. linea *Capetiana* ab *Hugone Capeto* Comite Parisiensium, Rex *Hugo* Novioduni salutatus est a militibus & deinde Rhemis inunctus: cui vita functo anno 996. successit Filius *Robertus*, princeps sanctitate, & virtutibus præstantissimus. De hoc autem, cum vixerit usque ad annum 1031. proximo rursus Seculo agendum erit.

In Hispania post Alphonsum Magnum regnarunt ab anno 910. *Garzias*: ab anno 914. *Ordo-*

(*k*) Alias *Edgiva*.

nius II. ab anno 923. *Froila II.* ab anno 924. (*l*) *Alphonſus IV.* ab anno 931. *Ramirus II.* ab anno 950. *Ordonius III.* ab anno 956. *Sanctius Craſſus:* ab anno 967. *Ramirus III.* ab anno 982. *Veremondus II.* ab anno 999. uſque ad an. 1027. *Alphonſus V.* (*m*)

Saracenorum Caliphas adinveni X. Seculo eos, qui ſequuntur. Extincto Ahmed an. 902. Hegyræ 289. renunciatus eſt Saracenorum Calipha filius ejus *Ali*, appellatus *Moctaphi*. Is decemit anno 908. Heg. 295. regnavitque deinde illius frater *Jafar-Aboulfadel*, denominatus *Amouctadirbilla*. Amauctadir interfecto anno 932. Heg. 320. regnavit paucis menſibus *Mahomet-Aboulmanſor*, eoque dejecto *Ahmed-Aboulabas*, filius Caliphæ Amouctadir, ad annum uſque 940. Hegyræ 329. Hoc Principe periit ſuprema *Calipharum* poteſtas, ac plures creati ſunt principes Saracenorum: quorum unus Ægyptum & Syriam regebat, alter Meſopotamiam, tertius Perſidem; & qui in Africa aut Hiſpania permanſerant, ducibus obtemperabant ſuis, ſpreto Arvirorum, ſeu Calipharum dominatu. *Hemir* vocabatur, qui ſuis præerat in urbe Bagdato, (*n*) quæ fuit antiquioribus Seleucia. Qui vero principatum gerebat in Africa, dicebatur *Caimbiamrilla*; quod idem ſonat Arabum lingua, ac latina, *Conſtitutus jubente Deo.* Ita Saraceni vixere uſque

(*l*) Alibi legitur, 923.

(*m*) Regnavit in Anglia poſt Eduardum I. ab anno 925. uſque ad annum 940. Adelſtanus; tum Edredus uſque ad an. 955. Deinde Edgardus uſque ad annum 975. Eduardus II. Martyr anno 978. Etelredus, 1016. In Polonia primus Chriſtianus Rex Micislaus obiit anno 999.

(*n*) *Bagad.*

que ad finem Seculi XIII. quando, ut ſuo dicemus loco, *Ottomanicum* cœpit imperium.

Primo hujus Seculi anno *Hungari* Bavariam & Italiam vaſtarunt, aut anno potius ſuperiori. *Mauri* e Cantabria a Sanctio Rege Aragoniæ pelluntur, *Saraceni* duce Leone Tripolita, Chriſtiano Apoſtata, anno 904. plurimos in Conſtantinopolitanis viciniis cæciderunt, urbemque Macedoniæ Theſſalonicam devaſtarunt incendio. Iidem anno 910. in Calabriam, urbemque Conſentiam truculenti irruerunt. Refert id illuſtris Pagius ad annum 902. fortaſſis non recte. *Hungari* anno 907. Ludovicum IV. commiſſa atroci pugna vicerunt; ac anno 909. populati ſunt Saxoniam & Thuringiam, annoque ſequente Alemanniam. Cæſi tamen fuerunt anno 921. ab Imperatore Henrico, & coacti ad novennii petendas inducias. Idem Henricus anno 928. *Sclavorum* copias internecione delevit, atque anno 930. Miſnam condidit in ſuperiori Saxonia. Rurſus anno 935. Hungaros ingenti prælio devicit, ſibi *Patris Patriæ* nomine comparato. Diruta anno 933. a Saracenis Africæ Genua. *Hungari* anno 937. in Italiam hoſtili furore irruperunt. *Saraceni* non ſemel hoc ſeculo ſuperati: nam ſub Joanne X. anno 915. a finibus Latii & Campaniæ, ubi prope Lyrim fluvium annis 40. conſederant finitimos quosque infeſtantes, expulſi fuere: devicti anno 939. apud Septimancas Caſtellæ oppidum a Rege Ramiro: illorum claſſis ab Hugone Italiæ Rege. & a Græcis *Chelyndro*, igne (o) anno 941. combuſta: duplici certa-

(o) De hoc Græcorum igne Guilelmus Apol. lib. 5. Rerum Norman:

Et contra Venetum naves, Danaumque chelyndros
Certamen navale parant.

tamine, anno 964. & 968. eos in Asia debellavi Græcorum Imperator Nicephorus & in Syria non semel anno 974. & sequenti Joannes Tzimisces; e Fraxineti oppido eodem expulit anno 972. dux Arelatensis Wilhelmus. Otho autem II. Imperator, qui e Saracenorum tyrannide Apulos, Brutiosque anno 968. liberaverat, eosque insequente anno coegerat ex Italiæ oris discedere, anno 982. ingenti prælio in Calabria commisso, una cum Græcis ab iisdem superatus, vix potuit exigua navicula fugam capere. In Hispania rursus invalescentes an. 985. expugnarunt Catalauniæ metropolim Barcinonem, & paulo post Legionem *Germanicam*, civitatem provinciæ Tarraconensis. (p) Sarmatæ quoque, seu Rutheni ac Moscovitæ, nec non Bulgari Mysiæ populi, seculo X. ruerunt in arma. Ac an. 941. a Græcis tam cruento bello cæsi fuerunt, ut Helena illorum Regina Constantinopolim fugerit: atque an. 972. a Joanne Tzimisce magna item clade fuerunt prostrati. *Bulgari*, qui an. 917. ad Acheloum fluvium intulerant Græcis maximam cladem, & anno 933. obsederant C. P. suburbana incenderant, & universam Thraciam vastaverant, unde magnis deliniti muneribus recesserunt anno 929. *Bulgari*, inquam, anno 964. expugnati fuerunt a Joanne Tzimisce non semel laudato, & anno 1000. a Basilio II. ejecti e Thessalia, Macedonum regione.

Perpauci habentur Scriptores profanarum historiarum, huic Mantissæ inserendi. Obscura enim sunt nomina *Joannis Assarii* Britanni, qui initio X. Seculi scripsisse fertur Vitam Regis sui Ælfridi; *Cappidi Staurienfis*, qui ætate Conradi, & Henrici Aucupis, Regum Britanniæ contexuit Genealogiam,

(p) Calabriam rursus depopulati sunt an. 986. expugnatis Rhegio Julio, Crotone, aliisque urbibus magnæ Græciæ.

logiam : *Occonis Scharlenſis*, a quo, tempore Othonis Magni, conſcriptæ dicuntur Origines Friſiæ: atque *Dudonis Neuſtrii*, qui narrationi rerum a Normannis geſtarum in Gallia, Othone III. imperante, infarſit fabulas. *Claruit* circa idem tempus *Roſwida*, ſeu *Roſvitis*, monialis in cœnobio Gandersheimenſi, quæ juſſu Othonis II. & Gerbergæ Abbatiſſæ, ſcripſit heroico carmine hiſtoriam, ſive Panegyricum de geſtis Othonis I. aliaque metro & proſa compoſuit. Recte autem de Scriptoribus hujus Seculi, ſi recenſere nobiles præclarosque vèlimus, repetendus nobis erit cum doctiſſimo Voſſio lib. 2. de Hiſt. Græcis cap. 26. Virgilianus ille verſus Æneidum primo,

Occurrunt rari nantes in gurgite vaſto.

JOANNIS LAURENTII BERTI

FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

BREVIARIUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

EDITIO POST VENETAM IN GERMANIA QUARTA.

AB AUCTORE IPSO RECOGNITA, PLURIBUS IN LOCIS EMENDATA, ET, PRÆTER ISAGOGEN AD SACRAM GEOGRAPHIAM, QUÆ IN CETERIS DESIDERATUR, NUNC PRIMUM VIII. INDICIBUS CHRONOLOGICIS AD CALCEM APPOSITIS LOCUPLETATA.

PARS SECUNDA

QUÆ COMPLECTITUR ISAGOGEM AD SACRAM GEOGRAPHIAM, ET PROGREDITUR USQUE AD ANNUM VULGARIS AERAE MILLESIMUM SEPTINGENTESIMUM SEXAGESIMUM.

VINDOBONÆ,

TYPIS JOAN. THOMÆ NOB. DE TRATTNERN,
CÆS. REG. AVLÆ TYPOGR. ET BIBLIOP.

MDCCLXXIV.

LECTORI MONITUM.

Quod in hac Historiarum Epitome Scriptores recenseo complures, qui Magni Augustini *doctrinam temere oppugnant, aut vellicant, adhibendæ moderationi, prudens Lector, adtribuas. In decimo autem septimo, atque in postremo Seculo, ubi quosdam præstantissimos Viros appello* Jansenianos, *scias velim, meum non esse eo loci statuere, an tales sint, propterea quod proscriptas quinque propositiones tradiderint, an quod ut* Jansenii *assecla ab insimulatoribus traducantur. Etsi id tertio capite* Synopsis *Seculi XVIII. necnon in mea adversus Senonensium Præsulem* Expostulatione *declaro, meque ipsum invidioso illo nomine traduci a quibusdam Augustinianæ scholæ adversariis audio, patiorque lubenter; istic tamen ratus sum iterum præmonendum, ne Auctores longe doctissimos, quos quarto capite seculi XVII* Jansenianos, *fortassis nimium incaute, dixi existimes a me infamari tanquam damnatæ hæresis assertores. Consultum magis futurum fuisse puto a nomine, quod sine additamento*

pro-

prolatum est opprobriosum atque inhonestum, penitus abstinere: at postquam calamo excidit, eos, quos Molinistæ Jansenistas *indiscriminatim appellitant, ab iis, qui revera sunt, oportet ut caute prudenterque secernas. Qua in re Ecclesiæ judicium attende, non criminantium dicteria. Dissidia itidem, quæ excitata diximus cujusdam Doctoris Sorbonici lucubrationibus, quibus incentoribus excitata sint, probe nosti. Absit ut laudes promeritos aliqua afficiamus injuria; aut dignos vituperatione, laudibus prosequamur. Illos demum, quos* Antijansenianos *ibidem voco, ubi damnatos errores perstringunt, commendo plurimum; ubi autem damnatorum errorum insimulant Orthodoxos, nemo unus, nisi iniquus & improbus, commendabit. Recte nobis ceterisque Democriti proloquium ad mentem revocavit Stobæus:* Bona collaudare honestum est, mala vero laudibus vehere est adulterini animi, & impostoris indicium.

AD SACRAM GEOGRAPHIAM ISAGOGE.

CAPUT I.

QUINAM FUERIT JUDAICÆ REIPUBLICÆ STATUS, QUANDO IN MUNDUM CHRISTUS ADVENIT.

DE TEMPORIBUS, quantum ratio instituti nostri postulabat, pertractatum est in Prolegomenis primæ partis: nunc agendum de locis, ac primum de Judæa ob nativitatem, prædicationem, ac mortem Redemptoris nostri regionum universarum celeberrima. Constat ex supradictis tempore Natalis dominici regnasse in Judæa Herodem alienigenam & Idumæum; nempe sub Messiæ adventu sceptrum ac principatus de Juda ablatus est, quemadmodum prænunciaverat Gen. 49. 10. Jacob Patriarcha. Ubi autem Herodes sceleratam ef-

flavit animam anno Juliano 43. regnum ejus discissum, & in filios distributum fuit, postremo ipsius Herodis testamento, C. Augusti auctoritate, & Senatus consulto. Legendus Fl. Josephus lib. 17. Antiquit. cap. 10. & seqq.

ARCHELAUS itaque, qui sepulto patris corpore in Herodio Castello, 60. stadiis a Jerusalem, Arabiam versus ab ipso Herode constructo, compressisque seditiosis, qui ob dejectam Aquilam auream tumultus Jerosolymis excitaverant, Romam advenerat ut paternum regnum consequeretur; post contentiones plures Ethnarcha, id est, Gentis princeps, non autem Rex, declaratus fuit ab Augusto, regium quoque titulum ei pollicente, si hoc dignum sese præstitisset. Philippo item, qui Romam navigaverat, ut fratri, cujus res periclitabantur, adesset, assignatam ab Herode Tetrarchiam, quartam scilicet partem paterni principatus, concessit Augustus. Tetrarchiam alteram consecutus est Philippi, & Archelai frater Herodes Antipas: Salomi etiam urbes, quas frater legaverat, attributæ. Hinc intelligimus, quæ initio capitis 3. de iisdem Tetrarchiis scribit S. Lucas Evangelista.

ETHNARCHIAM Archelai constituebant Judæa, Idumæa, & Samaria; urbesque Ethnarchiæ principes fuerunt Cæsarea, Sebaste, Joppe, & Jerosolyma. Judæa proprie dicta est terra Chanaan & promissionis citra Jordanem, quam Palæstinam, Terram sanctam, & *Soriam* appellamus. Idumæa, quam hodie *Bidumi* vocant, conjungitur Palæstinæ ad meridiem, habens Arabiam ad ortum, Ægyptum ad occasum, & Sinum Arabicum ad austrum. Samaria autem inter Judæam & Galilæam in tribu Ephraim sita erat. Cæsarea maritima Palæstinæ civitas, ea est, quam olim Turrim Stratonicam, deinde Flaviam Coloniam nominarunt, intra limites dimidiæ tribus Manasse. Sebaste, id est, Augusta, a Hieronymo Sebastopolis nuncupata, a monte Samariæ, ubi ædificata fuerat ab Amri rege Israel, Samaria passim dicebatur. Joppe, Hebræis Ja-

Japha, quod nomen etiamnum retinet, urbs, & portus Judææ, in excelso saxo condita est in tribu Dan. De Jerosolymis, ne sæpe eadem repetantur, dicendum est infra.

TETRARCHIA Herodis Antipæ comprehendebat Galilæam & Peræam, tractus inter lacus Tiberiadis, & Asphaltiten, ad occasum, & ortum Jordanis. Quatuor Tribus Galilæa continebat, Aser, Nephthali, Zabulon, & Issachar. Pars Galilææ superior, tendens ad Septentrionem, est illa, quæ ab Esaia 9. 1. dicitur *Galilæa gentium.* Sunt vero Galilææ fines Mons Carmelus, Phœnicia, Jordanis & mare Magnum. Peræa, sive terra Gilead, ab Apamæa ad Macheruntem, & a Jordane ad Arabiam extendebatur. Lacus Asphaltitis idem est, ac mare mortuum, ita a bitumine, & a sale maris vocatum, inter tribum Juda, & tribum Ruben; quemadmodum lacus Tiberiadis est idem, ac mare Galilææ, & stagnum Genezareth, nunc *Tabaria*, habens tribum Zabulon ad Occidentem, & tribum Issachar ad Austrum.

CESSERE Philippo Batanæa, Frachonitis, & Auranitis cum agris nonnullis finitimis. Batanæa regio est trans Jordanem, sita in dimidia tribu Manasse, & Trachonitidi ad Aquilonem contermina. Trachonitis, quæ & tetrarchia Lysaniæ, propinquior est monti Libano & Cælesyriæ, ac protenditur usque ad mare Galilææ, seu Tiberiadis. Ibidem, scilicet in eadem tribu Manasse, & trans Jordanem fuit Auranitis, sic nominata ab Aran urbe; inter Cæsaream Philippi, & Damascum.

RELIQUA pars Herodianæ ditionis, urbesque Samaria, Azotus, & Phasælis concessæ fuerunt Salomi Herodis sorori, cui Cæsar Augustus largitus quoque est argenti signati quingenta millia, ædesque regias conditas Ascalone. Azotus autem, & Ascalon amplissimæ olim fuerunt urbes, & satrapiæ Philistinorum; Jamnia, nunc *Zania*, urbs maritima

ac portus in tribu Dan, dissita ab Azoto & Ascalone 200. stadiis. Spectabant omnes istæ urbes ad Palæstinam.

CAPUT II.

DE LOCIS, QUÆ CHRISTUS PRÆSENTIA SUA DECORAVIT.

TALIS erat, qualem nuper descripsimus, Judææ status, cum Dominus prædicationem, & redemptionis opus incepit. Superstite tamen Herode Magno natus fuerat in Bethlehem, & Archelao Ethnarchiam affecuto rediens ex Ægypto habitavit in Nazareth; ibique privatam vitam transegit usque ad annum tricesimum, & prædicationem ac baptismum Joannis.

IGITUR Christus anno U. C. 749. sive anno Juliano 41. ad finem vergente, in Bethlehem natus est, Matth. 2. 1. & Lucæ 2. 4. Dominum nasciturum in Bethlehem prænunciaverat Michæas 5. 2. dicens: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te enim mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Id testati sunt Populi scribæ, legisque interpretes, Herodi sciscitanti, ubi Christus nasceretur? necnon Judæi illi, qui Joan. 7. 42. ajebant: *Ex semine David, & de Bethlehem Castello, ubi erat David, venit Christus.* Hinc aperte refelluntur Messiam adhuc expectantes; quoniam oppidum Bethlehem a fundamentis excisum est, neque illius vestigia modo apparent. Qui autem vel Davidi, vel Elimelech, vel cuilibet alii tribuendum putant Michææ oraculum, refutantur iis verbis, *Et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Sita erat civitas Bethlehem in tribu Juda, 7. milliariis distans a Jerosolymis, Hebron versus ad austrum; & appellatur Ephrata, id est frugifera, necnon civitas David, ut distinguatur a civitate altera ejusdem no-

nominis, quæ erat in tribu Zabulon in monte præalto, vocata Bethlehem Josue 19. 15. a LXX. ibidem Βαιθμὰν, atque in libro Judith Bethulia, ob cædem Holophernis clarissima.

VIX in lucem editus Christus in Ægyptum delatus est, ut indictam ab Herode necem vitaret, & adimpleretur vaticinium Oseæ 11. 1. *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Ægyptus regis Africæ amplissima habet a Meridie Æthiopiam, ab Occasu regionem Cyrenaicam, seu Pentapolim, a Septrentrione mare Ægyptium, & ab ortu Palæstinam, Arabiam Petream, & Sinum Arabicum; id est, mare rubrum. In qua Ægypti parte Dominus, ejusque parentes moram gesserint, incertum est. Quidam cum Sozomeno putant commoratum Hermopoli: alii cum Brochardo in oppido Matarea, dissito 10. milliariis a Babylone; nonnulli cum Magino Remesse, ubi olim habitaverant filii Israel; aliqui demum recentiores Alexandriæ, ubi facilius ob florentissimam Synagogam castissimi conjuges Maria, & Joseph exercere potuissent pietatis, & religionis officia; sed, ut inquit Joannes Maldonatus in cap. 2. Matth. nemo hac in re inquirenda curiosus, & in credenda, vel affirmanda incautus esse debet.

POST Herodis obitum Christus reversus in Patriam habitavit in oppido Galilææ Nazareth, in ditione Herodis Tetrarchæ. Nazareth vero fuit *viculus Galilææ juxta montem Thabor*, inquit Hieronymus de locis Hebraicis. Geographi tradunt Nazaretham distare a monte Thabor duabus leucis, & a civitate Jerusalem itinere trium dierum. Ab illius oppidi domicilio Dominus dictus est Nazarenus, id est, sanctus, a radice נזר *separare;* qui enim sanctificantur in Dei cultum, ab hominibus quodammodo segregantur. Hinc S. Hieronymus in caput 2. Matthæi ait; *Nazaræus sanctus interpretatur: Sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat.* Scribitur tamen Nazareth etiam par Σ derivatque a radicali נצר, *ramus aut surculus:*

unde flos Hebræis dicitur *Natsìr*, atque ita de Christo intelligendum oraculum Isaiæ 11. *Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*: atque hac etymologia servata prælaudatus Hieronymus invitans per epistolam Eustochium ad loca Palæstinæ invisenda, *Ibimus* inquit, *ad Nazareth, & juxta interpretationem nominis eius, florem videbimus Galilææ.*

Diu ibidem permansit sacra Virginis Ædes, ob peractum divinæ Incarnationis mysterium, & sacræ Familiæ domicilium celeberrima & sacratissima. Imperatricem Helenam ornatissimum templum ibi excitasse, sacra adhuc æde persistente, narrat Nicephorus lib. VIII. cap. 30. Meminit ejusdem Templi S. Hieronymus præcit. opusculo de locis Hebraicis, Beda de locis sanctis cap. 16. ibique se confecisse sacrum testatur in descriptione Terræ sanctæ Jacobus S.R.E. Cardinalis de Vitriaco. Ibi etiam S. Ludovicum Francorum regem sacra Communione refectum narrant omnes ejusdem Gentis Annales. Prædicta tamen B. Virginis domus ministerio angelorum Tersactum apud Dalmatas translata fuit, sedente Nicolao IV. Pontifice maximo, an. 1291. 7. Idus Majas, inde vero in agrum Lauretanum Piceni, an. 1294. IV. Idus Decembris sedente S. Cœlestino V. Prædicto enim an. 1291. & quarto Pontificatus Nicolai, a Saladino rege Babyloniæ expugnata fuit Jerosolyma, & Christiani omnes e Syria fuerunt expulsi. Ita sacræ Domui, ad Dalmatas primum, deinde in Pontificiam ditionem, & in Ecclesiæ sinum transvectæ, divinitus provisum fuit. Perpetua populorum traditio, Benedicti XII. aliorumque Pontificum Romanorum Apostolicæ Litteræ, Blondus Flavius, aliique Historici accuratiores, ingentia miracula, lucubrationesque Canisii, Turriani, Raynaudi, Martorellii, & aliorum complurima, non sinunt nos dubitare de hujus rei veritate; quam confirmat, quidquid cum apostata Vergerio obganniant quidam Heterodoxi, magna illa frequentia populorum ad Lauretanum templum confluentium, de qua Baptista Mantuanus Carmelita lib. Agelariorum sexto:

Huc

Huc Itali, Siculique ferunt solemnia vota:
Huc fluit Epirus, fluit Illyris, accola Rheni,
Accola Danubii; venit usque a littore Narbo
Galliæ, & Isthmiacæ Spartanus ab æquore terræ.

Nunc in Palæstinam redeuntes, illic anno V. Æ. 26. Judæam post Valerium Gratum administrante Pontio Pilato, legimus cap. tertio Matthæi, Marci, & Lucæ, necnon primo, ac tertio Joannis, filium Zachariæ Joannem Baptistam prædicasse ingenti multitudini confluenti ad Jordanem Baptismum Pœnitentiæ, & Vocis parantis Viam Domini implesse munus, quod Isaias 40. 3. prænuntiaverat. In Campestribus Jordani proximis, ac præsertim in Aennon, & in Bethania præcursorem Baptistam annuntiasse Christum venturum, traditur ab Evangelista Joanne præcitatis in locis. Aennon vero in medio tribus Manasse cis flumen, non procul a Salem regia olim urbe, sita erat. Bethania autem, ab ea diversa, ubi Dominus Lazarum suscitavit, Adrichomius fuisse putat Bataneam regionem sitam in prælaudata tribu Manasse; complures innixi vetustæ lectioni pro Bethania contendunt scribendum este in Βηθαβαρᾷ Verum cum Hebraica lingua בית-עברה *Bethabora* significet locum transitus, *Bethania* autem locum navium; ad illorum opinionem accedimus, qui sentiunt utroque nomine designari Jordanis trajectum, maxime quod in Syriaco habetur, פית-עכרה הירדן, *In Trajectu Jordanis*, loco nempe percommodo cis, & ultra fluvium habitantibus, ut ad baptismum Joannis accederent.

Ubi etiam Christus baptizatus est, in desertum locum secedens, jejunavit, pugnavitque cum dæmone. Desertum illum locum inter Jerusalem, & Jericho, inter Anathot, & Galgala, nec procul a mare mortuo, constituunt sacri Geographi. Inde vero Dominus petiit Capharnaum, quam urbem suæ prædicationi potissimum destinavit, quemadmodum Bethlehem nativitati, & Jerosolymam passioni.

Matthæus cap. 4. 13. ait Capharnaum fuisse civitatem maritimam in finibus Zabulon & Nephtalim, eamque describunt Geographi ad dexteram, & occiduam ripam Jordanis, ubi influit in mare Galilææ: unde aperta sunt, quæ prædixerat Isaias cap. 9. 1. &c.

Ex hac urbe, tunc metropoli Galilææ, facillimum fuit Domino per finitimas regiones benefaciendo & sanando transire; primumque signum patravit in Cana, exigua urbe tribus Zabulon inter Carmelum, & Ptolemaidem. Bethsaide, quæ & Julias appellata est, ad ripam septentrionalem maris Tiberiadis Andream, Petrum, & Philippum vocavit, ceteris Apostolis ex eadem provincia accersitis. In montano Tractu Genesaretico oravit, docuit, ingentem turbam prodigiosa quinque panum multiplicatione satiavit. In Jericho regia olim civitate, & una ex Judæorum toparchiis, cæco lumen, Zachæo æqui rectique cognitionem impertiit. In Sichar, aut Sichem, quam & Flaviam Neapolim dixerunt, sita inter duos montes in Samaria, mulierem suosque concives de suo adventu ac missione reddidit certiores. Tabor, ubi glorioſus apparuit, erigitur in tribu Zabulon, sive in medio campo Galilææ, & est idem mons, quem Polybius Mastoim, Septuaginta autem, & Josephus τραβύριον appellaverunt. Bethania, castellum Mariæ, & Marthæ, ubi Lazarum quatriduanum suscitavit a mortuis, erat in tribu Benjamin, Orientem versus, stadiis quindecim dissitum a Jerusalem.

HANC, quam postremo commemoravi, civitatem passione sua, & peracta humani Generis redemtione Dominus consecravit. Hæc Jebus olim dicta, a Græcis Solyma, in libris Macchabæorum Jerosolyma, a Ptolomæo autem Capitolia, a Romanis Ælia, ac tandem a Turcis Cutz, regalis urbs fuit, Palæstinæ metropolis, sedesque regni Davidici, & omnium regum Juda, quos cap. 10. enumeravimus. Sita est Jerosolyma in tribu Benjamin procul a littore maris Syrii 40. mil. pass., inter

Da-

Damascum, & Babylonem, illinc 160. milliariis, hinc vero 300. distans, ab Alexandria autem Ægypti, quam Turcæ Scanderiam vocant, milliariis 400. Tanta fuit urbis hujus amplitudo, tantaque populorum ad illam concursus redeunte præsertim Paschatis solemnitate, ut obsidionis tempore in ea perierint undecies centena millia, & nonaginta septem millia capta fuerint. Etiam Augustinus serm. 204. de Temp. inquit, confluxisse Jerosolymas tricies centena millia Judæorum, idque comprobatur enumeratione victimarum, quæ sub Cestio Præside Syriæ, anno Christi 64. mactatæ fuerunt. Eversa est Jerusalem a Tito anno 2. Vespasiani, Ær. Christ. 70. die octavo mensis Septembris. Nunc parvi circuitus est, vix incolas continens decem mille, deficitque magis in dies propter Arabum incursiones.

CRUCEM subiturus oravit, & comprehensus est in horto Gethsemani 26. 36. Hoc autem Hebraico גיא-את-שמני significatur *Vallis cum oleis.* Vallem pinguissimam interpretatur Hieronymus. Ibi Junicem illam piacularem, de qua Num. 19. 5. comburere Sacerdotes consueverunt. Ibi erat & vicus ejusdem nominis, unde Matthæus vocat χωρίον Γεθσημανῆ, *Villam Gethsemani*, Joannes 18. 1. locum delineat *trans torrentem Cedron.* Græci Codices habent τῶν κέδρων, *Cedrorum*, & vallem Jerosolymis adiacentem, *locum Cedris consitum* in 6. libro de bello Judaico appellat Josephus, Putat Grotius in torrentis marginibus cedros utrinque plantatos. At judæis dicitur קדרון *Cedron*, quasi nigrescens a radice קדר, fortasse ob arborum, vallisque opacitatem. Irrigat Cedron vallem Josaphat, separatque tribum Benjamin a tribu Juda, ac in mare mortuum demergitur.

Γολγοθᾶ *Golgotha*, ubi crucifixus est Dominus, dicitur quoque ab Evangelistis Κρανίου τόπος, *Calvariæ locus*, quod ibi rei decollarentur, & supremo afficerentur supplicio. Sane Hebræi, & Syriaci caput appellitant גלגלתא, *Golgotha.* Mons ille

civitati proximus erat ad Occidentem. Ibi sepultum protoparentem Adamum plures scripserunt, a quibus non dissentit S. Hieronymus in epistola, quam ad Marcellam dedit nomine Paulæ, & Eustochii. At idem Hieronymus Commentar. in cap. 27. Matth. hanc sententiam rejicit, affirmans, primum hominem in Hebron & Arbeæ fuisse sepultum, ut legitur Josue 14. 15. Videtur tamen hic Josue locus accipiendus de homine inter *Enacim*, id est, Gigantes, maximo.

Emmaus, sive Ammaum, quo proficientibus duobus discipulis Jesus redivivus apparuit, a Luca 24. 13. distare dicitur a Jerusalem *stadiis sexaginta*. Est autem stadium 125. passuum mensura. Porro Emmaus ab Evangelista vocatur κώμη, castellum, aut pagus, a Josepho χωρίον, oppidulum, a Plinio tamen Toparchia. Emmauntem exussit Varus; Nicopolim postea dixerunt, quasi Victoriæ urbem: quod nomen etiamnum retinet, civitas pene exsisa, & Episcopalis sub Patriarchatu Jerosolymitano.

AD CÆLOS denique Salvator adscendit, ex vertice Montis Oliveti, proximi Jerosolymæ ad Orientem, torrente Cedron, de quo paullo supra, interfluente. Ibi impressa ejusdem Salvatoris vestigia tradit vetusta traditio, quam & laudant Augustinus Tract. 47. in Joannem, S. Paulinus epist. 31. ad Severum, Severus Sulpitius Hist. Sacræ lib. 2. cap. 3. Auctor libri de locis Hebraicis in Actis Apostolorum apud Hieronymum, & de Locis Sanctis apud Ven. Bedam. Atque de hac traditione nec hæsitat Casaubonus Exercit. 16. n. 154. adversus Baronium. Ipse Ecclesiasticorum Annalium Parens ad annum Christi 34. illam de impressis Domini vestigiis traditionem corroborans, animadvertit ad litteram in Christi adscensu impletum fuisse vaticinium Zachariæ 14. 4. *Stabunt pedes ejus supra montem Oliveti, qui est contra Jerusalem, ad Orientem.*

CA-

CAPUT III.

UBI POST CHRISTI PASSIONEM APOSTOLI PRÆDICAVERINT EVANGELIUM.

PRIUSQUAM ad cælum adscenderet, Christum mandasse Apostolis, ut Evangelium per universum orbem hominibus annunciarent, Matthæus, & Marcus affirmant postremo capite. Ubi ergo inbuti fuerunt virtute ex alto, & Paracleti muneribus locupletati, ab civitate Jerusalem inchoarunt Apostolicam prædicationem, adimplentes oraculum Isaiæ 2. 3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Tum sorte sibi divisisse provincias, tradit S. Hieronymus comment. in cap. 35. Isaiæ, confirmatque Socrates lib. 1. Hist. Eccl. cap. 19., quamquam Baronius ad annum Ch. 44. non sorti commissam, sed instinctu speciali Spiritus sancti divisionem illam peractam fuisse existimet. Sed potest utrumque componi, ut sorte simul, & divini Spiritus assistentia singulas sibi regiones distribuerint, ne alicuius privatæ affectionis oriretur suspicio. De eadem distributione scribit S. Leo M. Serm. 80. in Natali Apostolorum: *Duodecim Apostoli accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Evangelio mundum distributis sibi terrarum partibus susceperunt.*

AT UBINAM singuli Apostoli prædicarunt? Fidem adhibendam puto Eusebio Cæsareensi, scribenti initio lib. 3. E. H. „Thomas quidem, ut a „ majoribus traditum accepimus, Parthiam sortitus „ est: Andreas vero Scythiam. Joanni Asia obve„ nit, qui plurimum temporis in ea commoratus, „ Epheſi tandem diem obiit. At Petrus per Pon„ tum, Galatiam, Bithyniam, atque Asiam Judæis, „ qui in dispersione erant, prædicasse existimatur. „ Qui ad extremum Romam veniens, cruci suffixus

„ est

„ est capite deorsum demisso; sic enim ut in cruce „ collocaretur, oraverat. De Paulo jam quid atti„ net dicere, qui a Jerosolymis usque ad Illyri„ cum munus Evangelicæ prædicationis implevit, „ ac postremo Romæ sub Nerone Martyrio perfun„ ctus est? Hæc Origenes in tertio Volumine Ex„ positionum in Genesim disertis verbis commemo„ rat„. Hactenus Eusebius, cui consentiunt Socrates lib. 1. cap. 19. & Nicephorus lib. 2. cap. 39. & seqq. necnon lib. 3. cap. 1.

DIXI fidem Eusebio adhibendam; nam præter allatum ab ipso testimonium Origenis, S. Gregorius Nazianzenus orat. 25. inquit, Petrum in Judæa, Paulum gentibus, Lucam in Achaja, Andream in Epiro, Jo nnem Ephesi, Thomam in India, & Marcum in Italia evangelium annuntiasse. Similia scribunt S. Joannes Chrysostomus in homilia de duodecim Apostolis, S. Gregorius Magnus hom. 17. in Evangelia, & S. Isidorus Hispalensis in libro de Vita & Morte SS. c. 82.

BARONIUS ad annum Ch. 44., ubi plura narrat de Apostolorum prædicatione atque itinere, postquam luculenter demonstravit Petrum fuisse Romæ, quod nonnulli Heterodoxi temere audent negare, ex locorum traditione narrat, eumdem Petrum Neapolim Campaniæ urbem navigio fuisse delatum, & inde solventem Liburnum, & Pisas proxime positas divertisse, hic vero ex more Sacrificium obtulisse incruentum in loco, quem constat tantæ rei memoria celebrem esse, summoque honore a posteris habitum; id, quod nos experimento cognoscimus, oculisque conspicimus. Addit insignis Auctor, Andream ad Scythas missum, in Græciam quoque, & in Epirum fuisse profectum, Thraciam insuper, Macedoniam, Thessaliam, Achajam, necnon ad Sogdianos, & Æthiopas peragrasse. In describendo Philippi itinere in Asiam superiorem, monet alienum esse a vero quod scribit Isidorus paullo supra laudatus, & habetur quoque in Breviario Ecclesiæ Toletanæ, ab eodem Philippo etiam Gallos

Chri-

Christiana fide fuisse imbutos, ac repetit, quæ notaverat ad Martyrologium Romanum, pro Gallis *Galatas* esse legendum. Thomam, qui primum ad Parthos profectus fuerat, ad Indos quoque, Æthiopes, Persas, Medos, ac Brachmanos penetrasse, asserit ex Nazianzeno, Chrysostomo, ac Theodoreto. Lustratam demonstrat a Bartholomæo majorem Armeniam, Licaoniam, & Albaniam, testimonia proferens Origenis, Socratis, & Pantheni philosophi. A Simone Chananæo, qui & Judas, Mesopotamiam, Persidem, necnon Africam, & Britanniam Evangelica luce perfusas narrat, Hieronymi, Bedæ, aliorumque testimoniis laudatis. Thaddæum prædicasse in Arabia, & Idumæa refert ex libro 2. Nicephori, sciteque admonet, Thaddæum, quem ferunt missum ad Abgarum regem Edessenorum, alterum fuisse a Thaddæo Apostolo, & unum ex numero Septuaginta duorum discipulorum, ut lib. 1. H. E. cap. 13. tradidit Eusebius. Plura sunt alia in prolixa illa narratione Baronii, ex quibus hæc tantum duximus observanda.

EDITA est post Baronii obitum a Combefisio tomo 2. Auctarii ad Bibliothecam Patrum edit. Paris. 1648. Græce, & Latine Synopsis quædam sub nomine Hippolyti Martyris cum titulo, *Indiculus de duodecim Apostolis, ubinam quisque eorum prædicaverit, & ubi consummatus sit.* Hippolyto tamen Eruditi omnes eamdem Synopsim abjudicant. Et revera nulla hujus sit mentio in Catalogo Operum ejusdem Martyris, marmoreæ ipsius tabulæ insculpto, servatoque in Vaticana Bibliotheca. Cotelerius etiam in Notis ad opera Patrum, qui floruerunt temporibus Apostolicis eamdem Synopsim inter regios Codices adinvenit sub nomine Dorothei Tyri Episcopi, necnon sub nomine S. Epiphanii Episcopi Cypri. Quamquam hæc Hippolyto afficta Synopsis ab ea, quam adtribuunt Dorotheo, plurimum discrepat, ut percipient oculum in utramque conjicientes, in Synopsi autem Dorothei incerta, & dubia complura, nonnulla quoque falsa, & absurda habeantur; id tamen non evincit ejusdem furfuris eam esse,

esse, quæ sub Hippolyti nomine circumfertur. Cujuscunque vero sit pretii, eam hic exscribere, necessarium atque opportunum existimamus.

„PETRUS quidem cum prædicasset Evangelium „ in Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia, Italia, „ atque Asia, postea a Nerone crucifigitur, capite „ deorsum verso, cum ipse sic pati rogasset.

„ ANDREAS cum Scythis, ac Thracibus prædicasset, cruci affixus est Patræ in Achaja rectus „ in olea arbore, ibique sepelitur.

„ JOANNES vero in Asia a Domitiano Imperatore in Pathmos insulam relegatus, ubi etiam E„ vangelium conscripsit, & Apocalypsim vidit. „ Sub Trajano obdormivit Ephesi. Ejus reliquiæ „ cum fuissent quæsitæ, non sunt inventæ.

„ JACOBUS ejus frater prædicans in Judæa ab „ Herode Tetrarcha (scribendum erat, ab Herode „ Agrippa) gladio occiditur, ibique sepelitur.

„ PHILIPPUS prædicans in Phrygia Hierapoli „ crucifixus est, capite deorsum verso, sub Domi„ tiano Principe, eodemque loco sepultus.

„ BARTHOLOMÆUS cum Indis prædicasset, eis„ que conscriptum a Matthæo Evangelium expo„ suisset, crucifixus est, & ipse capite deorsum „ verso, Albani magnæ Armeniæ urbe.

„ MATTHÆUS cum Evangelium hebraice scri„ psisset, Jerosolymis edidit, obdormivitque Hie„ reæ Parthorum civitate.

„ THOMAS cum Parthis, Medis, Persis, Hir„ canis, Bactris, Margis prædicasset, abietina lan„ cea quatuor sui corporis partibus confossus est „ Calaminæ, quæ est urbs Indiæ, ibique sepelitur.

„ JACOBUS Alphæi prædicans Jerosolymis la„ pidatus a Judæis occiditur, illicque prope tem„ plum sepelitur.

„ JUDAS,

„ JUDAS, qui & Lebbæus, ubi populo Edeſſæ, „ ac toti Meſopotamiæ prædicaſſet, obiit Beryti, „ ac illic ſepelitur.

„ SIMON Chananæus filius Cleophæ, qui & Ju„ das, poſt Jacobum Juſtum creatus Hieroſolymo„ rum Epiſcopus obiit, ſepeliturque eodem in loco „ cum annos 120. vixiſſet.

„ MATTHIAS cum eſſet unus de Septuaginta, „ accenſetur duodecim Apoſtolis, cumque prædi„ caſſet Jeroſolymis obiit, & illic ſepultus eſt.

„ PAULUS denique poſt annum ab aſſumtione „ Chriſti adiit Apoſtolatum, incipiensque ab Hieru„ ſalem pervenit usque ad illyricum, & Italiam, „ ac Hiſpaniam prædicans Evangelium per annos „ quinque ac triginta: ſub Nerone autem amputato „ Romæ capite, illic ſepelitur.„ Hæc Synopſis Hippolyto adſcripta.

IN EA *Synopſi* alienum ac veritate arbitramur, quod Joannes Evangelium ſcripſerit in inſula Patmos, in quam a Domitiano fuerat relegatus. Scripſit enim illud Epheſi rogatus ab Aſiæ epiſcopis adverſus Cerinthum, aliosque hæreticos, qui Chriſti negabant divinitatem: ut colligimus ex Euſebio lib. 3. cap. 20. Irenæo lib. 3. cap. 1. & Hieronymo in Catalogo Script. Eccleſ. Id vero contigit imperante Nerva, qui ad principatum evectus poſt mortem Domitiani in ſuo cubiculo occiſi anno Ch. 96. XIV. Calendas Octobris, eos, qui in exilium pulſi fuerant, Senatus conſulto revocavit. Philippum paſſum Hierapoli tradit etiam S. Joannes Chryſoſtomus præcit. Hom. de XII. Apoſt. At genus mortis in hac Synopſi deſcriptum non cohæret omnino Euſebio ſcribenti in Chronico ad annum 12. Claudii, fuiſſe affixum cruci, & lapidibus inſuper obrutum. Quod hic de Bartholomæo narratur, crucifixum fuiſſe inverſo capite, legitur quoque apud Metaphraſtem, & Nicephorum; ſed excoriatum tradit vetuſtior, & communior opinio. De Pauli

autem profectione ad Hiſpanos, ut ad annum Chriſti 61. animadvertit Baronius, non eadem eſt Hiſtoricorum ſententia, quamquam nos id affirmantibus adhæreamus.

MOVET nos eximiorum Eccleſiæ Patrum auctoritas. Enimvero S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 17. de Paulo inquit: *Ab Jeroſolymis usque ad Illyricum diſſeminavit Evangelium, qui regiam quoque Romam inſtituebat, & in Hiſpaniam usque promptitudinem prædicationis extendit.* Athanaſius in epiſt. ad Dracontium ait: *Studium fuit Sancto viro, nempe Paulo, usque ad Illyricum Evangelium prædicare, nec ſegneſcere, nec omittere, quin Romam iret, & in Hiſpaniam deſcenderet, ut pro graviori labore, majore frueretur mercede laboris.* S. Joannes Chryſoſtomus hom. 76. in Matth. *Videas*, inquit *Paulum Jeroſolymis ad Hiſpanias usque currentem;* quod & repetit Præf. in Epiſtolam ad Hebræos, & Hom. 7. de Laudibus Pauli. Sanctus denique Hieronymus (non enim neceſſarium putamus ſingulos producere) in caput 5. Amos hæc habet: *Paulus Apoſtolus, quaſi turbo violentus, & ſæva tempeſtas, & tumentes maris gurgites perſequebatur, & opprimere nitebatur Eccleſiam Dei. Qui vocatus a Domino effuſus eſt ſuper faciem univerſæ terræ, ut prædicaret Evangelium de Jeroſolymis usque ad Illyricum, & ædificaret non ſuper alterius fundamentum, ubi jam fuerat prædicatum, ſed usque ad Hiſpanias tenderet, & a mari rubro, imo ab Oceano usque ad Oceanum curreret, imitans Dominum ſuum & ſolem Juſtitiæ, de quo legimus.* A ſummo cælo egreſſio ejus, & occurſus ejus usque ad ſummum ejus; *ut ante eum terra deficeret, quam ſtudium prædicandi.* Indubitatum profecto eſt, apertumque ex Epiſtola ad Rom. cap. 15. 24. & 28. Apoſtolum habuiſſe magnum deſiderium in Hiſpaniam proficiſcendi; quod arbitramur expleviſſe anno Aeræ Chriſti. 63.

INTER regiones, quas Paulus imbuit Evangelio, memoratur in Act. Apoſtol. cap. 28. 1. Melita-

insula maris Mediterranei, ad quam appulit post naufragium, sita ad Siciliæ meridiem, & olim colonia Carthaginensium, nunc Sedes Equitum Jerosolymitanorum, seu Melitensium. Conatus est tamen evincere vir eruditus Ignatius Georgius Monachus Raguſinus, non ad hanc Melitam Africanam, sed ad Melitam alteram Maris Adriatici, subjectam dominio Reipublicæ Raguſinæ, Paulum tempestate fuisse appulsum, ibique patrasse quæ narrantur præcitato capite 28. Actuum Apostolorum. Quamquam vero ætate nostra pro utraque Melita acerrime sit decertatum; videtur nobis aperte cit. cap. 28. v. 12., ubi legitur, Paulum ex illa solventem insula in navi Alexandrina Syracusam primum, deinde Rhegium, postea Puteolos, hinc vero Romam venisse, commonstrari Melitam, de qua agimus, fuisse Africanam; cum ex Dalmatina Romam profecturis istiusmodi iter longum nimis sit, & obliquum.

QUIDAM denique recentiores etiam Apostolatum S. Thomæ apud Indos aut in dubium revocant, aut oppugnare nituntur. Ajunt enim ad Indos Thomam quemdam Manichæum, non Thomam Apostolum, ut enuntiaret Evangelium, penetrasse, nec uspiam apud Geographos inveniri urbem illam Calaminam, ubi a Pseudo-Hippolyto Thomas asseritur lancea confossus; in urbe etiam Edessa a Rufino, & a Socrate Sacram Thomæ ædem, in eaque reconditus ipsius exuvias commemorari. Verum opinionem illam constantissima Patrum, quos supra laudavimus, traditione refellimus. Gregorius enim Nazianzenus Orat. 25. Hieronymus epist. 148. & Ambrosius in Psalmum 45. S. Thomæ apud Indos Apostolatum apertissime asserunt. Adde Gaudentium Brixianum serm. de Dedicat. Eccl. Paulinum Carm. 27. Theodoretum lib. 9. de Verit. Evangel. Nicephorum lib. 2. cap. 40. necnon Menologia Græcorum, Latinorumque Martyrologia. Neque traditio ista evertitur, etiamsi concedatur in Indiam post tempora Apostolorum profectum quoque fuisse Thomam aliquem Manichæum, quod ex

apocryphis Manichæorum libris fluxisse non dubitamus. Ad Calaminam quod attinet, Tillemontius pro Calamina *Calamonem* legendum putat ; at Calamon in Arabia, non in India, invenitur. Meliaporem unam esse urbem cum ipsa Calamina docent permulti ; nisi mavis Calaminæ vocabulo significari collem proximum, ubi Thomas martyrium fuerit perpessus. *Calaminthe* enim Syriaca lingua, qua interdum Christiani Sancti Thomæ uti solent, idem sonat, ac *Mons prope urbem*, aut, *Urbs in monte*, sive *in colle* fundata. Ex India Corpus S. Thomæ Edessam translatum scribit S. Gregorius Turonensis de Gl. Martyrum cap. 31. eamque translationem contigisse circa annum 232. Tillemontius, Florentinius, aliique litteris tradunt. Edessa autem solo æquata, Thomæ corpus in Insulam Chios maris Icarii, & inde Ortonam urbem Aprutii citerioris in Archiepiscopatu Teatino, anno 1258. translatum est. Non itaque S. Thomæ Apostolatus in India ob præmissas conjecturas revocari debet in dubium.

CAPUT IV.

PROSPECTUS ROMANI ORBIS, IN QUO APOSTOLI CONSTITUERUNT EPISCOPOS.

Non eadem semper fuit Orbis, quem Apostoli peragrarunt, & in quo prædicarunt Evangelium, & Episcopos constituerunt, partitio; sed alia erat imperante Cæsare Augusto, alia sub Hadriano, alia denique sub Constantino, & usque ad Arcadium, & Honorium Imperatores.

DISTRIBUTIO Augusti facta anno U. C. 726. ante Christum 28. sive, ut existimat Onuphrius Panvinius, anno proximo, *Augusto VII. & M. Agrippa Cos.* ita a Dione traditur libro 53. Romanæ Historiæ. „ Is (C. Augustus) recepta in se omni „ Rei-

„ Reipublicæ cura, negavit se omnes velle pro-
„ vincias obtinere, aut quas regendas sumsisset,
„ in perpetuum gubernare; ideoque infirmiores,
„ nimirum, quia essent pacatiores, aliis attribuit;
„ potentiores provincias, ut quæ plus periculi
„ ostenderent, ac vel hostes accolas haberent, vel
„ novos per se ipsæ motus turbare possent, sibi
„ retinuit. Id faciebat sub hac specie, ut cum Se-
„ natus tuto bonis imperii perfrueretur, ipse labo-
„ ribus & periculis objectus videretur; at sub eo
„ prætextu eum vere inermem, imbelliemque effi-
„ ciebat, & ad se solum arma militesque transfe-
„ rebat. Hac de causa Senatui populoque Africa,
„ Numidia, Asia, & cum Epiro Græcia, Dalmatia,
„ Macedonia, Sicilia, Creta, Africa Cyrenaica,
„ Bithynia cum Ponto finitima, Sardinia, atque
„ Hispania Bætica adscriptæ sunt: Cæsari autem
„ Hispaniæ quod reliquum erat, ut Tarraconensis,
„ Lusitaniaque, tum omnis Gallia, & Narbonensis
„ & Lugdunensis, Aquitaniaque, & Celtiqua (nam
„ Celtæ quidam, quos Germanos vocamus, cum
„ omnem Celticam regionem, quæ ad Rhenum est,
„ occupassent, effecerunt ut ea Germania vocare-
„ tur, superior ea, quæ Rheni fontibus propior
„ est; inferior, quæ ab hac usque ad Oceanum Bri-
„ tannicum se extendit) item Cælesyria, Phœnice,
„ Cilicia, Cyprus, Ægyptus: ex his tamen postea
„ temporis Cæsar Cyprum, & Galliam Narbonen-
„ sem populo reddidit, pro eisque Dalmatiam re-
„ cepit, quæ permutatio etiam, veluti in processu
„ operis dicam, in aliis quibusdam provinciis est
„ facta „. In hac distributione 26. Diœceses con-
stitutæ fuerunt, quarum 14. Augustus per rectores
perpetuo administravit, reliquas Senatui regendas
commisit.

EX ILLA Imperii partitione Diœceses 26. natæ fuerunt; quarum numerus paulatim immutatus est, & adauctus. Nam regnante Tiberio accesserunt Imperio Romano provinciæ duæ, id est, Cappadocia, & pars Comagenæ, nimirum Syriæ portionem illam, quam ab Euphrate Procopius, aliique Eu-

phrateſiam vocarunt : Sub Claudio Mauritaniæ duæ, Cæſareenſis & Tingitana , ambæ pertinentes ad Africam, & quarum tractum vulgo Barbariam nominamus : Sub Claudio Britannia : ſub Nerone Pontus Polemoniacus , & Alpes Cottiæ ; ille alluit eam Cappadociæ partem , ubi ſita olim erat urbs Polemonium ; hæ autem Delphinatum a principatu Pedemontano dividunt, ubi Padus fluvius decurrit. Imperium adminiſtrante Veſpaſiano in provinciam redactæ fuerunt Achaja, Licia, Rhodus, cum ceteris inſulis , atque Trajano regnante Armenia, Meſopotamia, Aſſyria, & Arabia.

IMMUTATO itaque, & confuſo priori ordine, atque ad imperium evecto Hadriano anno Chriſti 117. neceſſum fuit aliam inſtituere Romani Imperii diſtributionem. Italia in duas regiones diviſa eſt: Pars prima comprehendebat regiones a Piceno ad extrema Siciliæ, quas Sextus Rufus vocat *provincias ſuburbanas*, communius dixerunt *regiones ſuburbicarias ;* & pars altera continebat omnes citra, & cis Padum regiones cum provinciis adjacentibus, id eſt Linguria, Æmilia, Alpibus Cottiis, Etruria, Rhetiis, Venetiis, & Hiſtria. In Africa tres conſtitutæ fuerunt provinciæ, Proconſularis, Numidiæ, & Mauritaniæ : in Hiſpania item tres, Provincia Tarraconenſis, Bætica, & Luſitana: in Galliis autem quatuor, Provincia Belgica, Lugdunenſis, Aquitanica, & Narbonenſis. Ita, ne per univerſum orbem erremus, in duas provincias Britanniæ, in decem & ſeptem Illyricum, in quatuor Ægyptus, in tredecim Oriens, in ſex Thracia, in octo Pontus, & in undecim Aſia coaluerunt. Quinam vero eſſet , imperante Hadriano , ſtatus univerſi Romani Orbis, ex Appiano Alexandrino, qui ſub Trajano & Hadriano floruit, ut auctor eſt Photius , cognoſci poteſt.

NOVA rurſus diſtributio Imperii facta eſt Conſtantino Magno rempublicam adminiſtrante. Is quatuor Præfectos conſtituit. eisdem committens militarem Diſciplinam, erogationem annonæ, ampliſſi-

mam

mamque regiminis poteſtatem, adeo, ut nulla poſt Imperatoriam honorificentior dignitas haberetur. Ac primus fuit Præfectus Prætorio Orientis, cui ſubjectæ erant quinque diœceſes: prima Orientis, ſecunda Ægypti, tertia Aſiæ, quarta Ponti, quinta Thraciæ. Alter Præfectus Prætorio Illyrici, cui Macedonia & Dacia fuerunt commiſſæ, omnibus harum regionum provinciis in Diœceſes tantum duas coarctatis. Tertius Præfectus Prætorio Italiæ, ſub quo tres Diœceſes, Italiæ, Illyrici, & Africæ; ſed ex Provinciis decem & ſeptem Italiæ, ut ea numerabantur ætate, ſeptem Italiæ Vicario, & reliquæ Vicario Urbis obtemperabant. Thuſcia noſtra ſeptem prioribus accenſebatur. Quartus denique erat Præfectus Prætorio Galliarum, eique tres Diœceſes commiſſæ, Hiſpania nempe, Gallia, & Britannia.

DE HAC Imperii diſtributione ita Zoſimus lib. 2. Hiſtoriarum: „ Conſtantinus recte conſtituta „ loco movens, unum hunc magiſtratum (Præfectorum Prætorii) in quatuor imperia diſcerpſit. „ Nam uni Præfecto totam Ægyptum cum Lybiæ „ Pentapoli, & Orientem ad Meſopotamiam usque „ & præterea Cilices, Cappadoces, Armenos, „ oramque maritimam totam a Pamphylia Trapezuntem usque, & usque ad Caſtella prope Phaſidem ſita, tradidit. Eidem & Thracia commiſſa, & Myſia, Aſemi, ac Rhodopes, ac Doberi „ oppidi finibus circumſcripta. Præterea Cyprum „ adjecit, & Cycladas inſulas, Lemno, & Imbro, & „ Samothracia excepiis. Alteri Macedones attribuit, „ & Theſſalos, & Cretenſes, & Græciam, & circumjacentes inſulas, & Epirum utramque, & „ præter has Illyrios, & Dacas, & Triballos, & „ Pannonios ad Valeriam usque, & Myſiam præterea ſuperiorem. Tertio totam Italiam, & Siciliam, & circumjacentes inſulas, itemque Sardiniam, & Corſicam, & Africam a Syrtibus Cyrenem usque. Quarto Tranſalpinos Celtas, & Hiſpanos cum Inſula Britannica. „ Hæc Zoſimus.

In hac autem descriptione primo notandum est, Zosimum iniquo erga Constantinum fuisse animo, ut in Vita eiusdem Constantini demonstravimus; ideoque neminem movere debet, quod Historicus ipse ait, immutata fuisse a Constantino, quæ a majoribus recte fuerant constituta. Deinde sciendum est, ante Constantinum duos constitutos fuisse Præfectos ab Imperatore Commodo, postquam is occidit Perennem Prætorio Præfectum, ut scribit Herodianus, nec Zosimus præcitato 2. libro Historiarum diffitetur. Advertendum præterea non fuisse perpetuam Constantinianam illam distributionem; nam Valentinianus Senior adscisens in consortium imperii Valentem Fratrem suum, huic Orientem ad Ægyptum usque & Bithyniam commisit, sibique reservavit Illyricum, Italiam, Hispaniam, Britanniam & Africam universam, ut scribit Sozomenus lib. 4. Hist. cap. 6. assentientibus Zosimo, & Theodoreto. Idem præstitit Gratianus assumens ad imperii consortium Theodosium; ac Theodosius ipse cum Arcadio, Arcadius cum Honorio consimili ratione se gesserunt. Post irruptionem autem Gothorum & Vandalorum, aliarumque barbararum gentium, post scissionem, ac translationem imperii, ac post cruenta Saracenorum bella, quanta fuerit Orbis permutatio, vicissitudo, ac divisio, quantaque humanarum omnium, divinarumque rerum perturbatio & confusio, nostrum non est enarrare, qui stantis dumtaxat, & florescentis imperii rudem quamdam formam, prospectumque delineandum suscepimus.

CAPUT V.

DE LOCIS, UBI APOSTOLI EPISCOPOS CONSTITUERUNT.

Peragrantes Apostoli orbem in urbibus locisque præcipuis Episcopos, qui Christianam regerent plebem, eamque doctrina monitisque saluberrimis

rimis imbuerent, provide sollerterque constituerunt. Eosdem Episcopos jure & institutione divina presbyteris antecellere, non Cleri dumtaxat ordinatione, eodemque pacto, quo electus a militibus imperator præest exercitibus, alibi adversus Salmasium, Blondellum, ceterosque Presbyterianos demonstratum est multiplici genere argumentorum. In vicis autem, parvisque oppidis presbyterum quidem unum, & parochum, non Episcopali decoratum honore, priscis quoque seculis, fidelium populorum regimini destinatum, intelligimus ex canone sexto Sardicensi, in quo habetur, *Non licere Episcopum constituere in aliquo pago, vel patria urbe, cui vel unus presbyter sufficit: non necesse est enim illic Episcopum constitui, ne Episcopi nomen & auctoritas vilipendatur.* His similia leguntur canone 57. Laodiceno, & in epist. 87. S. Leonis Magni ad Episcopos Mauritaniæ. Quare in vicis pagisque cœperunt primum Episcopos collocare hæretici ad ostentandam ecclesiarum suarum amplitudinem, quemadmodum in Collatione Carthaginensi objecit Donatistis S. Alipius Tagastensis: ac de Cataphrygibus, Montanistis, & Novatianis scribit lib. 7. H. E. cap. 19. Sozomenus.

IGITUR Apostoli in urbibus saltem præcipuis sacros locarunt Antistites, quos Episcopos nominamus. Jerosolymis statim post Domini passionem ab Apostolis creatum fuisse Episcopum Jacobum ipsius Domini fratrem, cognomento justum, tradunt S. Clemens Alexandrinus lib. 6. Institutionum, Eusebius lib. 2. H. E. cap. 1. necnon S. Hieronymus de Script. Eccl. Polycarpum a Joanne Apostolo & Evangelista consecratum fuisse Episcopum Smyrnæ urbis maritimæ Joniæ, sive Asiæ minoris, scribunt prælaudati Eusebius, & Hieronymus, necnon Irenæus lib. 3. cap. 3. ac Tertullianus de Præscript. capite 32. Ab eodem Joanne alios per Asiam constitutos Episcopos constat ex libro Apocalypsis, ubi angelos septem Ecclesiarum alloquitur. Timotheum relictum fuisse a Paulo Episcopum Ephesiorum testatur Eusebius lib. 3. cap. 4. neque obscure id colligitur ex priori ad eumdem Timotheum epi-

ſtola 1. 3. Titum pariter relictum Cretæ, quæ eſt inſula maris Mediterranei adjacens Peloponneſo, ut ea, quæ deerant, corrigeret, & conſtitueret per civitates presbyteros, ipſomet Paulo ſcribente (ad Titum 1. 5.) didicimus. Ex Eccleſiaſtica autem Hiſtoria accepimus a Barnaba inſtitutam, & aliquandiu rectam nobiliſſimam Eccleſiam Mediolanenſem: Dionyſium Areopagitam fuiſſe Epiſcopum Athenienſium, in clariſſima nempe Græciæ urbe, & metropoli Atticæ: Epaphroditum Epiſcopum Philippenſium in Macedonia: Epaphram Coloſſenſium in Phrygia: Publium Melitenſium in inſula naufragio Pauli clariſſima: Hermagoram Aquilejæ Carnorum olim metropolis, nunc pæne exciſi oppiduli. Ita *per omnes provincias* (verba ſunt Cypriani epiſtola 52. ad Antonianum) *& per urbes ſingulas ordinati ſunt Epiſcopi in ætate antiqui, in fide integri, in preſſura probati, in perſecutione proſcripti.*

APOSTOLORUM ætate Epiſcopos Etruriæ etiam noſtræ conſtitutos fuiſſe non dubito. In hac autem vetuſtiſſima Piſarum urbe quisnam primus omnium Paſtor extiterit, divinare non auſim, quamquam in Italia Sacra enumeretur S. Perinus diſcipulus Principis Apoſtolorum; de quo monimenta Eccleſiaſtica deſiderantur. Sed cum eſſet eadem civitas Romanorum colonia, ſitu, amplitudine, & incolarum numero clara, ſedes quoque Prætorum, qui jus dicebant Etruriæ; & huc appulerit prælaudatus Apoſtolorum Princeps Romam verſus progrediens, ad litus, ubi nunc conſpicitur S. Petri ad gradus Eccleſia, conſiſtente navigio: quod & vetus habet traditio, & Eccleſiaſticis Annalibus inſeruit Cæſar S. R. E. Cardinalis Baronius ad annum 44. pag. 310. Vaticanæ editionis; non procul a vero exiſtimamus aliquem hic conſecratum Epiſcopum, qui occulte ſaltem naſcenti Eccleſiæ præeſſet. Si tamen ad certa confugiendum ſit monumenta, nullum Piſis ſediſſe Epiſcopum invenimus ante Gaudentium; quem ex lib. 1. S. Optati Milevitani contra Parmenianum. ſcimus interfuiſſe Romano Concilio Miltiadis,

tiadis, celebrato in Causa Cæciliani & Donati anno 313. VI. Nonas Octobris apud Lateranum in domo Faustæ.

AD TEMPORA quoque Apostolica referunt initia Episcopatus Patriæ suæ Florentini Scriptores, quorum alii Frontinum, alii Romulum fuisse primum Episcopum Florentiæ contendunt. Sane Romulum æquo jure sibi vindicant Fesulana, Pistoriensis, & Volaterrana, nec non Brixiensis, & Bergomensis Ecclesiæ, quod fortassis urbibus hisce singulis Romulus annuntiaverit Evangelium. Sed Fesulis tandem Romulum consedisse, ibique Domitiano imperante coronatum fuisse martyrio, tradunt cum Romano Martyrologio ad diem 6. Julii Scriptores ibidem a Baronio in Adnotationibus laudati. Nos vero neque Fesulanæ urbi, licet excisæ ac dirutæ, glorioſissimum hunc Episcopum, neque Romulo martyrii coronam, de qua docti viri nuperrime disceptarunt, audemus temere denegare. Commendamus pariter Pistoriensium civium pietatem, propterea quod memores se a Romulo accepisse primæ fidei Catholicæ Rudimenta, infantes lustralibus aquis expiando iisdem una cum peculiari aliquo nomine commune Romuli nomen imponere antiquissima Majorum suorum traditione consueverunt.

QUID autem de Virginis civitate Senensi? Hanc & suum ab Ecclesiæ incunabulis habuisse Pastorem, & Christi religionem suscepisse opera Martialis discipuli S. Petri, nonnulli litteris tradiderunt. At Martialem Lemovicensium in Gallia Episcopum, non Senensium in Etruria, Ecclesiastica Historia commemorat. Senenses ipsi imbutos se fide gloriantur ab Ansano juvene nobilissimo, & invictissimo martyre; quem Senas advenisse putamus anno 12. Diocletiani, Christianæ Aeræ 295. Apud Optatum præcit. lib. 1. pag. 25. & tom. 1. Concil. pag. 1403. legimus Concilio Miltiadis adfuisse Florianum, quem aliqui Senarum, aliqui Cæsenæ faciunt Antistitem; ante Florianum vero commemoratur Senensium Episcopus Lucifer.

PERPETUA & constans Lucensium traditio docet, primum Lucæ Episcopum fuisse S. Paulinum, Antiochenum genere, & S. Petri discipulum, qui ad radices Pisani Montis (S. Juliani appellitant, ubi saluberrima balnea amplioribus in dies exornata ædificiis) martyrium consummavit, ut Lucensis Ecclesiæ acta, Martyrologia ad 12. diem Julii, collecta a Florentinio, Etruscam Pietatem describente, monumenta, atque innumeri Historici contestantur. Ex quibus apertum est, quod erat capitis hujus propositum, cum in Etruriæ partibus, tum in ceteris Orbis terrarum regionibus Apostolos suamet, aut discipulorum suorum opera Evangelium disseminantes, in civitatibus saltem præcipuis, constituisse virum aliquem probatæ fidei, ac doctrinæ, qui Episcopali munere fungeretur.

CAPUT VI.

QUINAM INTER EPISCOPOS APPELLATI SINT METROPOLITANI, PRIMATES, ARCHIEPISCOPI, ET EXARCHI, VEL PATRIARCHÆ.

Ad nominum etymologiam quod attinet, quid titulus hujus capitis proponat, obvium est, ac perspicuum. Ut enim Metropolim urbem illam appellamus, quæ est μητρόπολις, civitas nempe, caput, & quasi mater cæterarum ejusdem provinciæ; ita μετροπολίτης *Metropolitanus* Episcopus ille dicitur, qui præest primæ alicujus provinciæ urbi; quamquam Metropolitani nomen quibusdam etiam concessum legitur, quorum sedes minime in urbe primaria degebat, ut Nicæno, Chalcedonensi, Nicomedienſi, & Berytensi. Idem olim *Primas* erat, ac Metropolitanus; sed postea obtinuit, ut *Primates* vocarentur præcipuarum quarumdam Sedium Epi-

Episcopi, ut in Africa senior cujuslibet Provinciæ Antistes, in Galliis Lugdunensis, apud nos vero Pisanus Archiepiscopus. Idem fere ac *Primas* significat ἔξαρχος, quasi Caput, ac princeps. Exarchum enim canone 9. Concilii Chalcedonensis, quo definitur, ut Clericus habens adversus Metropolitanum querelam, petat Primatem diœceseos, frui jure quodam ampliori compertum est. In eodem autem Concilio *Exarchi* vocantur Episcopi Ephesinus, Cæsareensis in Cappadocia, & Heracleensis in Thracia: eodemque nomine condecorati postea sunt Ancyranus, Cizicenus, Sardensis, aliique complures. *Patriarchæ* item nomen non aliam habet, quam *Primatis* & *Exarchi* vocabula, significationem, tametsi peculiari quadam ratione Patriarchæ dicantur, præter Romanum Pontificem, Præsules Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus. *Archiepiscopi* autem nomen, licet idem sonet, ac inter Episcopos Primarius, latius nunc patet, pluribusque in eadem quoque provincia invenitur esse commune. Nil ergo, quod ad nomina attinet, ingerit nobis modo difficultatem.

SUBOBSCURUM est tamen, & in controversia positum, cur, & quomodo Metropolitica dignitas fuerit instituta. Nam Petrus de Marca lib. 6. Concordiæ Sacerdotii & Imperii cap. 1. ait Apostolos, quum Ecclesias distribuerent in provincias, in animo habuisse, ut in his corpus Episcoporum statueretur sub præsidentia Episcopi metropoleos. Institutos ergo putat vir doctissimus Metropolitanos Episcopos ab Apostolis. Atque ad hoc demonstrandum primo ait, Paulum scripsisse ad Titum, se illum reliquisse Cretæ, ut constitueret per civitates *Presbyteros*, id est, Episcopos, ut Joannes Chrysostomus, Hieronymus, aliique veteres interpretantur. Addit pari ratione Joannem constituisse in Asia corpus Episcoporum, quorum primarius erat Ephesinus, ut constat ex priori capite Apocalypsis: Apostolum item Paulum suam ad Ephesios scripsisse Epistolam, quod Ephesus esset Asiæ metropolis, unde facile

facile poterant ad subjectos Episcopos Apostolica instituta transmitti ; Epistolam quoque scriptam a Paulo ad Corinthios, atque ad Thessalonicenses alteram, quoniam Corinthus, ut Florus adnotavit, erat metropolis Achajæ, Thessalonica autem metropolis Macedoniæ. Animadvertit idem Auctor, consilium istud non latuisse Tertullianum, qui in libro de Præscriptionibus provocans hæreticos ad Traditionem Ecclesiarum Apostolicarum ait : *Proxima est tibi Achaja ? Habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est.* His Petrus de Marca evincere studet institutionem Metropolitanorum factam esse ab Apostolis ; qui tamen in sua provinciarum distributione animum intenderunt in eam civitatem, quæ caput erat provinciæ, propterea quod, ut habetur canone 9. Antiocheni Concilii, *ad metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrunt.*

AT non desunt, qui existiment nullam ab Apostolis factam institutionem Metropolitarum, sed eos Episcopos Metropolitanos suomet jure fuisse, qui primariis civitatibus, a quibus reliquæ pendebant, fuerant præpositi, spectata Romani imperii in provincias distributione, & civilis regiminis forma, non attenta Hierarchia, Apostolico instituto firmata. Suadere id conantur, propterea quod canone 6. Nicæno definitum sit, in Ecclesiarum præeminentia servandam *antiquam consuetudinem :* ex quo inferunt, ex consuetudine, non ex institutione Apostolica, pendere ampliores Episcopatuum prærogativas. Addunt canone 7. concessam dignitatem honoris, *salva metropolis præeminentia*, Episcopo Aeliæ, id est, Jerosolymorum, non alia ratione, nisi quia metropoli Judæorum per Titum eversa, in metropolim electa fuerat Cæsarea. Inquiunt, actione 4. Chalcedonensis Concilii de Jure metropolitico litigasse Photium Tyri, & Eustathium Episcopum Beryti, quoniam Berytus metropolis declarata

rata erat reſcripto Theodoſii: atque actione 13. jus metropoliticum vindicatum fuiſſe Antiſtiti Nicomedienſi adverſus Nicænum, eo quod Nicomedia metropolis olim fuerit. Aſſerunt præterea canone 17. ejusdem Synodi Chalcedonenſis ſanciri, ut ſi qua civitas poteſtate Imperiali innovata eſt, aut ſi proinus innovetur, civiles diſpoſitiones, & publicas, Eccleſiaſticarum quoque parochiarum ordines ſubſequantur. His itaque, aliisque pluribus munimentis, quæ differt. 1. de antiqua Eccleſiæ diſciplina collegit Ellies Dupinus, contendunt quidam evincere, a civili regionum provinciarumque partitione, non ab Apoſtolica, aut a divina inſtitutione Metropoliticam dignitatem fluxiſſe.

ARRIDET nobis ea ſententia, quæ tenet metropoles civiles evaſiſſe quoque metropoles Eccleſiaſticas ex inſtituto Apoſtolorum, adeo, ut urbe aliqua ad metropoliticum honorem evecta, Epiſcopus ejusdem urbis Metropolitani adeptus ſit jura, quoniam Apoſtoli illos metropolitas eſſe conſtituerunt, qui præeſſent primariis & amplioribus civitatibus. Nam Apoſtolos habuiſſe ipſarum civitatum rationem haud obſcure colligitur ex præcitato canone 9. Synodi Antiochenæ: Per ſingulas regiones Epiſcopos convenit noſſe, *Metropolitanum Epiſcopum ſolicitudinem totius provinciæ gerere, propter quod ad metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrunt. Unde placuit eum, & honore præcellere, & nihil amplius præter eum ceteros Epiſcopos agere ſecundum antiquam a Patribus noſtris regulam conſtitutam.* Canon autem iſte editus anno 341. antiquam Patrum conſtitutionem commemorans, non aliam utique innuit, quam ab Apoſtolis derivatam; ſiquidem inſtitutionis, atque conſuetudinis, cujus nulla alia adinvenitur origo, ad Apoſtolorum auctoritatem, ac traditionem, initia referenda eſſe & ratio ipſa, & communis perceptio demonſtrat. Quum inſuper Apoſtoli conſtituerint per civitates Epiſcopos, ut Epiſtola ad Corinthios ſcribit Clemens Romanus, & nos oſtendimus ſuperiori cap. 21. inveriſimile prorſus eſt, nullum inter

ipſos

ipſos Epiſcopos ſtatuiſſe diſcrimen, nec prævidiſſe, quomodo ſubortis diſſidiis, graſſantibus hæreſibus, & ipſorum Epiſcoporum aliquo commiſſam ſibi Eccleſiam deſerente, oportebat, ut unus præeſſet ceteris, qui contentiones ſedare, errores avertere, epiſcopum alterum conſecrare, proximiores convocare ad Synodum poſſet, ampliori aliqua auctoritate ſuffultus. Dupinii vero momenta, quamquam ex his corruunt, & eliduntur, feliciter dirimit tom. 2. Antiq. Eccl. diſſert. 4. Emmanuel a Schelſtrate.

JAM vero cum Apoſtoli in iis civitatibus conſtituerint Metropolitanos, quæ primariæ erant, ceterarumque metropoles; facile inveniemus Apoſtolicorum & ſubſequentium temporum Metropolitas, ſi illarum diœceſeon, quas memoravimus cap. 20. agentes de Romani Imperii diſtributione, ampliores illuſtrioresque urbes, quibus reliquæ ſubjiciebantur, ſedulo inveſtigabimus. Diximus Præfecto Orientis quinque ſubjectas fuiſſe diœceſes, imperante Conſtantino, qui priorem Auguſti, & Hadriani partitionem paullulum immutavit. Itaque diœceſeon quinque Præfecto Orientis ſubjectarum Epiſcopi illi erant Metropolitæ, qui præerant ſingularum provinciarum metropoli, ſcilicet in provincia Syriæ, Apameæ, & Antiochiæ; in Palæſtina quæ ſubinde in tres alias provincias diviſa fuit, Cæſareæ, Scytopolis, & Jeruſalem; in Phœnicia Tyri, & Damaſci; in Cilicia Tarſi, & Anazarbi; atque ita de aliis provinciis, cum in ea diœceſi, quæ Orientis dicta eſt, tum in diœceſibus Ægypti, Ponti, Aſiæ, & Thraciæ; ac pari ratione de aliis provinciis diœceſeon præfectis Illyrici, Italiæ, & Galliæ, ſubjectarum.

UT DE Italia nonnulla dicamus, quum alius fuerit Vicariatus urbis Romæ, alius autem Vicariatus proprie dictus *Italiæ*, atque illi decem, huic ſeptem provinciæ ſubjicerentur; certum eſt Romam fuiſſe metropolim primi Vicariatus, ſub quo conſtitutæ erant Tuſcia & Umbria, Campania, Sicilia,

lia, Apulia & Calabria, Lucania & Brutia, Picenum suburbicarium, Samnium, Valeria, Sardinia & Corsica: Mediolanum autem fuisse metropolim Vicariatus Italiæ, cui subjiciebantur Liguria, Æmilia, Flaminia, seu Picenum Annonarium, (*) Venetiæ, (quibus postea accessit Istria) Alpes Cottiæ, & utraque Rhetia. Quare inter Metropolitanos Italiæ Episcopos, præter Romanum, qui habet in Universa Ecclesia primatum, antiquis temporibus sublimiorem locum tenuit Mediolanensis.

SUNT, qui arbitrantur Siciliæ Episcopos, etiam ante Constantini ætatem, paruisse Metropolitæ Syracusano, quem a sede Apostolica ordinari *juxta Traditionem Apostolicam*, asseruit Nicolaus I. Romanus Pontifex; idque asserunt, quoniam in Synodo I. Arelatensi priori loco invenitur subscriptio *Chresti Episcopi ex civitate Syracusanorum provinciæ Siciliæ.* Sed ex Epistola 11. lib. 7. S. Gregorii Magni inferunt viri eruditi, nondum Syracusanum antistitem tempore ipsius Gregorii inter Metropolitanos fuisse adscitum, atque hanc ei dignitatem accessisse opinantur, ex quo a Romana diœcesi Syracusæ fuerunt avulsæ, & Trono Constantinopolitano subjectæ, ut refert in *Notitia Patriarchatuum* Nilus Doxapatrius. Ante Gregorium tamen in vicariatu Romano fruebatur in Sardinia jure Metropolitico Episcopus Calaritanus, prout constat ex Epistola S. Athanasii ad solitariam vitam agentes, & ex Theodoreto lib. 2. H. E. cap. 12. necnon Episcopus Ravennas, quem a tempore saltem Leonis Magni fuisse Metropolitanum demonstratur ex Sermone 175. S. Petri Chrysologi ejusdem Sedis antistitis.

(*) Picenum Annonarium, quamvis parebat Vicario Italiæ, spectabat tamen ad Metropolitam Romanum, ut demonstrat Norisius dissert. de Syn. v. cap. 10. unde constat jurisdictionem Ecclesiasticam non esse omnino conformem Civili Regimini. Vide Noris. tom. 1. pag. 755.

ſtitis, qui eo in ſermone jus ſuum Metropoliticum vindicat, ac tutatur. Facta eſt autem Ravenna metropolis imperante Valentiniano, qui anno 364. diviſo imperio cum Valente, in Occidentem conceſſit, & in ea urbe ſedem locavit. Eccleſia etiam Aquilejenſis circa Damaſi tempora dicitur aſſecuta Metropoliticam dignitatem; qua procul dubio carebat anno 347. cum Protaſius Mediolanenſis eſſet *Metropolitanus Italiæ*, ut colligitur ex ſubſcriptionibus Metropolitarum ad Synodum Sardicenſem celebratam eodem anno. Sane ex quo Epiſcopus Mediolanenſis dictus olim fuerit Metropolitanus Italiæ, magna temeritate & ignorantia quibusdam hæreticis præponitur Romano Pontifici, cum ex antiqua Imperii diſtributione Vicariatus Italiæ eſſet a Vicariatu Romæ diverſus.

IN AFRICA, ubi ab Hadriani temporibus uſque ad ætatem S. Cypriani certum eſt tres extitiſſe provincias, *Africæ* nimirum proprie dictæ, ſeu provinciam Proconſularem, & *Numidiæ* ac *Mauritaniæ*, antiqua viguit conſuetudo, ut provinciæ proconſularis Primas & Metropolita ſemper fuerit Epiſcopus Carthaginenſis: quemadmodum Metropolitico jure functum fuiſſe prælaudatum Cyprianum colligimus ex Synodis Africanis ab eodem celebratis anno 255. & 256. in cauſa rebaptizantium, eoque jure potitum Agrippinum, qui circa annum 215. regebat ipſam Carthaginenſem Eccleſiam, conſtat ex Cyprianica Epiſtola 73. ad Jubajanum, atque ex Auguſtini libro 2. de Baptismo contra Donatiſtas cap. 8. In provinciis autem Mauritaniæ, & Numidiæ ille Epiſcopus Metropolita dicebatur, qui ſenior erat in Epiſcopatu: ſiquidem Cypriano vivente Numidiæ metropolitanus fuiſſe invenitur Novatus Thamugadenſis, tempore Cæciliani Secundus Tiſigitanus, & ætate Auguſtini Xantippus Tagorenſis. Quamobrem ex conſuetudine potius Eccleſiaſtica, quam ex civili provinciarum diviſione, ut ſupra dicebamus, Metropolitica dignitas eſt repetenda. Partitio itaque Africæ in ſex provincias, quas memorat Sextus Rufus in Breviario ad Valentinianum Auguſtum,

gustum, commonstratque Constantinus Magnus in Epistola ad Ablavium, auctorem habet ipsummet Constantinum. Sed de Ecclesiastica Africæ Geographia legendi Norisius initio Historiæ Donatistarum, & lib. 2. Hist. Pelag. cap. 8. auctoresque Additionum ad libros Optati posteriorum editionum.

HISPANIA itidem constabat olim provinciis tribus, teste Solino in Polyhistore cap. 26. & parum absimilis erat, in quatuor nempe provincias, Galliarum partitio, de qua supra cap. 20. sub Constantino tamen sex divisæ fuerunt Hispaniarum provinciæ, unde totidem Metropolitanæ Ecclesiæ natæ sunt, Narbonæ, Bracaræ, Tarraconæ, Hispalis, Emeritæ, Toleti. In Galliis vero antiquiores Metropolitani fuerunt, in provincia Belgica Trevirensis, in Lugdunensi Lugdunensis, in Narbonensi Arelatensis, & in Aquitanica Bituricensis. At Arelatensis habuit cum Viennensi Episcopo de jure primatus contentionem magnam, ac diuturnam. Celebre est de hoc jure dissidium inter S. Hilarium Arelatensem, & Projectum ac Celidonium provinciæ Narbonensis Episcopos, quos ille e sede dejecerat. Verum S. Leo Magnus Hilarii acta reprehendit, litemque illam dirimere studuit, civitatibus oppidisque provinciæ partim Arelatensi, partim Viennensi Episcopo attributis; quam definitionem confirmavit Symmachus epistola 9. ad Antistites Galliæ.

RESTAT, ut de jure Metropolitarum pro intelligentia eorum, quæ dicta sunt, adjiciantur perpauca. Si ad antiqua jura animum convertamus, pollebant olim Metropolitani in alios provinciæ Episcopos jurisdictione, sive loquamur de causarum appellationibus, sive de visitatione diœceseon, sive de convocatione Synodi Provincialis. Ob jurisdictionem illam, quam memoravimus, poterant absolutionem impendere excommunicatis ab aliquo Episcopo Suffraganeo, hujusque in collationibus beneficiorum, & institutionibus negligentiam supplere; & vacante Episcopatu, ac diœceseos admi-

nistrationem negligente Capitulo, delegare visitatorem aliquem idoneum, aptumque regimini: quod etiam in 1. decretalium, & in Sexto, tit. *de Supplenda negligentia Prælat.* legitur innovatum. Canones tamen Metropolitanis inhibent sine comprovincialium Episcoporum consilio alienas agere causas, prout legitur in Decreto IX. Q. 3. Ad dissensiones quoque tollendas jus visitandi Provincialium diœceses a Tridentina Synodo Sess. 24. cap. 3. de Reform. coarctatum fuit ad causam aliquam cognitam, & in Concilio provinciali probatam. Ipsum provinciale Concilium, quod singulis annis juxta canonem 5. Nicænum, & 14. Chalcedonense bis olim convocabatur, ipsa Tridentina Synodo definiente 2. cap. præcit. Sess. quolibet Triennio debet a Metropolitanis indici. Metropolitarum denique jus est Pallio uti in tota provincia præscriptis diebus, atque coram, & ante se facere elevatam crucem gestari. Verum id est etiam Archiepiscoporum privilegium: imo Pallium quibusdam Episcopis concessum legitur, ut Augustodunensi, epist. 3. lib. 7. S. Gregorii Magni, Quinqueecclesiensi in Pannonia, sive Hungaria, de quo Cap. penult. *de Præsumpt.* Ticinensi, cujus amplissima privilegia connumerat Benedictus XIV. in Apostolicis litteris, quarum vigore ipsi Ticinensi conjunxit Archiepiscopatum Amaseæ urbis Cappadociæ, & metropolis Helenoponti; Arretino demum, ne Etruriam nostram prætermittamus, Clementis XII. privilegio. Verum de Metropolitanis dictum satis.

CAPUT VII.

AGITUR DE PATRIARCHIS, AC PRIMUM DE ROMANO, EIQUE SUBJECTIS ECCLESIIS SUBURBICARIIS.

QUINAM Episcopi Patriarchæ dicantur, & quinam inter Patriarchas habeantur celebriores, diximus

diximus capite præcedenti. Asserimus modo tres olim fuisse Patriarchas, Episcopum Romanum: Alexandrinum, & Antiochenum, quemadmodum tres urbes fuerunt sedes Imperii, Roma, Alexandria, & Antiochia. Patriarchis enim, adinstar regum, multas subesse Provincias, canonum, & legum auctoritate demonstrat JCC. in caput *Cum cetera*, De electionibus. Illustria habentur de tribus hisce Patriarchis testimonia in Synodo Romana celebrata anno 494. sub Gelasio, Nicolai I. ad consulta Bulgarorum num. 92. Hincmari Rhemensis in Opusculo 155. capitum num. 16. & Isidori lib. 8. Etymolog. cap. 12. Contendit Launojus, ante quartum seculum nullos fuisse in Ecclesia Patriarchas, horumque nomen fuisse prorsus inauditum. De nomine id quidem fatemur: cœperunt enim Patriarchæ nominari sub tempore Synodi Chalcedonensis: sed quantum ad rem attinet, constat antiquissima Patriarcharum institutio ex canone 6. Nicæno, quo ex vetusta consuetudine asseritur Episcopo Alexandrino jurisdictio & potestas in Ægypto, Lybia, & Pentapoli. Atque prædictum canonem de Patriarchis intellexere Joannes Scholasticus, Zonaras, Balsamo, Petrus de Marca, necnon Innocentius I. & Synodus VIII. Act. 10. ut adversus Launojum demonstrat Henricus Valesius libro 3. Observationum Ecclesiasticarum in Socratem, & Sozomenum. Sed nulla alia probatione eget veritas, quum illum Patriarcham dicamus, qui pluribus provinciis præsit, eamque præeminentiam prædictus Nicænus canon tam aperte vindicet Episcopo Alexandrino.

ID VERO, quod de institutione Metropolitarum repetenda ab Apostolis superiori capite dictum est, asserendum de Patriarchis; quorum dignitatem non derivare ab his, qui Ecclesias fundarunt, ac primi rexerunt, putat se invicto argumento demonstrare auctor Operis de antiqua Ecclesiæ disciplina, propterea quod permultas Apostoli instituerunt & gubernarunt Ecclesias, quæ tamen nec sunt, nec unquam fuerunt sedes Patriarchales; ut

Corinthus, Ephesus, Thessalonica, Philippi, quas Tertullianus in libro de Præscript. vocat *Ecclesias Apostolicas*. Imo, inquit, nec Jerosolyma, in qua Christus habitavit, & in qua non modo Petrus, sed & ceteri sederunt Apostoli, Patriarchalis fuit in primis Ecclesiæ seculis; & contra Patriarchalis semper fuit Alexandrina, quam non Petrus fundavit, sed Marcus; atque ad Patriarchatus dignitatem evecta postmodum est Ecclesia Constantinopolitana, honorem consecuta, pro certe caruit temporibus Apostolicis.

VERUM fracta hæc, & infirma sunt admodum, quippe nemo adeo desipit, ut Patriarchatus dignitatem deferat Ecclesiis singulis, quas Apostoli instituere; sed eas dicimus frui ejusmodi prærogativa, quibus hanc iidem Apostoli contulerunt; habita quidem ratione illarum urbium, in quibus sedes erat imperii; atque non ad primævum, & Apostolicum institutum, sed propter causas inferius narrandas, Patriarchali jure donata fuit regia Civitas Constantinopolis. Nam Jerosolyma, & civitates aliæ, quarum sedes posterius dicta est Patriarchalis, appellationis potius honorem, quam rem, & quidem Ecclesiastico, non civili jure, sunt assecutæ.

ERGO Patriarchalium Ecclesiarum auctoritas a solo Petro, ejusque successoribus Romanis Pontificibus ortum duxit. Quod, præter ea, quæ diximus cap. præcedenti, munimenta alia demonstrant. Roma enim, definiente Gelasio in Synodo Romana, quam paullo supra laudavimus, habet primam Sedem Patriarchalem, quoniam ibi Episcopatum tenuit Petrus princeps Apostolorum. Alexandria secundum locum inter Patriarchales obtinuit, quia nomine ipsius Petri a Marco ejus discipulo, & Evangelista fuit instituta; ac tertia sedes adtributa Antiochiæ, non tam pro civitatis magnificentia, quam quod illic sedit Petrus, antequam Romam veniret, ibique nomen accepit Christiana religio. Nec verum est, quod de Jerosolyma ait præcita-

tus

tus auctor Operis de Antiq. Eccl. Discipl. nempe Dupinius, ibi Petrum sedisse cum Apostolis ceteris, si de Sede Episcopali loquamur, non de mora, & quorumdam annorum habitatione; quum certissimum sit, primum Jerosolymorum Episcopum fuisse Jacobum, non Petrum: Neque ex eo tantum Episcopus Constantinopolitanus adeptus est dignitatem Patriarchalem, quod in ea Sedem imperii fixerit Constantinus; sed quoniam hujus Sedis, ac præsertim religiosissimi principis intuitu, hunc illi honorem detulerint, repugnantibus tamen legatis S. Leonis Magni, quidam Synodi Chalcedonensis Antistites. Quare S. Gelasius in epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ irridens illorum sententiam, qui ajunt Patriarchatus honorem derivasse a politica urbium dignitate, simulque redarguens ambitionem Acacii, *Risimus autem* (inquit) *quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia Episcopus fuerit regiæ civitatis. Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, apud Sirmium, apud Treviros multis temporibus non constitit Imperator? Numquidnam harum urbium Sacerdotes, ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam, quidpiam suis dignitatibus usurparunt?*

PRIMUS itaque omnium Patriarcharum est Romanus Episcopus, quia, ut scribit Gregorius Magnus epistola 37. libri 6. *Cum multi sint Apostoli pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principi, Sedes in auctoritatem convaluit. Ipse enim sublimavit Sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est.* Sed gravis oritur quæstio, num idem Episcopus Romanus sit Patriarcha totius Occidentis, an vero solius Vicariatus Urbis, ac decem illius provinciarum, Ecclesiarumque, quæ vulgo dicuntur *Suburbicariæ.*

SUBSCRIBENDUM est viris illis doctissimis, qui propugnant, prælaudatum Romanum Episcopum esse totius Occidentis Patriarcham, Petro nempe de Marca lib. 1. Concordiæ cap. 5. Emmanueli a Schelstrate dissert. 6. cap. 3. Henrico Valesio lib. 3.

Observationum in Socratem cap. 7. Leoni Allatio lib. 1. de Consensione Oriental. & Occid. Eccl. cap. 12. Jacobo Sirmondo in Adventoria, Christiano Lupo in Canonem 6. Nicænum, aliisque compluribus. Corroboratur enim hæc sententia auctoritate Concilii Arelatensis 1. celebrati anno 314. in cujus epistola ad Silvestrum Romanum Pontificem legitur, ab isto *Majores diœceses* teneri : quandoquidem ex Veteri Notitia Imperii perspicuum est, majores illas diœceses esse illas sex Occidentis, quæ tunc solæ numerabantur, Africam nempe, Illyricum, Italiam, Hispaniam, Galliam, & Britanniam. Hinc S. Basilius epist. 10. appellat Romanum Pontificem τῶν δυτικῶν κορυφαῖον, Augustinus lib. 1. contra Julianum cap. 6. *Ecclesiæ* Occidentalis *præsidentem*, & Hieronymus adversus Vigilantium distinguens limites Patriarchatuum, Antiocheni in Oriente, Alexandrini in Ægypto, & Romani in Occidente, istius Ecclesias quasi in unum corpus collectas, & ab Ecclesiis cum Orientis, tum Occidentis quodammodo distinctas commemorans inquit, *Quid facient Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ ?* Certum quoque est ex Epistola S. Innocentii I. ad Decentium Episcopum Eugubinum, a solo Petro, ejusque Successoribus in prædictis provinciis Occidentalibus constitutos fuisse sacros antistites, exercitumque jus Patriarchicum in ordinatione Metropolitarum, & in Synodorum convocatione, ut cap. 4. præcitatæ dissertationis luculentissime evincit Schelstratenus.

Hujus sententiæ consectarium est apertissimum, non posse in Occidente alium Patriarcham constitui, Romano Pontifice repugnante. Testata id est Gallicana Ecclesia, proscribens anno 1640. in Synodo Parisiensi Paræneticam Epistolam *Optati Galli*, qui post editos in lucem libros Petri Puteani de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, nescio quid mali præsagiens, omnes floridissimi illius regni Antistites hortabatur, ut ad evitandum schisma, consilium inirent creandi aliquem Galliarum Patriarcham, quod non schismatis remedium, sed incitamentum

mentum, atque structuram futurum fuisse nemo non videt. Sed merito damnatum est maleferiatum, & seditiosum Opusculum. Enimvero in loco, ubi nunquam Patriarcha constitutus fuit, a nemine potest institui, *quam a Pontifice Sedis Beati Petri, a quo & Episcopatus & Apostolatus sumpsit initium*, ut inquit Nicolaus I. in Resp. ad Consulta Bulgarorum cap. 73. Ac ne aliunde, quam ab ipsa Gallicana Ecclesia repetamus exempla, scripsit Leo Magnus ep. 89. ad Episcopos per provinciam Viennensem constitutos, *Alienum jus alter sibi non audeat vendicare. Suis limitibus, suis terminis sit unusquisque contentus, & privilegium sibi debitum in alium transferre se posse noverit non licere.* Coegit quoque Bonifacius Moguntinus anno 742. Synodum, in qua statutum fuit, ut Metropolitani Galliarum Pallia quærerent ab Apostolica Sede: petieruntque reipsa idem Bonifacius, & Carlomanus a Zacharia Romano Pontifice tria Pallia pro Archiepiscopis Ecclesiarum Rothomagensis, Rhemensis, & Senonensis. Quod non diffitetur libro 6. Concordiæ cap. 7. doctissimus Petrus de Marca. Neque alia ratione id factum est, nisi quoniam Pallio conceditur plenitudo Pontificalis officii, & potestas celebrandi Synodum, & Episcopos consecrandi, quemadmodum loquuntur canones: eamque plenitudinem ac potestatem, ideoque & aliam quamlibet ampliorem nequeunt Gallicani, ceterique Antistites aliunde, quam ab Apostolica Sede, obtinere. Ex quo autem Patriarchatus Romanus limites Occidentis comprehendat, percipere nequeo, cur Henricus Valesius præcitato libro 3. Observationum Ecclesiasticarum asserat, sententiam illorum, qui Romano Patriarchæ universum Occidentem adscribunt, displicere Romanis, propugnantibus scilicet auctoritatis Pontificis Maximi in Ecclesia universa amplitudinem. Sed nihil est, quod alicui displiceat, si, quemadmodum eo loci Valesius coarctat Episcopatum Romani Pontificis ad solam Provinciam Romanam, Patriarchatum vero ejus extendi fatetur ad extrema Occidentis; ita hoc Patriarchatu limitibus istis concluso, Primatus, sive, ut vulgo dicimus,

Papalis jurisdictionis incircumscriptam amplissimamque potestatem pervadere totum Christianum Orbem affirmet. Oportet ergo in Romano Pontifice, quæ Episcopi sunt, quæ Metropolitani, quæ Patriarchæ, quæ Primatis, quæ successoris Principis Apostolorum, cui universa Ecclesia a Domino commissa est, accurate diligenterque secernere. Nos enim eumdem Pontificem, hac distinctione præmissa, Episcopum Urbis, Metropolitanum diœceseon Vicariatus Romani, Italiæ Primatem, Patriarcham Occidentis, & universi Dominici Gregis supremum esse Pastorem, minime dubitamus. De hac vero suprema auctoritate, omniumque Ecclesiarum sollicitudine, nostrum non est in præsentiarum differere.

EXPONEMUS tantummodo Nicænum canonem sextum, quem non hæretici tantum urgere solent adversus Papæ primatum, sed etiam contra nos ii Catholici, qui Patriarchatum Romanum ad solas Ecclesias suburbicarias extendi autumant. Canon ille est hujusmodi: τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ὥςε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον, πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, ἐπειδὴ δὲ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθες ἐςίν. Quem Canonem ita Latine vertit Dionysius Exiguus: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est.* Quoniam ergo eo in Canone Alexandrinus Episcopus Romano Pontifici comparatur, abutuntur illo nonnulli ad Ecclesiæ Romanæ principatum labefactandum, & huic adæquandam, aut præferendam Patriarchæ Alexandrini jurisdictionem; quidam vero ex eodem canone inferri putant, Romani Patriarchatus limites comprehendi in Vicariatu Romano superius descripto, ubi pertractavimus de Imperii distributione.

VERUM prædictus Canon perperam producitur contra Romanæ Ecclesiæ Primatum. Perspicuum est enim, editum illum fuisse ad reparanda Patriarchatus

chatus Alexandrini jura Meletiano ſchiſmate violata. Cum enim Meletius Lycopolitanus in Thebaide Epiſcopus, lapſus in perſecutione Diocletiani, a S. Petro Alexandrino, ejuſque Synodo damnatus fuiſſet, Ægyptum finitimasque provincias complevit tumultu, & contentionum procellis, ubique inſtituens Epiſcopos, & presbyteros, atque Petri, hujusque ſucceſſorum Achillæ, & Alexandri jurisdictionem invadens. Ad hanc itaque reparandam Nicæni Patres decreverunt, non in Alexandrino tantum Epiſcopatu, verum etiam in Eccleſiis Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis frui Alexandrinum Præſulem auctoritate conſecrandi Epiſcopos, aliaque Patriarchalia munia exercendi, deprompto exemplo ab Epiſcopo Urbis Romæ, ceterorum principe Patriarcharum, qui non in Romana tantum provincia, ſed ubicunque Patriarchatus ſui extenditur amplitudo, conſimilem jurisdictionem exercet. Quæ cum apertiſſima ſint, conſtat prælaudato canone definiri, in exercenda Patriarchali poteſtate ab Epiſcopo Alexandrino petendam eſſe regulam a Patriarchatu Romano, ideoque non de *Papali*, ſed de Patriarchali jure illic agi. Immo eidem canoni titulus iſte adinvenitur præfixus. *De Primatu Eccleſiæ Romanæ, & aliarum civitatum Epiſcopis;* atque in Synodo Chalcedonenſi act. 16. canon ipſe prælectus fuit ex quodam codice cum hoc exordio, *Quod Romana Eccleſia ſemper habuit primatum.* Non itaque ſextus Nicænus Canon, contra Romani Pontificis in Eccleſia primatum, quidquam efficit.

ILLI vero, qui eodem canone utuntur ad coarctandos inter Eccleſias ſuburbicarias fines Patriarchatus Romani, ajunt, Rufinum ita canonem illum fuiſſe interpretatum, *Ut apud Alexandriam, & in urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur, ut vel ille Ægypti, vel hic ſuburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat.* Ac Rufini auctoritas non levis videtur ponderis, quippe qui vixerit eodem Nicænæ Synodi ſeculo, & optime noverit eorum temporum conſuetudinem. Non eſt tamen hæc

ratio firma prorsus, & inconcussa : primum quia in canone nulla Ecclesiarum suburbicariarum sit mentio ; deinde quia vidimus Romano Patriarchatui universum Occidentem subesse : rursus quia Rufinus, ut solam Ægyptum commemorans, non excludit Pentapolim & Libyam, ita laudans Ecclesias suburbicarias non excipit alias Occidentis Ecclesias : demum, etsi *suburbicariæ Ecclesiæ* servato verborum rigore sint illæ, quæ sunt Urbi Romæ subjectæ ; ratio tamen postulat, ut, dum agitur de Romano Patriarchatu, Ecclesiæ suburbicariæ dicantur, quæ ab Episcopo Urbis reguntur peculiari quadam sollicitudine, & subjectæ sunt juri Patriarchatus Romani, quemadmodum in differt. 2. *de Suburbicariis* contra Salmasium demonstrat Cl. Jacobus Sirmondus.

QUÆRET forte aliquis, quænam sint Ecclesiæ passim appellatæ suburbicariæ. Salmasius & Gothofredus illas Ecclesias, provinciasque suburbicarias esse censent, quæ intra centesimum ab Urbe lapidem continentur, Tusciæ nempe suburbicariæ, Piceni item suburbicarii, Latii, & Valeriæ. Innititur hæc opinio legi 1. *de calcis coctoribus*, in lib. 12. Cod. Theodosiani, inscripta Præfecto Urbis, qua lege Constantinus jubet, ut ad calcem vehendam trecenti boves ex quatuor provinciis eidem Præfecto subjectis subministrentur. Eas autem provincias non excedere centesimum ab Urbe milliare, ex libro 2. prælaudati Codicis Theodosiani *l.* 62. *de Hæreticis* ; ex lib. 1. Ulpiani *de Officio Præfecti Urbis*, & ex Dione lib. 52. res est admodum perspicua. Sed hæc ratiocinatio infirmo tibicine nititur : neque enim aliud ex productis locis infertur, nisi ad Præfectum Urbis spectasse dare operam, ut ex quatuor provinciis proximioribus calx Romam deferretur, quas solas dici suburbicarias nequit inde concludi.

SUBURBICARIÆ itaque Provinciæ sunt illæ, quæ Vicario Urbis parebant. Quousque vero Vicariatus urbis extenderetur, dictum est capite vigesimo,

gesimo. Hæc de Suburbicariis sententia constat ex Codice Theodosiano lib. 9. tit. 30. num. 3. & lib. 11. tit. 16. n. 9. Ibi enim inter Urbicarias provincias recensentur eæ omnes, quæ in Vicariatu Urbis, prout distinguitur a Vicariatu Italiæ, comprehenduntur. Subscribit huic sententiæ etiam Dupinius de antiq. Eccl. disciplina differt. 1. §. ult. eamque erudite corroborat citato in loco Sirmondus. Du-Cangius in Glossario ait, *Suburbicarias* regiones ac provincias dici, quæ subjectæ erant Vicarii urbis jurisdictioni, *Urbicarias* vero, quæ a Præfecto urbis administrabantur. At ex præcitatis legibus liquet, provincias, quæ suburbicariæ sunt, appellari quoque *Urbicarias*.

His de Romano Patriarchatu præmissis, lectorem admonemus, non esse hujus loci texere Romanorum Pontificum Vitas, quæ nostrarum dissertationum principem tenent locum. Asserimus tantum a Petro ad hæc usque tempora, in quibus Catholicæ Ecclesiæ præest Clemens XIV. numerari Romanos Pontifices 251. quorum 77. in Fastis Sanctorum celebrantur. Singulorum autem nomen, patriam, ætatem, annos Pontificatus, & characteres cum laudis, tum dedecoris, ad calcem Historiæ ipsorum Pontificum, quam conscripserunt Burius, & Sandinus, legi possunt. Quinam vero in eadem Historia diligentiam adhibuerint, studiumque accuratius, præmonui in priori dissertatione I. Ecclesiastici Seculi.

CAPUT VIII.

DE PATRIARCHATU ALEXANDRINO, ET ANTIOCHENO.

Sequitur post Romanum Patriarchatus Alexandrinus. Hunc enim secundo loco recensent Gelasius, Gregorius Magnus, Nicolaus Primus, & sextus Canon Nicænus, ut dixi cap. præcedenti. Rationem inde petendam arbitror, quod *Sedes Alexan-*

Alexandrina Beati Petri nomine a Marco ejus discipulo & Evangelista consecrata est, ut in Romana septuaginta Episcoporum Synodo inquit prælaudatus Gelasius. Patriarcham Alexandrinum non fuisse inauguratum Episcopum propria consecratione a tempore Marci usque ad Dionysium, id est, spatio annorum prope ducentorum, non ii tantum asseruerunt, qui presbyteros æquales autumarunt Episcopis, sed etiam eruditus Morinus Exercit. 7. cap. 7. Quorum opinio præcipue innititur testimonio Hieronymi asserentis Alexandriæ viguisse consuetudinem, ut presbyteri unum ex se electum in excelsiori gradu collocarent, & nominarent Episcopum. Verum Hieronymi testimonia expendimus lib. 36. Th. discipl. cap. II. ubi diximus, illa intelligenda esse de electione facta suffragiis presbyterorum, non autem de Electi consecratione peracta ab Episcopis.

PROFECTO Patriarcham Alexandrinum ab Episcopis consecratum, & ordinatum fuisse, monimenta historica evidenter commonstrant. Etenim Eusebius in Chronico ait post Marcum Evangelistam *ordinatum* fuisse Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum Anianum; idem legitur de Meliano successore Aniani, ceterisque usque ad Alexandrum decimum octavum Patriarcham. Solet autem ea *ordinatio* apud Eusebium, & in Chronico Alexandrino, necnon in Chronico Orientali edito ab Abrahamo Echellensi, designari verbo χειροτονέω, quo exprimitur vera ordinatio, manuumque impositio. S. Athanasium successorem Alexandri consecratum fuisse manibus Episcoporum, ipsemet in 2. Apologia demonstrat epistola encyclica Synodi Alexandrinæ celebratæ anno 339. adversus Arianos objicientes eumdem Athanasium clam, & aliis Episcopis insciis, a septem Episcopum inauguratum consecratumque fuisse. De qua Arianorum calumnia legendus etiam Sozomenus lib. 2. H. E. cap. 17. Ex quibus infertur ad consecrationem Patriarchæ Alexandrini, præter populi vota, & presbyterorum suffragia, convenisse Ægypti, & finitimarum provinciarum Antistites.

Ex

EX SYNODO Alexandrina nuper commemorata colligitur, olim Patriarchatum Alexandrinum constasse quatuor provinciis, Ægypto, Thebaide, Pentapoli, & Libya: præfigitur enim Epistolæ, ab Athanasio productæ, hæc inscriptio, Ἡ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ συναχθεῖσα, ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου, καὶ τῆς Θηβαΐδος, καὶ Λιβύης, καὶ Πενταπόλεως, *Sancta Synodus Alexandriæ congregata ex Ægypto, Thebaide, Libya, & Pentapoli.* Connumerantur eædem quatuor provinciæ in Synodo Jerosolymitana an. 350. in qua pertractatum est de recipiendis in communionem episcopis, qui sententiæ in S. Athanasium subscripserant, suumque fatebantur errorem. De iisdem provinciis, omissa Thebaide, quoniam idem est, ac Ægyptus superior, agitur in sexto canone Concilii Nicæni. S. Epiphanius h. 63. inter provincias, quarum Episcopus Alexandrinus gerit sollicitudinem, connumerat etiam Mareotidem, (*) & Ammoniacam. At ex præcitata Apologia S. Athanasii perspicuum est, Mareotidem fuisse agrum Alexandriæ, ibique nec Episcopum, neque Chorepiscopum unquam fuisse. Ἀμμωνιακὴ vero fuit civitas Libyæ inferioris, ut constat ex Notitia provinciarum Hieroclis Grammatici num. 64. Quare fallitur vir alioqui doctissimus, Petavius, qui in sua Epiphanii editione Mareotidem, & Ammoniacam recenset inter provincias.

EX PRÆDICTIS quatuor provinciis sub Theodosio imperatore decem conflatæ erant; nam idem Imperator ad Synodum Ephesinam, quæ *Latrocinalis* vulgo dicitur, coactam anno 449. invitavit Dioscorum Alexandrinum cum decem sub ejus diœcesi degentibus Metropolitanis Episcopis. Quinam hi Metropolitani fuerint, non est adeo facile definire. In præcitata notitia Provinciarum Hieroclis a Luca Holstenio, & ab Emmanuele Schelstratio plurimum laudati, octo inveniuntur descripti. In Provincia Ægyptiaca designatur Metropolis Alexan-

(*) Eo loci Epiphanius duas Mareotides commemorat, etsi una dumtaxat Geographis nota sit.

Alexandria, sita inter mare Ægyptium, & Mareotidem paludem. In Augustanica, seu Provincia Augusta Prima, Ῥινοκόρουρα, *Rhinocorura*, in ipso limite Palæstinæ, sed alibi Pelusium ad ostium Nili, nunc Belbais, vel Damieta. In Augustanica secunda Λεοντῶ, *Leonto* ad Busiriticum Nili alveum. Provinciæ autem Arcadiæ Metropolis Oxyrynchus, civitas sic appellata ab oxyryncho pisce, quem olim pagani colebant, non procul a Nilo. Metropolis Thebaidos Antinò, quæ nunc in ruinis jacet, Babylonem inter, & Copton, & Thebaidos superioris Ptolemais, Rhodophoros etiam dicta a rosarum feracitate, ad sinistram Nili ripam, & prope lacum Mœridem. In Libya denique superiori Sozusa, atque in inferiori Darnes, quam urbem Baudrandus cum Xephyrio confundit.

QUAS postmodum regiones occupaverit Patriarchatus Alexandrinus, constat ex Tabula Geographica ad calcem Historiæ Eusebii illustratæ ab Henrico Valesio editionum Cantabrigiensis, & Taurinensis. Illic ante Indicem extat quoque Catalogus Patriarcharum Alexandrinorum usque ad Alexandrum S. Athanasii prædecessorem. Sed plura de iisdem, ceterisque Patriarchis in sua Historia Eusebius Renaudotius: & Continuatores Operis Bollandiani in dissertatione præfixa quinto volumini mensis Junii.

SEDERUNT Alexandriæ Patriarchæ Sanctissimi, S. Marcus Evangelista, Anianus, Abilius, Heraclas, Dionysius, Maximus, Theonas, Petrus, Achillas, Alexander, Athanasius, Cyrillus, Eulogius, Joannes Eleemosynarius, alii. Verum eamdem Sedem occuparunt quoque hæretici Eutychiani, Dioscori duo, Petrus Moggus, Joannes Hemula, atque, ut alios prætermittam, Theodosius, pulsus in exilium ab Imperatore Justiniano an. Ch. 538. Tenuerunt insuper eamdem Sedem Monothelitæ quidam, ut Cyrus, & Petrus, septimo vertente seculo; necnon permulti sectæ Jacobitarum (Genus Eutychianorum a Jacobo monacho Syro nomen trahentium) addicti.

NUNC

NUNC de Patriarchatu Antiocheno, cujus Geographicam descriptionem, & Patriarchas ab Evodio usque ad Tyrannum habemus post Eusebium in præfatis Valesii editionibus. Tertius olim Patriarchæ Alexandrino locus attributus fuit, non secundus, ob præfecturam Alexandrinam magnificentissime ab Augusto nobilitatam, & quoniam ejusdem Urbis Ecclesia a Marco instituta est Petri Apostolorum Principis nomine; ipse autem Petrus, suffecto Antiochiæ Evodio, inde discedens sedem principem transtulit in urbem Romam. Ceterum civitas Antiochiæ, condita a Seleuco juxta Daphnem, & ad fluvium Orotem, cognomento Magna, & universæ Syriæ Metropolis, ea est, in qua primum discipuli appellati fuerunt *Christiani*, ut legitur cap. 11. Act. Apostol. 26. eamque urbem appellat Synodus Chalcedonensis act. 7. τὸν θρόνον τῆς Ἀντιοχέων μεγαλοπόλεως, τοῦ ἁγίου Πέτρου, *Thronum Antiochiæ, magnæ civitatis, Beati Petri.*

CERTUM est Patriarchæ Antiocheno subjectam fuisse totam Diœcesim Orientis, illam nempe, quam cap. 20. diximus Præfecto Prætorio Orientis paruisse. In ea diœcesi quindecim numerabantur provinciæ, videlicet, Palæstina, Phœnice, Syria, Cilicia, Cyprus, Arabia, Isauria, Palæstina Salutaris, Palæstina secunda, Phœnice Libani, Euphratensis, Syria Salutaris, Osroëna, Mesopotamia, & Cilicia secunda. Hinc Patriarcha Antiochenus dicitur *Exarchus Diœcesis Orientalis*, & Antiochia *Civitatum sub Oriente positarum caput, & mater.* In notitia Provinciarum Hieroclis hæ distinguuntur Metropoles: Palæstinæ I. Cæsarea: Palæstinæ II. Scythopolis: Palæstinæ III. Petra: Phœniciæ Tyrus: Phœniciæ Libani Emissa: Syriæ Consularis Antiochia: Syriæ Libani Apamea: Ciliciæ Primæ Tarsus: Ciliciæ secundæ Anazarbus: Cypri Constantia: Isauriæ Seleucia: Arabiæ Bostra: Provinciæ Euphratensis Hierapolis: Osroënæ Edessa, & Mesopotamiæ Ameda. Harum tamen omnium Civitatum Episcopos Metropolitico jure fuisse præditos non existimo.

CYPRII

CYPRII Episcopi, tametsi Cyprus contineretur intra limites Patriarchatus Antiocheni, decreto Ephesini Concilii, immo ex antiquiori consuetudine a Metropolitano Constantiæ, non a Patriarcha Antiochiæ ordinabantur, & ipsius Metropolitæ ordinatio commissa Synodo illius provinciæ, & Patriarchæ vetita fuit. Post exortam enim hæresim Arianam cœpisse Episcopos excutere Patriarchæ Antiocheni jurisdictionem, asserit Alexander Patriarcha in epistola ad Innocentium I. Romanum Pontificem. Videsis ejusdem Pontificis epistolam 18. Petrum de Marca lib. 6. Concordiæ cap. 4. & Christianum Lupum in Scholio ad Ephesini Concilii Decretum *De Ecclesia Cypriorum.* Tandem Provincia Cypri declarata fuit autocephala, ob honorem & reverentiam S. Barnabæ Apostoli, *quod in ea inventus sit ad pectus habens Evangelium secundum Marcum*, ut legitur in Notitia Leonis Sapientis tempore Photii conscripta.

TREDECIM Archiepiscopatus sub Patriarcha Antiocheno extitisse suo tempore, scribit lib. 14. de Bello Sacro capite 22. Guilelmus Tyrius. Duodecim alii enumerant, Episcopatus autem supra centum & quinquaginta. At subacta a Saracenis Antiochia anno 1268. cæsis in ea hominum 17000. & inde 100000. abductis, miserrime Patriarchatus Antiochenus discissus, & laceratus est. Tres enim modo Patriarchæ creantur, Latinus, & legitimus, a Romano Pontifice, Græcus Schismaticus & segregatus a Romanæ Ecclesiæ communione, & Jacobita, qui eligi solet in Cœnobio Barsumæ, sedet autem Alepi, observatque ritum Syriacum. Sunt inter fines Antiocheni Exarchatus & alii Patriarchæ: unus Catholicus Maronitarum habitans in Monte Libano; alter hæreticus Nestorianus, qui sese nominat Patriarcham Chaldæorum, seu Babylonium, sedetque prope antiquam Ninivem: tertius Patriarcha Armeniæ majoris residens in Persida, & in monasterio prope civitatem Eruan: quartus Armeniæ minoris, qui residet in Cilicia in Civitate Sis. Ex his autem colligi potest, quantum

tum numerus, & dignitas Patriarcharum ab antiqua nobilitate deciderit.

FLORUERUNT utique inter Patriarchas Antiochenos plurimi ſanctitate conſpicui, ac præter Principem Apoſtolorum Evodius, Ignatius Martyr, Hero, Theophilus, Serapion, Aſclepiades, Babylas Martyr, Philogonius, Stephani duo, ac tres Anaſtaſii, quorum memoria in Sanctorum Faſtis recolitur. Sed occuparunt quoque prædictam Sedem Paulus Samoſatenus hoſtis individuæ Trinitatis acerrimus, Petrus Fulio Eutychianus, & ſex ſaltem Arianorum labe infecti, Paulinus, Eulalius, Flacillus, Leontius, Eudoxius, & Euxojus; omiſſis ceteris, quos, ſi claruerunt ſplendore virtutum, nolumus debita laude privari; ſi hæreſibus, vitiisque adhæſere, commendare, & celebrare non poſſumus; hoc interim gratulantes Romanæ Eccleſiæ, quod nunquam adverſus illam prævaluerunt portæ inferorum, ſecus ac evenit duabus aliis Patriarchalibus, Alexandrinæ, & Antiochenæ, de quibus hactenus.

CAPUT IX.

DE RELIQUIS PATRIARCHIS.

MULTIPLICATIO Patriarcharum in ſolo Exarchatu Antiocheno, quam multiplicationem paullo ſuperius attigimus, evidens eſt argumentum complures denominari Patriarchas, qui vix Metropolitani dicendi forent. Ac ne rurſus commemorem Patriarchas Maronitarum, Armenorum, Chaldæorum, Jacobitarum, habent Patriarcham ſuum Cophti in Ægypto, & in Æthiopia Abyſſini: Georgii quoque, inter Pontum Euxinum, & mare Caſpium, Epiſcopum ſuum venerantur tanquam Patriarcham, & αὐτοκέφαλον. Præterea Concilium Conſtantinopolitanum IV. anno 536. act. 5. Patriarchæ nomen attribuit Epiſcopo Tyri Epiphanio.

Concilium Matiſconenſe in Burgundia anno 585. Priſco Epiſcopo Lugdunenſi; Nicolaus I. reſp. 73. ad Conſulta Bulgarorum, iſtorum Primati; & Codex Juſtinianeus ſæpe ſæpius Patria chas appellat omnes Diœceſeon Exarchos, ut Novella 3. cap. 2. Novel. 6. c. 3. & epilogo Novellæ 123. c. 22. Denique etiam hæretici Patriarchas ſuos jactitant, nomenque Patriarchæ ſibimet arrogavit in Collatione Carthaginenſi primus Epiſcopus Vandalorum, cum riſu ab Orthodoxis exceptus, ut auctor eſt Victor Vitenſis lib. 2. de Perſecutione Vandalica.

COMMUNITER tamen quatuor inſigniores Patriarchatus, præter Romanum, connumerantur, videlicet, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Jeroſolymitanus. Hoc ordine recenſentur apud Gratianum diſt. 22. c. 3. & 7. & a Juſtiniano Novel. conſt. 123. Ita vero Conſtantinopolitana Eccleſia, quæ tribus prioribus ſæculis ſubjecta erat Metropolitano Heracleæ, ad Patriarchatus honorem evecta eſt. Conſtantinopolitana I. Synodus, ſive II. Oecumenica anno 381. hunc tertium canonem edidit: *Conſtantinopolitanæ civitatis Epiſcopum habere oportet Primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propterea quod ſit nova Roma.* Eumdem tamen canonem, utpote contrarium Nicænæ Synodo, a qua can. 6. definitum fuerat, *ut ſuis privilegia ſervarentur Eccleſiis*, a Romana Eccleſia non fuiſſe receptum, conſtat ex Epiſtola 53. S. Leonis Magni ad Anatolium, & 55. ad Pulcheriam Auguſtam, atque ex teſtimonio Lucentii Legati Sedis Apoſtolicæ in Concilio Chalcedonenſi actione 16. In hac eadem actione Epiſcopo Conſtantinopolitano confirmatus eſt honor Patriarchatus a Romano Myrorum Epiſcopo, Seleuco Amaſiæ, & Petro Gangrorum, quorum exemplum ſecuti ſunt alii plurimi, qui ſponte ſeſe Sedi Conſtantinopolitanæ ſubjecerunt.

ANTE prælaudatam Chalcedonenſem Synodum congregatam anno 451. conſtat, quosdam Conſtantinopolitanos Epiſcopos Patriarchalia munia in alio-

tum ordinationibus exercuisse. Nam S. Joannes Chrysostomus quindecim Episcopos in Asia deposuit, & eorum loco alios ordinavit, depositoque Gerontio Episcopo Nicomediensi suffecit illi Pansophium: Sisinnius consecravit Proclum in Antistitem Cyzicenorum, & Proclus ad Sedem Constantinopolitanam evectus Episcopum Cæsareensem Thalasium. De Chrysostomo putat Joannes Morinus exercit. 14. de Patriarcharum, & Primatuum origine, id præstitisse, non propria auctoritate, sed Apostolicæ Sedis indulto. Sisinnius, & Proclus aut præcitati canonis tertii auctoritate, aut Chrysostomi exemplo, aut ratione alia nobis incomperta, idem sibi jus arrogarunt.

QUAM late post Concilium Chalcedonense sese diffuderit Patriarchatus Constantinopolitanus, colligi potest ex Notitia Patriarchatuum Nili Doxopatrii in Appendice ad Opus Geographicum Emmanuelis a Schelstrate pag. 721. Recensentur in ea Notitia sub Patriarcha Constantinopolitano Metropoles 65. & Archiepiscopatus 34. Extat ejusdem Patriarchatus accurata descriptio facta jussu Imperatoris Andronici Palæologi Senioris, apud Curopalatam in Opere de Officialibus Palatii Constantinopolitani pag. 220.

HABUIT Constantinopolitana Sedes viros doctrina, & sanctitate præclarissimos, Gregorium Nazianzenum, Joannem Chrysostomum, Flavianum, Germanum, Tharasium, Methodium, & Ignatium. At sederunt & ibi homines perditissimi, & hæreticorum antesignani, Eusebius Arianus, Macedonius oppugnator divinitatis Spiritus sancti, Nestorius duarum in Christo personarum assertor, Acacius, Timotheus, & Anthimus fautores Eutychianorum. Sergius, & Pyrrhus Monothelitæ, Anastasius Iconoclasta, & Photius Sedis invasor, & pernicioſi atque diuturni conflator schismatis. Atque hæc de Patriarchatu Constantinopolitano.

JEROSOLYMITANUS, qui post illum censetur, execrandum habuit initium. Cum enim Juvenalis in Oecumenica Synodo Ephesina anno. 431. obtinere Palæstinæ provinciæ principatum, & esse ac dici Apostolicæ sedis Exarchum frustra tentasset, repugnantibus una cum Cyrillo Alexandrino legatis Romani Pontificis; in Latrocinio Ephesino anno 449. idem attentans contra septimum Nicænum canonem, opera Dioscori, & Chrysaphii Eunuchi, quorum scelera descripsimus in Historia Eutychianorum, obtinuit pragmaticam sanctionem, qua tres Palæstinæ, Arabiæ, & duæ Phœniciæ ipsius iuri Patriarchico subjiciebantur. Ea pragmatica Sanctione consensu Marciani Augusti abrogata in Synodo Chalcedonensi actione quarta, post magnam contentionem actione septima ejusdem Synodi prædictus Juvenalis, & Maximus Patriarcha Antiochenus ita concordi animo convenere, ut Jerosolymorum Episcopus tres regeret Palæstinas, Antiocheno autem cederent duæ Phœniciæ, & Arabia. Id vero nec Maximus in præjudicium Ecclesiæ suæ, & contra Nicæna decreta poterat exequi, nec approbandum censuit Leo Magnus, qui epistola 62. admonet ipsum Maximum, ne tertiæ Sedis privilegia quodammodo minuat, & Juvenalis insolentes ausus coercet.

NIHILOTAMEN minus Juvenalis, & successores ejus Jerosolymorum episcopi jus in tribus Palæstinis postmodum exercuerunt, ut a Synodo Chalcedonensi firmatum erat, *& Imperatoris patrocinio*, quemadmodum scribit Liberatus in Breviario cap. 13. Jam vero in superioribus dictum est, fuisse olim unicam Palæstinam subjectam Cæsareæ, seu Turri Stratonicæ, ac postea in tres Palæstinas divisam, inter quas Jerosolyma, Ælia etiam dicta, nec jure Metropolitico fungebatur. Quare septimus canon Nicænus sancivit, Æliæ Episcopum habendum esse in honore, sed *salva Metropolis*, id est, *Cæsareæ dignitate*. Progressu temporis Patriarcha Jerosolymitanus Arabiam quoque, & utramque Phœniciam invasit. In *Notitia* enim Impera-

peratoris Leonis VI., cognomento Sapientis, qui parenti suo Basilio succeſſit anno, Ch. 886. numerantur sub Patriarchatu Jerosolymitano metropoles quatuor, Ælia Jerosolymorum, Cæsarea, Scythopolis, Petra, & Bostra; nec aliter legitur in Notitia Nili conscripta anno 1143. & in Codicibus Vaticanis, quorum titulus, Α'νακεφαλαίωσις τῶν ἁγιωτάτων πατριάρχων τῶν ὀρθοδεσίων, *Brevis descriptio finium Sanctiſſimorum Patriarcharum*, habetur, Hierosolymorum Throno subjici πᾶσαν τὴν παλαιστίνην χώραν ἄχρι Α'ραβίας, *totam regionem Palæſtinam usque ad Arabiam.*

JEROSOLYMORUM Episcopos XXXIX. a Jacobo Domini fratre usque ad Hermonem, circa annum 300. ad Sedem illam evectum, habemus in Chronico & Historia Eusebii. De aliis legendus Papebrochius in *Tractatu Præliminari* ad Tom. 3. mensis Maji. Horum Episcoporum Romana Ecclesia inter Sanctos veneratur. Jacobum, Simeonem, Zachæum, Mathiam, Marcum, Maximum, Narcissum, Zambdam, Cyrillum, Macarium, & Sophronium. Hæc tamen Sedes habuit & ipsa scelerosos Antistites, ut Herennium, & Hilarium Arianos, & Macarium, hujus nominis secundum, Origenistam, sed ad frugem anno 553. revocatum, quo anno in Synodo quinta damnavit Origenem, Didymum, & Evagrium.

PRÆLAUDATA Synodus V. & progressus Patriarchatus Jerosolymitani ad memoriam revocat meam Patriarchatum Aquilejensem. Episcopum Aquilejæ, vetustissimæ Urbis, sitæ ad Turri, & Alsæ confluentes, potitum circa tempora Damasi jure Metropolitico animadvertimus supra capite 22. Orto itaque occasione Quintæ Synodi Schismate, Macedonius Aquilejensis Episcopus iis adhæsit, qui eidem Synodo refragabantur, Transpadanis scilicet, Istris, & Venetis. Hinc Schismaticorum opera, & Longobardorum Principum favore Antistes Aquilejensis cœpit nomen & jura Patriarcharum arripere. Sedente autem Pelagio II. Romano Pontifice

ce ad Petri Cathedram assumto anno 578. Elias Aquilejensis, annuente Pelagio, sedem suam Metropolitanam transtulit Gradum, in ora litorali maris Adriatici, & sexto ab Aquileja lapide, ubi proximo anno 579. Schismatici Synodum collegerunt descriptam a Norisio in dissert. de V. Synodo cap. 9. §. 4.

HINC eruitur Patriarchatum Aquilejensem a Schismate ortum traxisse, ut cum Baronio, Sirmondo, Bollando Christiano Lupo, aliisque viris clarissimis asserit contra Henricum Palladium prælaudatus Norisius capite 10. ejusdem dissertationis. Cum vero anno 605. consentiente Agilulpho rege Longobardorum, ad Sedem Aquilejensem promotus esset Joannes, ac per idem temporis in Civitate Gradensi Episcopum creassent Candidianum; duæ ex una Sede, ac duo ex uno Schismate prodierunt. Candidianus erga Apostolicam Sedem obsequentissimus, ab ista condecoratus est Pallio, & nomine Patriarchæ. Collata deinde fuerunt eadem Pallii, & Patriarchatus decora anno 719. Episcopo Aquilejensi a Romano Pontifice Gregorio III. Siquidem opera Sergii Pontificis, qui Romæ sedit anno 687. Istricum Schisma fuerat extinctum, & Aquilejensis Ecclesia in pristinam cum Romana communionem redierat. Habemus ergo Aquilejensis, & Gradensis Episcopatus a Schismate initia.

AMPLISSIMAM Episcopi Aquilejensis jurisdictionem describit præcitato cap. 9. Cardinalis Norisius, & ex eo Sandinus in Vita Pelagii Secundi. *Extendebatur* (inquiunt) *a Pannonia secunda usque ad Alduam in Istubria. Continebat Rhætiam II. cujus metropolis Sabio; Noricum, cujus primaria Urbs erat Tilurnia ad Dravum; complectebatur Istriam, Forum-Julium, ac Venetiam, quæ provinciæ uno Istriæ nomine id temporis, ac in Sexta Synodo vulgo appellabantur.* Et hæc quidem erat Aquilejensis Antistitis Metropolitica Jurisdictio, antequam ab Ecclesia Gradensi sejungeretur.

DUORUM autem Patriarcharum divisione facta, Aquilejensi suffraganei Episcopi constituti sunt, Mantuanus, Cumanus, Tridentinus, Veronensis, Paduanus, Vicentinus, Tarvisinus, Concordiensis, Cenetensis, Feltrensis, Belunensis, Polanus, Parentinus, Trigestinus, Comaclensis, Politanus, sive Capitis Istriæ, Matriariensis, & Civitatis Novæ Æmoniæ in Istria ad fluvium Nauportum. Patriarchæ autem Gradensi Episcopi Castellanus, Torcellanus, Equilensis, Caprulensis, Clodensis, & Civitatis novæ. Vide Baronium tom. XI. Annalium ad annum 1057. ubi Episcopatus istos recenset ex Autographo Codice Vaticano.

GRADENSIS Patriarchatus Venetias translatus fuit a Nicolao V. Pontifice Maximo, qui anno 1447. indeptus est Romanum Episcopatum, & non a Leone IX. ut ad annum 1050. num. 3. scribit prælaudatus Baronius. Ac primus Venetorum Patriarcharum fuit S. Laurentius Justinianus, quem Eugenius IV. Episcopum consecraverat. In hac Patriarchatus translatione nec explorata, nec postulata fuit Veneti Senatus voluntas, ut scribit Bernardus Justinianus in vita S. Laurentii cap. 3. apud Bollandum priori volumine Januarii.

E SEDE autem Aquilejensi, quam condecoraunt olim Sanctissimi Episcopi Hermagoras, Hilarius, Quirinus, Cromatius, Niceas, atque e Patriarchis Paulinus, Fridericus, & Beltrandus, aliique in Sacris Monumentis Provinciæ Fori-Julii descripti ab erudito Patritio Unionsi, nuper a Benedicto XIV. duo constituti sunt Archiepiscopatus: Unus in civitate Utini memoratæ provinciæ metropoli, & post eversam Aquilejam Sede Patriarchatus: Alter Goritiæ, urbis inter alpes sinumque Tergestinum, in Dominio Austriaco, & quatuor leucis Germanicis dissitæ ab Aquileja. Præclusus est hac divisione aditus dissidiis non semel vel ob inaugurationem, vel ob visitationem Patriarcharum inter Austriacos Venetosque subortis, adeo, ut Patriarchatus inchoatus in Schismate, concordiæ

& pacis causa cessaverit. Honore demum Patriarchatus anno 1716. a Clemente XI. P. M. cohonestatus est Archiepiscopus Occidentalis Ulyssiponensis, adinstar prælaudati Patriarchæ Venetiarum, & quoad provinciam Archiepiscopatus Ulyssiponensis: eique Summus Pontifex usum Pallii, præcedentiam supra Archiepiscopos Bracharensem, Ulyssiponensem Orientalem, Eborensem, aliosque singulos illius Regni Prælatos, necnon privilegia alia complura largitus est.

Hæc sunt, quæ *de locis* pro Ecclesiasticæ Historiæ intelligentia duximus conscribenda. Neque enim propositum nostrum erat, universam Sacram Geographiam tradere, & explanare, sed quemadmodum fecimus *de Temporibus*, ita ejusdem Geographiæ declarare elementa, eaque animadversionibus exornare, ac firmissima auctoritate fulcire. Quod si quis Geographiam illam assequi modo peroptat, hisce præceptionibus imbutus perlegat *Notitiam Episcoporum Orbis Christiani* Auberti Miræi, *Geographiam Sacram* Caroli a S. Paulo, *Ecclesiarum notitiam* tempore Cælestini III. a Milone Abbate conscriptam, & *Michaelis Antonii Baudrand* opusculum inscriptum, *Archiepiscopatus & Episcopatus totius Orbis*, impressum post Lexicum Geographicum, ne verbum faciam de Geographico Indice descripto ante Historiam Conciliorum Marci Battaglini, in Appendice Voluminis 2. Antiq. Eccl. Emmanuelis a Schelstrate, & in fine Historiæ Ecclesiasticæ Hyacinthi de Graveson; quos in præsentiarum commemorasse sat est.

UNDE-

UNDECIMUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

ROMANÆ. ET APOSTOLICÆ ECCLESIÆ PASTORES.

Silveſter II. anno 1003. Idus Majas Eccleſiam Catholicam ſupremo Paſtore viduatam reliquit. Commiſſum eſt itaque illius regimen Seculo XI., poſt Silveſtri obitum, *Joanni XVII. Joanni XVIII. Sergio IV. Benedicto VIII. Joanni XIX. Benedicto IX. Gregorio VI. Clementi II. Damaſo II. S. Leoni IX. Victori II. Stephano IX. Nicolao II. Alexandro II. S. Gregorio VII. Victori III. Urbano II. Paſchali II.*

CXXXXIII. De Joanne autem XVII. qui ſex in Pontificatu menſes non explevit, nam fatis ceſſit eodem anno 1003. VIII. Idus Decembris, nil aliud ſcimus, niſi *Siccum* fuiſſe cognominatum, ex ve-

tusta familia, Patritiæ, ac Senatoriæ *Paschalicorum* Venetorum conjuncta.

CXXXXIV. Successit alter *Joannes* Romanus, hujus nominis *XVIII.* cognomento *Fasanus*, summis laudibus a Fulberto Carnutensi Episcopo celebratus. Qui Romanam Ecclesiam Constantinopolitanæ conciliavit, S. Brunonem Episcopum, deinde martyrem, ad Ruthenos misit Apostolum; & post quinque annos, ac totidem menses e vivis excessit anno 1009. Majo exeunte.

CXXXXV. Hunc *Sergius IV.* excepit, Petrus antea vocatus, *(a)* qui ob reverentiam Apostolici culminis Sergii nomen assumsit, liberalitate in pauperes, cæterisque clarus virtutibus, nec immerito recensitus in Menologio Benedictino. Obiit anno 1009. XV. Cal. Septembris.

CXXXXVI. At Sergio successit *Benedictus VIII.* Tusculanus, antea Joannes Episcopus Portuensis. A Gregorio quodam Pontificatus invasore in Germaniam fugere coactus est: sed a S. Henrico Rege Sedi suæ restitutus est omnium plausu, eumdemque Henricum coronat, aureoque globo gemmis & cruce distincto insignivit. Ut Symbolum caneretur in Missa, ad Henrici preces mandavit. Saracenos Tyrrheni maris litora infestantes cohibuit: cantum promovit Ecclesiasticum; & naturæ concessit post exactum annum Pontificatus XI. die 6. Junii anno 1024. *(b)*

CXXXXVII.

(a) Ditmarus, aliique tradunt, ante Pontificatum fuisse illi nomen, *Os porci*. Quidam id narrant de *Sergio II*, ut dixi Seculo IX. cap. I. Vide Ven. Baronium ad annum 844. num. 1. & ad annum 1009. num. 3.

(b) Ego quidem non credo, quod aliqui narrant de *Benedicto VIII.* hunc nempe post mortem cuidam Episcopo apparuisse in-

CXXXXVII. Sedit postea annis 9. Benedicti frater *Joannes XIX.* a quo magna pompa anno 1027. coronatus est imperator Conradus: posuitque vitam anno 1033. die 8. Novembris.

CXXXXVIII. Joanni suffectus est *Benedictus IX.* Theophylactus etiam dictus, filius Alberici Comitis Tusculani. E Sede a Romanis dejectus est, intruso *Sylvestro*; at restitutus opera Imperatoris Conradi. Vendidit tamen Pontificatum Joanni Gratiano anno 1044.

CXXXXIX. Joannes *Gratianus* Simoniace electus post biennium, (c) id est anno 1046. in Synodo Sutrii habita, sponte se abdicavit Pontificatu, quem sub *Gregorii VI.* nomine administraverat.

CL. Post Gregorii abdicationem electus est Pontifex *Clemens II.* Saxonicus, antea Suidgerus Episcopus Bambergensis, qui damnata Simoniaca labe diem clausit extremam anno 1047. VII. Cal. Octob. ejusque corpus Bambergam translatum est.

CLI. Adeptus tunc Sacerdotium *Damasus II.* Germanus anno 1048. die Julii 17., proximo mense sextili obiit Prænestæ, &, si Bennoni adhibenda sit fides, veneno sublatus a Benedicto IX. qui supremam Ecclesiæ dignitatem venalem fecerat.

CLII. Splendorem autem pristinum Apostolicæ Cathedræ reddidit *S. Leo IX.* antea Bruno Tullensis.

---

insidentem equo nigerrimo, & defossi a se thesauri locum indicasse, ut suo nomine pecunias ibi reconditas, & ex rapinis partas pauperibus erogaret. Legi tamen Benedictum precibus S. Odilonis Abbatis Cluniacensis, & Sanctorum ejus fratrum, cruciatus evasisse tartareos, & cœlestis Jerusalem consecutum fuisse beatitudinem. Vide S. Odilonis Vitam tom. 1. Jan. Act. SS. Bollandi, & epistolam 9. S. Petri Damiani ad Nicolaum II. Rom. Pontif.

(c) Joannes Gratianus sedit annos duos, & menses 8. ex *Desiderio* Cassiensi Ab. & Leone Ostiensi.

sis Episcopus, electus in conventu (d) Vormatiensi. Qui Simoniacis pluries damnatis, Berengarii proscripta hæresi, amoto a Sacerdotii honore Gregorio Vercellensi, reo adulterii ac perjurii, devictisque hostibus religione potius, quam armis, dum ageret sextum Pontificii muneris annum, ad cœleste regnum migravit an. 1054. die 19. Aprilis.

CLIII. Diuturnum non fuit Pontificium onus *Victoris II.*

CLIV. Stephani IX.

CLC. Atque *Nicolai II.* Enimvero *Victor* Consiliarius Henrici III. inauguratus anno 1055. idibus Aprilis, Berengario rursus damnato, obiit in Etruria anno 1057. die 28. Julii. (e) *Stephanus IX.* antea Federicus filius Ducis Lotharingiæ, Abbas Cassinensis, & Cardinalis electus anno 1057. IV. Nonas Augusti decessit Florentiæ proximo anno 1058. Cal. Aprilis, intruso post ejus obitum Joanne Mincio Episcopo Veliterno, qui sub nomine *Benedicti X.* Pontificatum decem fere mensibus usurpavit; & *Nicolaus II.* e Burgundia Episcopus Florentinus, (f) admisso ad communionem laicam Benedicto

---

(d) *Leonis IX.* electio contigit anno 1048., sed ea conditione, ut ejus electio approbaretur a clero . populoque Romano. Adveniens itaque Romam omnium consensu, plausuque throno Pontificium conscendit proximo anno 1049. pridie Idus Februarii. Fuit filius Comitis Dasburgensis, natus anno 1002. Creatus est Tullensis Episcopus ex Monacho Ord. S. Benedicti anno 1026. Plura de illo Richerius in Chronico Abbatiæ Senonensis, edito a Luca d'Achery tom. 2. Spicilegii.

(e) *Victor II.* appellatur in scriptis hujus ævi *Papa, Dux* & *Marchio;* quoniam Henricus III. ducatum Spoletanum, & Marchiam Camerini regenda illi commiserat.

(f) *Nicolaus II.* antea Gerardus appellabatur. Creatus est Senis, anno 1058. die 28. Decembris, inthronizatus autem Romæ proximo an. 1059. mense Januario. Florentinam Ecclesiam etiam ad summum Pontificatum evectus administravit. Decessisse Florentiæ tradunt fere omnes. Excipe Panvinium.

dicto X. veniam in Synodo Sutrina petente, Florentiæ item vita functus est, tertio Pontificatus anno labente, nimirum 1061. die 22. Julii.

CLVI. Ultra annos XI. ac dimidium sedit; postea *Alexander II.* Mediolanensis, dictus antea Anselmus Lucensis Episcopus; tametsi Agnetis Imperatricis, & Henrici IV. jussu (*g*) illegitime *Cadolaus* Parmensis Antistes, sub nomine *Honorii II.* electus a duobus tantum Episcopis (*h*) Placentino, & Vercellensi. Ægre tulerant Augusti Principes inauguratum Alexandrum, illorum non expetito consensu. At Pontifex jura propugnans sua, Simoniacos, & incontinentes clericos compescuit, communem Canonicorum regularium vitam instituit in æde Lateranensi, Ecclesiam suam Lucensem, quam adamavit summopere, cruce coram Episcopo deferenda; ac si Primas foret, aliisque privilegiis condecoravit, atque mortalitatem exuit XI. Cal. Majas anno 1073.

CLVII. Sequitur *S. Gregorius VII.* antea Hildebrandus S. Rom. Eccl. Archidiaconus, Soanensis, ut fertur, filius cujusdam Bonitii, ad cujus ligna dolantis pedes dicitur parvulus & literarum inscius formasse ex rejectis segmentis verba illa Davidica, *Dominabitur a mari usque ad mare.* Attamen an Etruscus, an Romanus fuerit, & an fabri lignarii filius, an genere ortus nobili, controvertitur. Fuit Monachus Cluniacensis, & Abbas monasterii S. Pauli extra muros Urbis, & S. R. E. Cardinalis. Pro Ecclesiastica libertate pugnavit acerrime, adeo, ut Henricum IV. imperatorem anathemate obstrinxerit, & exauctoraverit, missa Rudolpho Sveviæ duci,

(*g*) *Henricus IV.* impuber erat, omniaque ad nutum *Agnetis matris suæ* agebantur.

(*h*) Episcopus Placentinus erat *Dionysius*, de concubinatu convictus, & sede postea dejectus a Gregorio VII. & Vercellensis *Gregorius*, excommunicatus a Leone IX.

ci, & creato Regi Germaniæ, corona cum inscriptione: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.* (*i*). Simoniacos repressit; Berengarium damnavit: obsidionem Romanæ urbis, ejus expugnationem ab Henrico factam anno 1084. cæterasque ærumnas invicto pertulit animo. Inauguratus est adversus Gregorium pseudopontifex Guibertus Ravennas, *Clemens III.* nominatus. Ad Henrici vitandas insidias Salernum

---

(*i*) Sunt, qui eundem versum ita allegant: *Petra dedit Romam Petro: tibi Papa coronam.* De *S. Gregorio VII.* nulla ratione credenda sunt, quæ post Bennonem, qui se Archipresbyterum Cardinalem vocat, promotus ad Purpuram a *Clemente III.* Pseudopontifice, stylo mendaciissimo, impudentissimoque scripserunt Auctores citati a Sagittatio, a Schmidio, a Christiano Mathiæ, & postremo a Moshemio. Dum enim ajunt, Gregorium vitiis omnibus fuisse inquinatum, addictum magiæ, per vim inauguratum Pontificem, eumque appellare non verentur superbissimum atque turbulentissimum; aperte evidenterque suam palam faciunt nequitiam, audaciam, maledicentiam. At refutarunt obtrectatorum calumnias S. Anselmus Lucensis Episcopus, Papirius Mastonus, Bellarminus, Gretserus, Vincentius Ludovicus Gotti, Lambertinus, & alii. S. Gregorii VII. *Dictatum*, quem *vesanum* dicit Moshemius, Gregorio autem abjudicant Launojus libro Epist. 7. ep. 13. Nat. Alex. Dissert. 3. Seculi XI. & Franc. Pagius num. 116. amplissimis Scholiis illustravit Christianus Lupus. Caute etiam prudenterque legendi, qui S. Gregorii adversus Henricum IV. improbant acta, ut Farclajus contra Bellarminum, Dupinius de Ecclesiæ disciplina, Hoissuet lib. 4. & 7. defensionis declarationis Cleri Gallicani. Quamquam aliud judicium ferendum est de Catholicis Scriptoribus pugnantibus pro Cæsarum Regumque suprema dominatione; aliud de hæreticis auctoritatem Romanæ Sedis conculcantibus, & maledictis conviciisque Sanctissimos Pontifices proscindentibus. Nos quæstionem de summa Regnantium potestate prætermittimus: sed nullo modo patimur, quæ in S. Gregorium VII. eiaculantur heterodoxi, illum appellantes cum Guillielmo Cave in XI. Seculo, quod in beatissimi Pontificis irrisionem vocat Seculum *Hildebrandinum*, „ falsum Monachum, Magum, divi„ naculum, somniorum conjectorem, male sentientem de reli„ gione, stupra, incestus, adulteria casto præferentem connu„ bio, „ & iis consimilia, quæ me pudet referre.

Salnernum confugit, ibique ſancto fine quievit, anno 1085. VIII. Calendas Junias.

CLVIII. Tres alii ſederunt Romæ Seculo XI. Pontifices Maximi, ſcilicet *Victor III.*

CLIX. Urbanus II.

CLX. Et Paſchalis II. *Victor* electus anno 1086. deceſſit anno 1087. XVI. Cal. Octobris extinctus veneno calici opera Henrici IV. injecto, ut ſcribit lib. 19. Hiſt. Eccl. Ptolomæus Lucenſis. *Urbanus II.* Gaulus vita functus eſt anno 1099. IV. Cal. Auguſti. *Paſchalis II.* mortem oppetiit anno 1118. XII. Cal. Februarii. Priorem Pontificatum dignum reddidit poſterorum memoria inſignis victoria ab Exercitu cura Victoris ex univerſa Italia collecto, reportata de Sacracenis in Africa, quorum cæſi fuerunt 100. M. Sedente autem Urbano decretum eſt Bellum ſacrum ad liberandam Terram ſanctam, & præſertim Sepulcrum Domini a Saracenorum tyrannide. *Paſchalis II.* in Menologio Benedictino, & a Scriptoribus Cl. titulo *Beati* inſignitus, adverſus tres pſeudopontifices ab Henrico IV. unum poſt alium intruſos, ſcilicet, *Albertum*, *Theodoricum*, & *Magninulfum*, ſtetit impavidus; multaque ab Henrico V. perpeſſus, hunc tandem delinivit, & imperiali ornatum corona templo Vaticano anno 1116. declaravit Auguſtum.

CAPUT II.

SYNODI UNDECIMO SECULO CELEBRATÆ.

Adversus Pseudopontifices, Simoniacos, incestuosos, & hæreticos, plura Seculo XI. celebrata fuere Concilia. (*k*) Primi generis est coactum *Sutri* anno 1046. in quo Gregorius VI. Simoniacus Pontificatum, quem numerata Benedicto IX. pecunia illicite emerat, abdicavit: Alterum in eadem urbe *Sutrina* sive Colonia-Julia, anno 1059. in quo Mincius Veliternus, qui assumpto nomine Benedicti X. supremam occupaverat sedem, omni Sacerdotali munere, & honore privatus est, & in ordinem laicorum redactus: *Mantuanum* anno 1064. in quo damnatus est Cadolaus Parmensis Antipapa, & Alexandri II. iniquissimus calumniator; & *Romanum* anno 1078. in quo & Guibertus Ravennas Episcopus, id est, Antipapa Clemens III. & Theodolus Mediolanensis, aliique Guiberto adhærentes amoti fuerunt à communione fidelium.

Simoniaci vero damnati sunt in Synodo *Romana* Clementis II. anno 1047. a multis prætermissa, sed memorata a S. Petro Damiani Opusc. 6. cap. 35. in altera Romana anno 1049. sub Leone XI. ubi Kilianus Sutrinus Episcopus negans jurejurando admissum

(*k*) Inter Synodos Seculi hujus XI. doctissimus Christianus Lupus tom. 4. pertractat de Concilio Rhemensi S. Leonis IX. anno 1049. celebrato. Tomo autem 5. illustrat Concilium Tolosanum indictum anno 1056. sedente Victore II. Alterum Colonienſe sub eodem Pontifice: Romanum itidem Stephani IX. quem item Lupus *decimum* vocat. Nicolai item II. Romanum, Amalphitanum, Beneventanum, & Andegavense. Præterea Romanum Alexandri II. & præcitatum *Dictatum* S. Gregorii VII. Hujus undecim Concilia, & decreta prolixe explanat tomo sexto.

missum a se crimen Simoniæ, cum omnium terrore divinitus percussus est : in Rhemensi, & *Moguntina* eodem anno 1049. & in *Rotomagensi* proximo anno 1050. in *Lugdunensi* celebrata anno 1055. per Hildebrandum S. Ap. legatum ; in qua Synodo Episcopus Simoniacus nunquam Spiritus sancti nomen proferre potuit, antequam suam palam fateretur errorem : in *Moguntina* altera anno 1071. in qua Episcopus Constantiensis Carolus Simoniace electus, e Sede ejectus est ; ac in *Romana* 1078. S. Gregorii VII. in qua multa decreta fuerunt contra Simoniacos, bonorumque Ecclesiasticorum raptores.

Ad hanc classem referri possunt Concilia contra *Investituras*, sive rei beneficiariæ possessiones auctoritate secularium Principum initas. Falso investituræ dicuntur Othoni III. concessæ ab Innocentio VIII. tametsi hæc concessio a pseudopontifice facta, esset irrita ac nulla. Damnatæ fuerunt investituræ in Synodo *Romana* S. Gregorii VII. anno 1075. & rursus anno 1080. qua in Synodo etiam exauctoratus est Henricus IV. ablatis ei Teutonicorum & Italorum gubernaculis, & corona imperii, ut diximus, collata Rudolpho. Quæ contra Henricum & Investituras confirmata fuerunt in Synodo proximi anni 1081. In Concilio item *Beneventano*, an. 1087. sub Victore III. Investituræ fuerunt inhibitæ, damnatis cum Guiberto Antipapa Episcopis, Abbatibus, cunctisque clericis beneficium, vel dignitatem aliquam Ecclesiasticam e laicorum manu recipientibus. Idem in *Romana* Synodo statutum fuit anno 1099. sub Urbano II. a quo Pontifice partim in Italia, partim in Gallia celebrata fuisse *duodecim Concilia*, contra Investituras, contra Simoniacos, contra Pseudopontificem Guibertum, sive Clementem, & contra hujus Seculi turpitudines, pestesque teterrimas, tradunt Acta Pontificum Romanorum.

Teterrimas pestes voco turpitudines libidinum, & adulterina connubia. Ad hæc vero coercenda in *Moguntino Concilio* an. 1049. non solum simoniacæ ordinationes, sed etiam conjugia Clericorum fue-

runt inhibita. In *Romano* anno 1051. depositus ob adulterium Episcopus Vercellensis, de quo cap. præcedenti. Gregorii VII. *Synodo* an. 1074. decretum promulgatum est in Clericos concubinarios; & ipsum decretum eodem anno innovatum est in Concilio *Erfordiensi* congregato ab Archiepiscopo Moguntino. Urbanus II. an. 1095. in Synodo *Claromontana* damnavit Nicolaitas, fœdumque mulierum abusum, dirisque devovit Philippum Francorum Regem, qui Berta conjuge repudiata, Bertradam raptam Fulconi Comiti Andegavensi viro suo, pellicem habuit, deinde uxorem, vivente Berta, duxit, voluitque Reginam inungi, rursus, iterumque pro ea causa perculsus anathemate. Idem Urbanus in Synodo *Placentina* an. 1095. causam dijudicavit Adelaidis Praxedis Imperatricis; quam a se repudiatam, & detrusam in carcerem Henricus IV. ab alienis jusserat violari invitam: quare Praxedes absoluta est, & Henricus hoc etiam nomine anathemati subjectus.

Ad eliminandas hæreses celebrata fuere, quæ sequuntur, Concilia. Anno 1017. *Aurelianense* contra Lisoium & Heribertum Manichæos, Sabellianos, & Fanaticos: anno 1050. contra *Berengarium*, eodem anno proscriptum tribus aliis Synodis *Brionensi*, *Vercellensi*, & *Parisiensi*; quarum primæ plurimi præter Episcopos eruditi viri interfuerunt, alteri S. Leo IX. Papa, tertiæ Rex quoque Francorum Henricus. Damnata est pariter hæresis Berengarii an. 1059. sub Nicolao II, & anno 1079. in Synodo *Romana* sub S. Gregorio VII. & in *Burdigalensi* sub Amato Apostolicæ Sedis Legato. In Concilio *Romano* sub Alexandro II. anno 1065. proscripta est hæresis Incestuosorum: atque in *Barensi* anno 1097. statutum est, ac propugnatum, opera præsertim S. Anselmi Cantuariensis, dogma de processione Spiritus sancti a Patre & a Filio contra errores Græcorum. De Nicolaitis dictum est paulo supra: de Synodis vero pro reformandis moribus & pro disciplina restituenda habitis, non opus est agere singillatim.

CA

CAPUT III.

UNDECIMI SECULI HÆRESES.

Heribertus & *Lisoius*, quorum supra meminimus, Clerici Aurelianenses Manichæorum aliorumque Veterum hæreticorum deliramenta sectantes, divinæ utriusque Testamenti derogabant auctoritati, individuam Trinitatem irridebant, negabant Christum natum de Virgine, & vere passum, ac vere mortuum, cœlum terramque semper extitisse autumabant, æternorum suppliciorum, præmiique sempiternæ beatitatis tollebant retributionem, & in baptismo deleri originale peccatum, in Eucharistia Corpus Domini contineri tanta negebant pervicacia, ut damnati in Synodo Aurelianensi, flammis jubente Roberto Rege fuerint exusti. Flammis item in Oriente jussu Alexii Comneni viventes absumpti fuerunt Manichæi alii consimilibus erroribus implicati, quos *Bogomilos* dixere.

Novi hujus Seculi *Nicolaitæ*, & *Incestuosi* secerni debent. *Nicolaitæ* enim dicti sunt Clerici in sacris ordinibus constituti, qui ut effusæ in femineum sexum libidini velum quoddam honestatis obtenderent, fas sibi esse tradebant, uxorem ducere: quorum tanta fuit multitudo, ut sedente Nicolao II. vix unus in Mediolanensi inveniretur Ecclesia, qui non esset vel turpi concubitu, vel Simoniaca labe pollutus. *Incestuosi* autem consanguinitatis gradus pervertebant, affirmantes quod germani fratres & sorores sint inter se in secunda generatione, filii eorum vel filiæ in quarta, nepotes vel nuptæ eorum in sexta; ac tali modo progeniem computantes, & in hujusmodi sexto gradu terminantes, ajebant viros ac mulieres deinceps inter se posse nuptialia jura contrahere. Vide Gratianum XXXV. 5. 7. *Simoniaci*, quorum pariter ingens numerus, contendebant posse a Principibus laicis sine crimine emi episcopatus & abbatias, dummo-

do consecratio gratis acciperetur; quoniam hoc pacto non emitur Ecclesiastica dignitas, sed possessio prædiorum, quæ sunt venalia.

Berengarius Archidiaconus Andegavensis dogmatizavit, panem, & vinum in Eucharistia non converti in substantiam Corporis & Sanguinis Domini, sæpe damnatus, ut diximus cap. præc. interdum rediens ad vomitum; in Romana Synodo sub Nicolao II. an. 1059. Catholicam fidei professionem emisit: postea virulenta edidit iterum scripta: rursus sub Gregorio VII. an. 1079. hæresim solemni fidei confessione ejuravit, obiitque pœnitens, & in communione. Catholica die 5. Januarii anno 1088. (*l*)

Duo alii prodierunt Seculo, in quo versamur, hæretici, *Wecilo*, & *Roscellinus*. Primus pro Henrico imperatore adversus S. Gregorium VII. decertans, contendebat seculares nullatenus Ecclesiastico subjacere judicio, nec pro quovis excessu posse excommunicatione perstringi. Ex Clerico fugitivo ab Henrico acceperat investituram Archiepiscopatus Moguntini, & condemnatus fuit in Conventu *Quintiliniburgensi*, prope Halberstadium Saxoniæ urbem, an. 1085. *Roscellinus* vero dialecticus Compendiensis in Gallia Belgica, Petri Abaelardi Magister, docuit tres in Deo reperiri personas, substantia ab invicem distinctas, quomodo sunt tres homines, vel tres angeli, licet eadem potestate, & voluntate præditas; omnes pariter eamdem assumpsisse humanam naturam, nec incongruum futurum fuisse tres Deos nominare, si invalesceret usus. Damnatus est autem anno 1092. in Synodo *Suessionensi*.

Hoc demum Seculo Græci ab Ecclesia Romana sejuncti sunt, dissidia enim sub Photio exorta fuerant

(*l*) Apud plurimos legi, obiisse Berengarium die 6. Jan. sed in Epitaphio edito ab ejus discipulo Hildeberto Cenomanensi habetur, *Jani quinta dies abstulit ausa nefas.*

rant pridem ſopita ſedente Stephano V. & imperante Leone Philoſopho. Renovati ſchismatis cauſa *Michael Cerularius*, qui renunciatus Patriarcha C. P. an. 1043. cœpit voce, ſcriptisque debacchari in Romanam Eccleſiam, obloquens præſertim adverſus ejus primatum, adverſus particulam *Filioque* inſertam Symbolo, & adverſus uſum azymi in Euchariſtia conficienda. (*m*) Concordiam fruſtra tentavit per legatos Apoſtolicos S. Leo IX. nam hujus quoque nomen e diptychis Michael abraſit, fuitque auctor, ut idem facinus auderent quidam alii Orientales Epiſcopi. Obiit *Cerularius* relegatus in Proconneſum Propontidis inſulam ab Imperatore Iſacio an. 1058.

CAPUT IV.

ECCLESIASTICI SCRIPTORES SECULI XI.

Aliquos Seculi hujus Scriptores inter Sanctos veneratur Eccleſia. Hi ſunt, *Petrus Damiani*, *Bruno*, *Ivo*, & *Anſelmus*. *S. Petrus* Ravennas, a fratre, quem habuit loco parentis, Damiani appellatus, familia *de Honeſtis*, & Monachus ad Fontem Avellanum, cœlibatus Clericorum ſtrenuiſſimus vindex, & Simoniaci criminis hoſtis acerrimus, Faventiæ piiſſimam efflavit animam anno 1082. die 22. (*n*) Februarii, cum plures ſermones ſcripſiſſet, Vitas S. Odilonis Abbatis Cluniacenſis, S. Romualdi Camaldulenſium Inſtitutoris, aliorumque

(*m*) Noti ſunt alii Græcorum errores circa Purgatorium, quod negant, & circa animarum ſanctarum beatitudinem, quam differri opinantur ad extremum uſque diem univerſalis judicii, &c.

(*n*) Aliis 23.

que SS. nec non Tractatus 52. *S. Bruno* Coloniensis patria, & Canonicus Rhemensis, postea Carthusianorum institutor, in Psalmos Davidis, & in omnes Epistolas Pauli edidit Commentaria, Fideique Confessionem, variaque opuscula. Secessit in Carthusiæ eremum an. 1084. & in Calabriam an. 1095. ex hac autem vita an. 1101. die 6. Octobris. *S. Ivo* Bellovacensis, Abbas primum in patria Monasterii S. Quintini, deinde Episcopus Carnutensis in Gallia Celtica creatus ab Urbano II. an. 1092. præter Epist. 287. breve Chronicum Regum Francorum, sermones varios, aliaque hujusmodi scripta, edidit librum Decretorum in partes 17. distributum, & *Panormiam*, scilicet, Decretorum summam, divisam in partes octo. Decessit tamen proximo Seculo XII. nempe an. 1115. die 23. Decemb. *S. Anselmus* ex Abbate Beccensi, in diœcesi Rotomagi, inauguratus Archiepiscopus Cantuariensis an. 1093. defensor Processionis Spiritus S. a Filio contra Græcos, complurium Theologicorum, & Asceticorum Tractatuum Scriptor luculentissimus: quem cœlum terris rapuit die 21. Aprilis an. 1109.

Permulti alii in omni sententiarum Divinarum genere claruerunt. Sacras enim Litteras exquisitis commentariis interpretati sunt, *Michael Psellus* (o) Constantinopoli prosapia ortus consulari, de Aristotelis quoque Philosophia, cæterisque disciplinis egregie

(o) Distinguendus ab altero, de quo in Appendice Seculi IX. Iste enim fuit præceptor *Michaelis Ducæ*, quo a Nicephoro Botoniata exauctorato, Psellus coactus solum vertere obiit mœrore confectus. *Pselli* plures fuere, de quibus Allatius, & in Bibli. th. Gr. Fabricius. Is vero πολυγραφώτατος nuncupatus omni scientiarum genere excelluit, & carmina etiam elegantissima dictabat ex tempore. Versibus quoque politicis, jussu Michaelis *Ducæ*, conscripsit Legum Epitomen; quam tamen aliqua MSS. editam indicant, jubente Constantino *Duca* Patre Michaelis. Editam puto monente Patre, & absolutam, dum imperaret Michael, & huic nuncupatam. Non multum tamen illa Pselli Synopsis ab Antonio Augustino J. C. præstantissimo æstimabatur.

egregie meritus, & jure appellatus σοφώτατος καὶ τῶν φιλοσόφων ὤπατος, a quo Cantica Canticorum eleganti metro fuerunt expoſita: *Thoros* Armenorum Patriarcha quatuor Evangeliorum Scholiaſtes: *Lanfrancus* patria Ticinenſis, Beccenſis Abbas, & Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui non tantum Berengarii hæreſim confutavit, & Monachorum digeſſit ſtatuta, verum etiam in omnes Epiſtolas Pauli, & in Pſalmos Davidicos edidit commentarios: *Villeramus* Teutonicus, item Monachus, qui patrio idiomate, & latino carmine Cantici Canticorum geminam ſcripſit paraphraſim: *Theophilactus* C. P. & Bulgarorum Archiepiſcopus, qui IV. Evangelia, Acta Apoſtolorum, Epiſtolas Pauli, & XII. minores Prophetas, defloratis Chryſoſtomi aliorumque Patrum libris, explanavit; & *Bruno* in oppido Soleria apud Inſubres ortus, deinde Canonicus Senenſis, poſtea Signienſis Epiſcopus, omnium fere Scripturarum divinarum Interpres.

Præter hunc Brunonem, & Lanfrancum, refutarunt hæreſim Berengarii *Albericus* Monachus Caſſinenſis, & S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, *Hugo* e Cluniacenſi Monacho Epiſcopus Lingonenſis, in finibus Burgundiæ, *Theoduinus* Leodienſis Epiſcopus, & *Adelmannus* Epiſcopus Brixienſis; qui omnes de veritate Corporis, & Sanguinis Domini in Euchariſtia pertractarunt. Pro Romana autem Eccleſia calamum exercuerunt *Humbertus* e Monacho Tullenſi S. R. E. Cardinalis, a quo refutati ſunt libri Michaelis Cerularii, Leonis Achridani, metropolitæ Bulgarorum, & Nicetæ Pactorati Monachi, & Presbyteri C. P. qui ſcripſerunt contra uſum Azymi, jejunium Sabbati, & cœlibatum Sacerdotum: *Guitmundus* item, *Albericus*, aliique profeſſione monaſtica, Eccleſiaſticis inſulis, ſacrorumque dogmatum defenſione percelebres. De Meſſiæ quoque adventu contra Judæos diſputavit *Samuel* e Marocho ex Hebraica ad Chriſtianam religionem converſus, in libro Arabice ſcripto ad R. Iſaac, & latinitate donato, & inſerto Volumini XVIII. Bibliothecæ Patrum.

In Eccleſiaſtica hiſtoria tam univerſali, quam particulari, verſati ſunt plurimi. *Aimoinus* Aquitanus, Monachus Floriacenſis ſcripſit 4. libris Hiſtoriam Francorum: *Ditmarus* Germanus res geſtas quinque Imperatorum Saxonum, Henrici I. trium Othonum, & Henrici II. *Sampirus* Hiſpanus Chronicum Regum Legionenſium: *Leo* Grammaticus Chronographiam ab anno 813. in quo deſiit Theophanes, ad annum 1013. *Ademarus* Monachus Lemovicenſis Chronicum Francorum ab an. 829. usque ad annum 1029. Hermannus a contractione membrorum *Contractus* denominatus, Monachus Augiæ majoris apud Conſtantiam, de ſex mundi ætatibus ab initio mundi ad annum 1054. (p) *Nilo Doxopatrius* Græcus, ſed patriæ adhuc incertæ, de Sedibus majorum Patriarcharum. *Gabriel Radulphus* Monachus Cluniacenſis hiſtoriarum libros 5. ab anno 900. ad annum 1045. *Anſelmus* Leodicenſis hiſtoriam Epiſcoporum Leodicenſium ab an. 666. ad an. 1048. *Georgius Cedrenus*, Monachus Græcus, Compendium hiſtoriarum ab Orbe condito ad annum Chriſti 1057. *Marianus Scotus* Hibernus Chronicum ab initio mundi ad an. 1083. Bertholdus Conſtantienſis hiſtoriam ſuorum temporum ab an. 1053. usque ad an. 1100. *Joannes Xiphilinus* Trapezuntinus in Epitomen redegit hiſtoriam Dionis Caſſii. (q) *Amatus* Monachus Caſſinenſis conſcripſit libros 4. de geſtis Apoſtolorum Petri, & Pauli, & libros 8. hiſtoriæ Normannorum: *Ingulphus* Anglus hiſtoriam monaſterii Croylandenſis ab an. 664. ad an. 1091. *Adamus* Canonicus Bremenſis in Saxonia inferiori libros quatuor Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ: *Joannes Scylitzes* natus in Aſia minori hiſtoriam

(p) *Hermannus* obiit eodem anno 1054. Chronicum vero ſub ejus nomine editum a Caniſio tom. 1. Antiquæ lect. creditur eſſe diverſum. Certe auctius eſt, & prolixius. Vide Biblioth. PP. tom. 18.

(q) *Joannes Xiphilinus* iſte non fuit Patriarcha C. P. ut vulgò dicitur, ſed patriarchæ nepos.

riam rerum in Oriente geſtarum ab an. 811. usque ad annum 1081. *Raymundus de Agiles* Epiſcopus Podienſis in Gallia Celtica hiſtoriam Jeroſolymitanam.

Complures alii hiſtorias ediderunt peculiares, ut *Fulbertus* Vitam S. Autberti Epiſcopi Cameracenſis: *Adelboldus* S. Henrici I. Imp. *Berno* SS. Udalrici, & Magirandi: *Varmannus* S. Pirminii: *Theodoricus* Monachus Trevirenſis inventionem & miracula S. Celſi: *Gerardus* Monachus Corbejenſis Vitam S. Adalhardi Abbatis: *Ubertus* R. E. archidiaconus vitam S. Leonis IX. *Alphanus* Monachus, & Archiepiſcopus Salernitanus paſſionem S. Chriſtinæ, & XII. Fratrum Martyrum Beneventi: *Osbernus* Anglus Vitas SS. Odonis, Dunſtani, & Elphegi Cantuarienſium: *Gualfredus* Epiſcopus Senenſis heroico deſcripſit carmine ſacram Gothofredi Bullionis in Orientem expeditionem. (r)

Res denique Eccleſiaſticas, ad ritus, Feſtorumque ſolemnitatem ſpectantes expoſuerunt *Lupus* Anglo-Saxo, *Berno* paulo ſupra laudatus. *David* Syrus Maronytarum in monte Libano Epiſcopus, *Philippus Solitarius*, *Hildebertus* Monachus Cluniacenſis, & *Guido* Monachus Aretinus, qui miram cantandi artem docuit in opere Muſico, quod appellavit *Micrologum*, & inſcripſit Epiſcopo Aretii Theobaldo. Adde Seculi hujus Scriptoribus *Alulphum* Monachum Tornacenſem, qui ex omnibus S. Gregorii operibus librum contexuit, quem

(r) Hiſtorici quidam plurimum laudant *Venericum* ex Clerico Trevirenſi electum anno 1075. Vercellenſ. Epiſcopum: cujus librum de Diſcordia regni, & Sacerdotii citat Trithemius. At ſciendum eſt, Venericum iſtum fuiſſe a partibus Henrici IV. & S. Gregorii VII. adverſarium, fautorem quoque Guiberti, ſeu Clementis III. Pſeudopontificis, & Conciliabuli Moguntini coacti anno 1085.

appellavit *Gregorialem*, & *Bonitium* Epiſcopum Sutrinum, qui præter Epitomen Hiſtoriæ Pontificum Romanorum a Petro ad Urbanum II. omnia opera, omnesque ſententias S. P. Auguſtini in unum volumen collegit, diviſum in libros 8. cum titulo *Paradiſi Auguſtiniani.*

CAPUT V.

OCCIDENTIS, ET ORIENTIS IMPERATORUM, SANCTORUMQUE MULTORUM CHRONOGRAPHIA.

Maturabat in Germaniam reditum *Otho III.* Imperator poſt ædificatam Romæ in inſula Tiberina in honorem S. Adelberti Pragenſis Eccleſiam, eamque *S. Bartholomæi* Apoſtoli, cujus modo titulum præfert, translatis Benevento exuviis decoratam, niſi Beneventani *S. Paulini*, vel alterius reliquias, pro Apoſtoli cineribus ſuppoſuerunt; quando Paterni deceſſit anno 1002. die 28. Januarii veneno, ut fertur, in chirothecis ei propinato a concubina. Aquisgranum Othonis cadaver translatum fuit. (s)

Poſt

(s) Otho III. venenum hauſit infectis chirothecis opera mulieris, qua familiariter utebatur. Ea fuerat uxor Creſcentii, quem affectantem imperium, atque rebellem Otho, ut alibi diximus, juſſerat ſuſpendi. Patravit femina tantum facinus, dum Imperatore reditum parante in Germaniam, excidit a ſpe conjugii, & Auguſtalis, quam immodice concupierat, dignitatis. Othonis III. cadaver ex Italia in Germaniam aromatibus conditum deferri curavit S. Henricus, qui illi in Imperio ſucceſ-

Post Othonem III. in Comitiis Germanicis eodem an. 1002. inauguratus est *Henricus II.* Sanctorum Fastis adscriptus, aureo coronatus diademate an. 1014. die 22. Febr. a Benedicto VIII. Qui solos decoratos corona a Romano Pontifice, vocant Imperatores, S. Henricum II. *Germaniæ Regem*, & Imperatorem *hujus nominis I.* appellitat. Quam nos distinctionem ad confusionem vitandam omittimus. Fuit *Henricus* filius ducis Bavariæ, & nepos Othonis I. Uxor illi *S. Cunegunda* filia Sigefridi Palatini ad Rhenum, appellata *Mater pauperum*: quam, etsi venit aliquando in adulterii suspicionem, a se candentis ferri remotam experimento, Henricus moriens parentibus suis reddidit illibatam. Obiit S. Henricus an. 1024. die 14. Julii, & S. Cunegunda an. 1040. die 3. Martii. (*t*)

S. Hen-

---

successit. Intestina viscera Augustæ Vindelicorum, vulgo *Augsburg*, fuerunt recondita in templo sanctæ Afræ. Reliquum corpus delatum fuit Aquisgranum. In laudata S. Afræ æde legitur Epitaphium;

Romani Imperii decus amplum, tertius OTTO,
Ossa in Aquis. Grani, hic viscera clausa tenet.

Nullam Otho III. reliquit procreatam ex se prolem; impletumque ajunt in Othone I. Græcum illum versiculum:

Αὐτὴς καὶ παῖδες, καὶ παίδων οὐκ ἔτι παῖδες,

sive Latinum:

Tu, natique tui, sed non stirps ulla nepotum.

(*t*) Nomen Patris *S. Henrici* fuit Henricus cognomine *Hezalo*, mater vero *Bertha*, filia Ducis Lotharingiæ, Matrona piissima, atque religiosissima. Hunc Henricum Martyrologium Romanum pridie Idus Julii vocat *Henricum primum*, Molanus vero in Addit. ad Usuardum appellat *Henricum Secundum*. Causam hujus variationis nuper attulimus. Conversionis ad Christi fidem Hungarorum, & sanctitatis Stephani illorum Regis, Henricus auctor fuit, eidem Stephano *Giselam* sororem despondens

S. Henrico II. succeſſit *Conradus II.* cognomine *Salicus*, inauguratus prædicto anno 1024. coronatus vero a Joanne X. anno 1027. qui obiit repentina morte Trajecti in Brabantia anno 1039. die 6. Julii. (*u*) Arripuit autem tunc Imperium *Henricus III.* filius ipſius Conradi, & Giſelæ filiæ Lotharii Francorum Regis: qui imperavit usque ad annum 1056. diem vero 7. Octobris. Obiit Burdfeldiæ in Saxonia, afflictus ſeptem dierum morbo, non ſuffocatus, ut quidam ſcripſere, panis fragmento. Illius cadaver Spiram ad Rhenum fuit adſportatum. A capillorum colore appellabatur *Henricus Niger.* (*x*)

. Præ-

---

ea conditione, ut ſuſciperet baptiſmi lavacrum, regnumque ſuum ad Catholicam pertraheret religionem. Sepultus fuit Bambergæ in Æde S. Petri, ejusque ſepulcro inſculpta fuit juſtitia libram manu tenens.

(*u*) Hujus *Conradi* genus non ſatis compertum eſt, illud quibusdam deducentibus ab *Eberhardo* fratre Conradi I., quibusdam vero a *Conrado* Sapiente duce Lotharingiæ, qui uxorem duxit filiam Othonis Magni Ludgardem. Conradi Pater *Hermannus*, Mater *Adelhaida* vocabatur. Obiit Trajecti, *Maſtricht*, in Belgio: at ſepultus eſt Spiræ ad Rhenum in templo B. M. V. a ſe conſtructo. En tumuli Inſcriptio:

Conradus Imp. obiit anno Domini 1039. *pridie Nonas Julii.*
Filius hic, Pater hic, Proavus jacet iſtic,
Hic Proavi Conjux, hic Henrici Senioris.

Non unus tamen Hiſtoricus Conradum obiiſſe tradit die 4. Junii, forte in prædicto Epitaphio legens, *Pridie Nonas Junii.*

(*x*) *Henricus III.* cognomento Niger, natus eſt anno 1017. Ex priori uxore *Cunilda* filia Canuti Regis Daniæ, & Norvegiæ, cum qua nuptias celebravit anno 1036. nullam ſuſcepit prolem. Ex altera vero conjuge *Agnete* genuit Henricum IV. & Conradum, qui patri non diu ſupravixit, nec non tres filias, Juditham, Mathildem, & Ittam. Prima filio Regis Hungariæ, altera Svevorum duci, ac tertia Auſtriæ principi in matrimonium juncta fuit. Prior uxor Cunilda, aut Chunelinda bien-

nio

Præcedenti an. 1054. die 21. Junii eligi in Regem, & coronari curaverat Aquisgrani filium ſuum parvulum *Henricum*, ſuſceptum ex conjuge Agnete, filia ducis Aquitaniæ Guilelmi. *Henricus* iſte, hujus nominis *IV.* in Eccleſiaſtica hiſtoria famoſus, Imperium indeptus eſt prædicto anno 1056. adhuc quinquennis, ſub matris tutela. Is ſpiritualia vendidit, jus Inveſtiturarum nimia ſibi audacia vindicavit, Agnetem Parentem ſuam prudentiſſimam feminam, ne ſano ejus uteretur conſilio, e tutela imprudens adoleſcentulus amovit: contra S. Gregorium VII. intruſit Antipapam *Clementem III.* ſeu Guibertum Epiſcopum Ravennatenſem: in Romanam Urbem hoſtis truculentus irrupit. Cum Rudolpho Sveviæ duce, a Gregorio VII. & a Saxonibus acclamato Imperatore, ſæpius conflixit: at Rudolphus an. 1080. commiſſo prælio ad Elyſtrum, non procul a Neuburgo, vulnere diſciſſo ventre, & dextera manu amputata, obiit 15. die Octobris. Bello pariter extincti ſunt alii duo, qui ſe contra Henricum Imperatores dixerunt, *Hermannus* e Lotharingia, & *Ecbertus* Saxoniæ Marchio. Adverſus autem Henricum an. 1093. rebellavit quoque filius ejus *Conradus*, ac Patrem privavit Italiæ regno. Coronatus eſt Mediolani, fidemque ſuam Urbano II. ſacramento devinxit. Verum extinctus ex repentino obitu, abdicatus a Patre, nono poſt anno. Acclamantibus denique Germaniæ principibus anno 1105. alterum Henrici IV. filium, & hunc *Henricum* nomine, ei Pater tradidit invitus imperii inſignia; egitque poſtmodum vitam miſerrimam, vita functus Leodii anno 1106. die

---

nio poſt contractas nuptias extincta eſt peſtilenti febre, non, ut quidam ajunt, a viro repudiata. Una cum Agnete Henricus II. anno 1026. in feſto Dominicæ Nativitatis coronatus eſt a Clemente II. Illius annus, diesque emortualis conſtant ex inſcriptione ſepulcri Spirenſis:

Anno Dom. Incarnationis MLVI. Henricus Imp. Non. Octobris obiit.

die 7. Augusti, cum regnasset a morte Patris annis 50. Post mortem, utpote non semel excommunicatus, fuit e tumulo extractus; anno tamen 1111. a filio *Henrico V.* Spiræ honorificentissime conditus est tumulo, annuente Paschali II., quoniam ante obitum pœnitentiam egisse testimonio complurium fuerat confirmatum. *De Henrico V.* agendum proximo Seculo XII. (*y*)

In oriente post Basilium II. extinctum an. 1028. imperarunt ab hoc anno usque ad annum 1034. *Romanus Argyrus*: hinc *Michael Paphlago* ad annum 1041. tum *Michael V. Calaphatas* ad annum 1042. postmodum *Constantinus Monomachus* usque ad annum 1054. deinde *Theodora* soror Zoes, proximo anno defuncta: deinceps anno 1055. *Michael VI.* cognomento *Stratonicus*, qui senio confectus insequente an. 1056. cessit Imperio. Post Michaelis abdicationem imperavit *Isaacius Comnenus* usque ad ann. 1059. quo anno vitam amplexus est monasticam: ab anno autem 1059. sive 1060. ad annum 1067. *Constantinus Ducas*, ab anno 1067. ad annum 1071. *Eudocia* ejus uxor, nupta Romano Diogeni: ab an. 1071. ad an. 1078. quo Patrem secutus secessit in monasterium *Michael VII.* filius Constantini Ducæ: ab anno 1078. ad an. 1081. *Nicephorus Botaniates*, & ipse tandem attonsum in Monachum; atque ab an. 1081. usque ad an. 1118. administravit Græcorum Imperium *Alexius Comnenus* Isaaci Comneni filius minimus. Hæc utriusque

---

(*y*) Henrico IV. adhuc superstite Imperium occupare tentarunt *Rudolphus* anno 1077. *Hermannus* a Lotharingia anno 1081. & *Echertus* e Saxonia. Perierunt omnes in pugna. Rudolphus anno 1080. Hermannus anno 1087. Ecbertus anno 1089.

Ad tantam egestatem Henricus IV. redactus fuerat, ut nullo Clericorum stipem illi erogante, cum beato Job gemebundus clamaret: *Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Videntur verba pœnitentis. Vide libro 9. de Regno Italiæ Sigonium.

que Imperii Occidentalis, & Orientalis Chronographia.

Regio tamen Auguſtorum principum diademate glorioſior eſt regnantium in cœlis corona : quam conſecuti ſunt an. 1002. die 26. Sept. *S. Nilus* Junior, Abbas monaſterii S. Agathæ Cryptæ ferratæ duodecimo ab Urbe lapide : an. 1004. *Abbon* Abbas Floriacenſis, martyrio affectus die 13. Novembris: anno 1007. *S. Petrus* fundator monaſterii Perufini, nunc ejus nomine nuncupati, die 10. Julii : anno 1009. *Bruno* Ruthenorum Apoſtolus coronatus die 15. Octobris : an. 1011. *Elphegus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, a piratis occiſus die 19. Aprilis : an. 1012. die 10. Aprilis *Macarius* Antiochenus, eodemque anno die 4. Januarii *Libentius* Archiepiſcopus Bremenſis, & *Colmanus* peregrinus, laqueo in Auſtria ſuſpenſus die Octobris 13. Migrarunt inſuper ad ſuperos anno 1021. die 16. Martii *S. Heribertus* Archiep. Colonienſis : an. 1022. die 27. Jan. *Theodoricus* Aurelianenſis : an. 1027. die 19. Junii. *Romualdus* Abbas Camaldulenſium inſtitutor ; (z) anno 1028. *Olavus* Rex Norvegiæ, & martyr an. 1029. die 10. Apr. *Fulbertus* Carnotenſis Epiſcopus : anno 1031. *S. Guilelmus* Abbas Divionenſis mortuus die 1. Januarii : an. 1035. die 1. Junii *Simeon Monachus* montis Sinai, deinde Trevirenſis Anachoreta : an. 1038. die 15. Auguſti. *Stephanus I.* Rex Hungariæ, cujus etiam filius *Emericus* inter Sanctos colitur die 4. Novembris. Deceſſit eodem anno 1038. die 4. Maji Epiſcopus Hildeſiæ *Gothardus* : an. 1048. *Odilon.* Abbas Cluniacenſis Calendis Januarii : 1060. *Dominicus* Eremita, dictus *Loricatus*, pridie Idus Octobris. (a) *Eduar-*

(z) *Grandius* male refert S. Romualdi tranſitum ad annum 1037.

(a) *S. Dominicus Loricatus* Eremita Camaldulenſis an. 1060. pridie Idus Octobris, non ut quidam ſcripſere anno 1061. aut 1062.

Eduardus Rex Angliæ obiit Nonis Januarii: 1067. *Robertus* Abbas in Arvernia VIII. Cal. Majas, & *Maurilius* Episcopus Andegavensis Idibus Septembris. *S. Joannes Gualbertus* Florentinus Auctor Monachorum Vallis Umbrosæ obiit anno 1073. die 12. Julii (*b*). *S. Leo* Abbas Cavensis anno 1075. eadem die Julii 12. *S. Stanislaus* Episcopus Cracoviæ in Polonia ab impio Rege Boleslao occisus est an. 1079. die septima Maji. *S. Anselmus* Episcopus Lucensis obiit Mantuæ anno 1086. die 18. Martii. *S. Canutus* Rex Daniæ trucidatus est anno 1087. die 10. Julii. *Canutum* alterum, Regem item, ac martyrem laudat Ven. Baronius in notis ad Martyr. Rom. VI. Idus Januarias. Ad hæc Sanctorum Fasti recolunt IV. Idus Junii *Margaritam* Scotorum Reginam, & V. Cal. Julias Hungariæ Regem *Ladislaum*; quorum illa obiit anno 1093. die 18. Novembris, & iste anno 1095. die Julii tricesima.

CAPUT VI.

SECULI XI. DOGMATA, ET DISCIPLINA.

Ubi Berengarius cœpit veritatem Corporis & Sanguinis Domini in Eucharistia negare, Synodis, scriptisque refutatum fuisse, constat ex dictis; ac turpiter Novatores halucinantur, tergiversatorem potius, quam communem Ecclesiæ traditionem sectantes, maxime quod & ille in sententia non perstiterit,

---

1062. aut 1066. Vide Annales Camaldul. tom. 2. pag. 229. *S. Theobaldus* ejusdem Ordinis anno 1066. Cal. Jul.

(*b*) *S. Petrus Igneus* ejusdem Joannis Gualberti discipulus obiit 1094. juxta Brev. Flor., juxta aliquos Scriptores anno 1088.

terit, ſuamque abjuraverit hæreſim. Utriusque Teſtamenti auctorem eſſe Deum, Sacramento Baptiſmatis originalem noxam deleri, bonis operibus eſſe incumbendum, Chriſtum de Virgine natum, veramque geſtaſſe carnem, in qua ſubiit crucis patibulum, ac Spiritum ſanctum Patris Filiique conſubſtantialem Amorem, ab utroque procedere, definitum eſt rurſus contra novos Manichæos, Græcosque fractarios. Promiſcuos concubitus, fœdasque libidines damnavit Eccleſia nullam habens rugam, vel maculam, in recentioribus Nicolaitis. Sacramenta Pœnitentiæ, ac Matrimonii, Sanctorum invocationem, Purgatorium, & ſepulturam Chriſtiano ritu ſervandam in quadam Synodo Atrebatenſi fuiſſe contra hæreticum Gandulphum expreſſe corroborata, tradit in libro 13. *Spicilegii* Dacherius.

Diximus, Cantus Eccleſiaſtici facilem methodum docuiſſe *Guidonem* Aretinum: hunc Benedictus VIII. ut clericos inſtrueret, Romam accerſivit. Qui a Laicis Principibus accipiebant inveſtituras, quæ fieri ſolebant traditione baculi, & annuli, ac præſertim qui perſolventes pecuniam acquirebant Eccleſiaſticorum bonorum poſſeſſionem, pluries perculſi ſunt anathemate. Etiam *Paſchalis II.* negavit Henrico V. conferre imperialem conſecrationem, niſi prius dominium illud conferendi Eccleſiaſticas dignitates ac poſſeſſiones dimitteret; quamvis tandem ærumnis preſſus indulſerit, ut electis regni ſui Epiſcopis & Abbatibus liceret illi baculum annulumque præbere, præter omnem tamen violentiam ac Simoniam. Pontifices Maximi non expectato Imperatorum aſſenſu canonice fuerunt electi; & qui fuere intruſi Imperatorum arbitrio, tanquam raptores & adulteri, Eccleſia unius ſponſa execrata eſt, ac deſpexit. Latini uſum Azymi, qui apud ipſos, mea quidem ſententia, ſemper viguit, retinuerunt, fruſtra obloquentibus *Michaele Cerulario*, cæterisque Græcis ſchismaticis. Gradus conſanguinitatis canonicis ſanctionibus ita ſunt conſtituti, ut filii & filiæ fratrum & ſororum in ſecunda generatione numerentur, nepotes in tertia, pronepotes in quarta, & ſic

deinceps; qui vero germanos fratres & sorores, in secunda, eorum filios & filias in quarta, ac nepotes vel neptes in sexta generatione locantes, inter hos postremos licita asserebant connubia, *Incestuosi*, ut diximus cap. 2. appellati, ab *Alexandro II.* declarati sunt pro sua temeritate cœlesti pœna, & gladio perpetui anathematis puniendi.

Idem *Alexander II.* statuit, ut sacro Presbyteratus ordine consecrati unam tantum singulis diebus *Missam* celebrarent, excepto die Dominicæ Nativitatis. Definitum id fuit in Synodo Romana anno 1063. ex qua depromptus est can. *Sufficit*, de Consecr. dist. 1. Olim quippe non una fuit in *Missis* agendis consuetudo. Nam fuerunt dies a Card. Bona libro 1. cap. 18. dicti *Aliturgici*, in quibus non offerebatur sacrificium altaris, cujusmodi est etiamnum *Paraskeve* Paschatis, & apud Græcos Quadragesimæ tempus, quo utuntur missa *Præsanctificatorum*. Caruit item apud Romanos, & Alexandrinos liturgia dies Sabbati, & quæ modo viget in Sabbato majoris hebdomadæ, ut ex divino liquet Officio, ad insequentem spectabant noctem. Contra consuetum fuit duas celebrare *Missas* prima die Januarii, in vigilia Ascensionis Domini, in tribus diebus jejuniorum post Pentecostem, aliisque, quos præ laudatus Cardinalis Bona appellat dies *Polyliturgicos*. At de his plura tum Scriptor ille doctissimus, tum Edmundus Martene, & cæteri de sacris Ritibus pertractantes. Nam quantum ad quotidianam attinet oblationem, commendatam invenimus a Tertulliano de Jejunio cap. 14. a Cypriano Epistola 54. ad Cornelium, a Petro Chrysologo, &c. Unius vero a quolibet Sacerdote Sacrificii eadem die offerendi, congruam affert rationem Innocentius III. cap. *Consuluisti*, de celebrat. Missarum.

Multiplicatæ demum sunt Seculo XI. mirum in modum religiosæ Familiæ. Quidam a S. Joanne Gualberto institutam ajunt anno 1010. Congregationem *Vallis Umbrosæ*, cujus originem nos retulimus ad annum 997. Instituti itaque fuerunt hoc Seculo

culo Monachi *Cavenſes* in regno Neapolitano, ſectantes conſuetudines Cluniacenſium, anno 1075. Ordo Monachorum *Grandimontenſium* a S. Stephano Arverno inſtitutus in nemoribus Mureti in diſtrictu Lemovicenſi, anno 1076. ſed ita denominatus a Generalibus Comitiis ad *Grandem montem* habitis anno 1267. in eadem provincia Lemovicenſi. Canonici regulares *S. Quintini* Bellovacenſis, quorum origo conſignatur anno 1078. *Carthuſiani* auctorem habuere anno 1086. vel, ut ſupra diximus, anno 1084. (diſcrepant enim Hiſtorici) S. Brunonem, & S. Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanum in Gallia Narbonenſi, nomen ſortiti a *Carthuſia* ejusdem diœceſis eremo. Inſtitutus anno 1095. a Gaſtone Viennenſi in Delphinatu Equite Ordo *S. Antonii*, cujus alumni infirmis (c) inſervientes in veſte deferunt litteram *Tau*. Anno demum 1098. S. Robertus Abbas Molismenſis in Gallia Celtica, B. Albericus, & S. Stephanus, qui Molismenſe Cœnobium ſucceſſive gubernarunt, annuentibus Hugone Archiepiſcopo Lugdunenſi, Valtero Cabilonenſi, & Odone duce Burgundiæ, inſtituerunt ſacrum Ordinem *Ciſtercienſium*.

APPENDIX.

RERUM EXTERNARUM.

Francorum Rex *Robertus* F. Hugonis Capeti adminiſtravit Rempublicam ſumma pietate & juſtitia usque ad annum 1031. Regnavit poſtmodum

(c) Laborantibus præſertim elephantia, & impetigine, vel potius eryſipelate, quam *ſacrum ignem*, ſeu *ignem S. Antonii* dixerunt; & de qua Virgilius in fine 3. libri Georg.

Nec longo deinde moranti
Tempore, contactos artus ſacer ignis edebat;

niſi mavis hoc in loco intelligere peſtilentiam.

Henricus I. Roberti filius usque ad annum 1060. deinde *Philippus I.* filius Henrici usque ad annum 1108. spatio scilicet annorum 48. primum ab Urbano II. ob repudiatam Bertham sacrorum usu interdictus, sed postea reconciliatus Ecclesiæ.

In Hispania post Alphonsum V. anno 1028. regnum Legionis & Castiliæ auspicatus est *Veremundus III.* Anno 1038. *Ferdinandus Magnus*, cui etiam cesserunt Asturiæ. Anno 1065. *Sanctius II.* Ferdinandi filius natu maximus. Anno 1072. *Alphonsus VI.* Sancii frater minor, qui regnavit annis 37. nimirum usque ad annum 1109. Dixi regnum *Castiliæ*; jam enim tria surrexerant in Hispania regna, id est, *Castiliæ*, *Aragoniæ*, & *Navarræ*; & Seculo XI. in Navarra regnarunt *Sanctius*, (*d*) *Garzias*, ac *Sancii* alii duo: (*e*) in Aragonia autem *Ramirus*, *Sanctius*, & *Petrus I.* (*f*)

Sub hujus Seculi initia, ut libro 8. de Regno Ital. tradit Sigonius, tres originem habuerunt Respublicæ, Florentinorum, Pisanorum, & Genuensium. Saracenis hoc vertente Seculo, quæ subjicimus, evenerunt. Anno 1005. Pisani eis eripuerunt Sardiniam, Genuenses Corsicam. Ipsi autem, an. 1007. Capuam, anno 1008. Jerosolymam, & anno 1009. Consentiam in Calabria, & Bituntum in Apulia expugnarunt. (*g*) At Michael Paphlago anno 1034. Sara-

(*d*) *Major* appellatus.

(*e*) Nimirum *Sanctius V.* & *VI.* ac *Petrus* filius *Sancii V.*

(*f*) Ad annum usque 1036. regnavit in Anglia *Canutus*. Ad annum 1040. *Araldus*. Ad 1042. *Harde-Canutus*. Ad 1043. *Alfridus*. Ad annum 1066. S. *Eduardus*. Eodem anno *Eraldus*. Usque ad annum 1087. *Guilelmus I.* Usque ad 1135. *Henricus I.* In Polonia *Boleslaus I.* regnavit usque ad annum 1025. *Micislaus II.* ad 1035. *Casimirus* 1058. *Boleslaus II.* 1079. *Ladislaus* 1102.

(*g*) Hoc anno 1009. die 6. Octobris feria 5. hora una ante mediam noctem, lunam coopertam tetrimo sanguine tradunt Chronica Belgica.

Saracenis, duce Marmace, eripuit Siciliam. Turcæ anno 1045. adversus Saracenos arma vertentes paulatim totum pene Orientem occuparunt. Hi quoque Mahumetis receperunt Alcoranum, & an. 1048. tota devicta Persida, cæsoque Saraceno Arvira, Regem suum Tangrolipicen *Sultanum* (quod idem sonat ac *Rex Regum*) primitus nominarunt. Caliphas Ægypti anno 1056. Jerosolymis Sepulcrum Redemptoris nostri claudi mandavit, inhibito Christianis ingressu. Tunetini Mahumetani anno 1074. fines ac litus Calabriæ, & Siciliæ infestarunt. Rogerius Siciliæ Comes anno 1078. Tauromenio, & anno 1091. ex universa Sicilia Saracenos fugavit. (*h*)

Adversus Saracenos & Turcas sedente Urbano II. & hortante *Petro Eremita*, anno 1095. decretum est Bellum Sacrum, (*Cruciatam* vulgo appellant) seu expeditionem militarem, cui se addicentes cruce rubri coloris in dextro humero obsignabantur. Collectæ multitudini, & in varias copias distributæ dux & imperator anno 1096. constitutus est *Gothofredus Bullionus* Dux Lotharingiæ. Quamvis multi perierint, non Turcarum tantum, verum etiam Græcorum insidiis; pervenerunt tamen Nicæam peditum 600. M. & equitum 100. M. Urbs illa Solimani

(*h*) Poterant inter Seculi XI. calamitates commemorari incendium Papiæ anno 1004. Terræmotus ingens in Franconia, præsertim Fuldæ, anno 1013. Horribilis cometes, & pluvia sanguinis in Gallia an. 1014. Intolerabile frigus anni 1020. Rapta apud Anglos a Diabolo mulier venefica cum vehementi ejulatu anno 1045. Colubrorum agmina in finibus Tornaci inter se confligentia, & consecuta inde pestilentia, & fames anno 1059. Aquarum in Italia, & in Belgio talis inundatio, ut innumera ædificia corruerint, & gallinæ, anseres, aliaque domestica animalia in sylvas confugerint, anno 1086. Erumpens fons sanguinis in Normannia, incendia, imbres, & locustarum agmina anno 1091. pestis, quæ apud Gallos, Germanosque anno 1093. desæviit: igneus draco per aerem volitans, jacula ignita, arma in cœlo cruenta, monstruosi partus, pluraque id genus ostenta anni 1099.

regia, cum aliis civitatibus 41. & oppidis, plus, minus, 200. a Christianis expugnata fuit anno 1097. Fidelium 13. millia, Turcarum 200. M. vario certamine ceciderunt. Antiochia a nostratibus capta est anno 1098. valde Christianorum exercitu diminuto. Proximo anno 1099. Christiani obsidione cinxerunt S. civitatem Jerusalem die 5. Junii, expugnarunt autem, & occuparunt die 25. Julii, feria 6. Primus omnium mœnia superavit miles, (*i*) quem concivem suum Pisani opinantur, secundus Gothofredus, tertius ejus frater Eustachius. Die a capta urbe octavo *Gothofredus* Rex Jerosolymorum cunctorum suffragiis fuit declaratus. (*k*)

Quamquam plura dixi de Saracenis; alia tamen occurrunt commemoranda. Nam *Basilius* Græcorum imperator anno 1014. Bulgaris superatis, crudelissime victoriam exercuit, jubens illorum 1500. oculos erui. *Bohemi* anno 1038. eripuere Polonis Uratislaviam, & Cracoviam. *Scythæ* anno 1064. depopulati sunt Thraciam, Macedoniam, & Græciam:

(*i*) Prietius ait, in muros omnium primum conscendisse *Raimbaldum Creconium* nobilem Picardum.

(*k*) Procumbenti ad Sepulcrum Domini Gothofredo, aureamque coronam abjicienti spinea imposita fuit. Hinc epigrama illud:

Laura non hominem gestare, nec aurea Regem
Fas, ubi Rex Divum spinea serta tulit.

Qui ajunt *Petrum* Eremitam Ambianensem ad promovendum bellum sacrum ostentasse epistolam e cœlo ad Christianum populum missam, id referunt ex *Dodechino* continuatore Chronici Mariani Scoti. *Voltaire*, cæterisque objicientibus, summa imprudentia susceptam expeditionem, ex qua Europa privata est incolarum suarum parte maxima, profusa immensa thesaurorum copia, extinctæ nobilissimæ familiæ, exortæ innumeræ cædes, pestilentiæ, & calamitates quam maximæ; respondemus plura Deo Auctore præcipi, & fieri bona, & utilia, quorum exitus, non ex Deo, sed ex hominum improbitate permultis exitiosus est, atque infelix.

ciam: at a Bulgaris anno 1066. internecione deleti sunt. *Henricus IV.* anno 1068. domuit Illyricos, quos appellitant *Sclavos*. In ipsum Henricum anno 1073. arma converterunt Saxones & Thuringi, adeo, ut vix elapsus sit fuga. Anno 1081. rursus cum Rodulpho pugnavit, infausto hujus obitu ex hac pugna consequente. In Italiam venit, urbemque Romam obsedit, & occupavit anno 1083. in ipsam Romam anno 1084. armis, incendio, & rapinis saeviit *Robertus Guiscardus* dux Calabriæ; quem necessitate adactus ad expellendum Henricum vocaverat S. Gregorius VII.

Scriptoribus hujus ævi adnumeremus oportet Avicennam philosophum Arabem, ac medicum praestantissimum, qui nunquam dormivisse fertur integram noctem, ut studiis vacaret, & anno ætatis suæ 18. totam absolverat ἐγκυλοπαιδείαν (*l*). Obiit Alcorano addictus, aut forte nullius religionis, circa annum Chr. 1050. Claruerunt praeterea in historia Germanica *Lambertus Schafnaburgenſis*, ex quo plura exscripsit Trithemius; inter haereticos tamen 1. Cl. rejectus in Indice Hispanico anni 1067. atque in Historia Regum Dalmatiæ & Croatiæ Auctor *Anonymus*, latinitate donatus a Marco Marulo Spalatensi. Ex antiquorum medicorum libris plura collegit *Constantinus* Afer, post universum fere orbem peragratum, omnemque Chaldæorum, Persarum, Arabum, & Saracenorum comparatam sibi disciplinam, insidiis elapsus, & inter Cassinenses Monachos cooptatus. *Joannes* Italus, atque, ut arbitror, Siculus tantum in philosophia excelluit, ut profectus Constantinopolim, Michaeli Psello suffectus, cum omnium admiratione Aristotelis, Platonis,

(*l*) ἐγκυκλοπαιδεία, quasi *circularis scientia*, *ab* ἐγκύκλιος, *circularis*, & a παιδεία, *disciplina*, vel *eruditio*, significat omnem fere scientiam simul compactam, & ductum quemdam multarum disciplinarum confertum.

tonis, Porphyrii, Jamblici, & Procli explanaverit libros: sed propugnans Pythagoricam *Metempsychosim.* transmigrationem scilicet animarum, & sacrarum imaginum cultum evertens, tanquam hæreticus damnatus est, & coactus jussu imperatoris Alexii ex ambone anathematizare undecim pravæ, quam tradiderat, doctrinæ capita. (*m*) Tres libros de Henrici IV. contra Saxones bello condidit carmine *Auctor*, qui, ne sibi conflaret invidiam, diraque arcesseret, consulto nomen suppressit suum. Fertur, pro Henrico scripsisse quoque *Sigebertum*, de quo proximo Sec. cap. 4. & qui tam prosa, quam carmine plura elucubravit. Sub huius Seculi exitum, id est, anno 1099. medici *Salernitani* versibus conscripserunt Opusculum de conservanda valetudine (*n*) inscriptum Roberto Normanniæ Duci, illos de fistula brachii sananda consulenti. Incipit vero idem Opus,

Anglorum Regi dicit Schola tota Salerni,

quoniam Robertus designatus fuerat Rex Angliæ.

(*m*) Rab. *Moses Bem-Maimon*, ab initialibus litteris appellatus *Rambam*, præcellens fuit in omni Hebræorum litteratura, in jure, in medicina, in matheſi; natus Cordubæ anno communioris computi Hebræorum 4891., Æræ Christianæ 1130. laudatus a Rabbinis *Abraham Zachut*, & *Isaac* nec non a *Joanne Buxtorfio*, quem vide in Præfat. ad Opus Maimonidæ inscriptum *Doctor Perplexorum.*

(*n*) Libri titulus pervulgatus, *Schola Salernitana.* Auctor vere unus *Joannes* Mediolanensis, qui omnium Medicorum nomine scripsit, sicut opus inscriptum *Collegium Bononiense* unius Ulyssis Aldrovandi fœtura est.

DUO-

DUODECIMUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

PONTIFICES MAXIMI RECENSENTUR.

Itaque Paſchalis II. anno 1118. mortem oppetiit: poſt quem XVI. ſederunt in Petri Cathedra Romani Pontifices, nempe *Gelaſius II. Calliſtus II. Honorius II. Innocentius II. Cœleſtinus II. Lucius II. Eugenius III. Anaſtaſius IV. Hadrianus IV. Alexander III. Lucius III. Urbanus III. Gregorius VIII. Clemens III. Cœleſtinus III.* & *Innocentius III.*

CLXI. Gelaſius II. antea Joannes Cajetanus electus eſt, repugnante licet imperatore Henrico V. Is ergo inaugurari Pontificem juſſit Mauritium Epiſcopum Bracarenſem, ei Gregorii VIII. nomine impoſito. At Gelaſius damnatis in Synodo Capuana Mauritio, & Henrico, in Gallias ſeceſſit, obiitque pleuritide in monaſterio Cluniacenſi IV. Cal. Februarias anno 1119.

CLXII. Suffectus ei eſt Guido Burgundus Archiepiſcopus Viennenſis, electus Cluniaci ſuadente Conone Epiſcopo Prænestino, appellatus *Calliſtus II.* Qui rurſus Henrico, & Mauritio damnatis, & in Synodo Oecumenica Lateranenſi compoſitis circa Inveſtituras diſſidiis, ad finem vergente 6. anno

Pontificatus sui, anno scilicet 1124. Idibus Decembris excessit e vivis.

CLXIII. Post Callistum sedit *Honorius II.* Bononiensis, (a) antea Lambertus Ostiensis Episcopus, qui Henrico V. sine prole defuncto, per Apostolicæ Sedis Legatos dedit operam, ut imperator eligeretur Lotharius Dux Saxonum, & Conradum Franconiæ, ac Fridericum Sveviæ Duces filios Agnetis sororis Henrici, armis insectantes Lotharium, ut avunculi potirentur imperio, communione privavit, depositio quoque Anselmo Archiepiscopo Mediolanensi, a quo Conradus Modoetiæ acceperat Italici regni coronam. Obiit vero morte Honorius sexto anno Pontificatus, Æ. Chr. 1130. XVI. Calendas Martii.

CLXIV. Electus deinde est, licet invitus, *Innocentius II.* antea Gregorius Card. S. Angeli; sed eadem die intrusus est factione seditiosa Petrus Leonis, nomine Anacleti II. usurpato. Roma Innocentius cedens ad Ludovicum VI. Galliarum Regem, deinde ad Lotharium, a quo Romam deductus est, & restitutus, perrexit summo ubique exceptus honore. Discedente autem ex urbe Lothario imperii corona decorato, Innocentius nondum extincta Anacleti factione Pisas advenit, ibidem commoratus usque ad obitum Anacleti (b). Verum huic seditiosi substituerunt pseudopontificem alterum, quem appellarunt Victorem IV. Hic post tres menses dejectus est: ac Innocentius celebrata Synodo II. Lateranensi Oecumenica, rebusque aliis præclare, & magni-

(a) *Bononiensis* vulgo dicitur, & loco natus obscuro: at Platina Imolensem facit. Inter Bononiam vero, Imolamque, est oppidum nunc ferre dirutum, vulgo *Fignagnano.* Fertur hinc Lambertum, seu Honorium II. prodiisse, & anno Jubilæi privilegio sacram ejusdem oppidi, patriæque suæ Ædem locupletasse.

(b) Hujus rei causa S. Bernardus ad Pisanos scribens urbem illorum summopere commendavit.

magnifice gestis, anno 1143. humanis exemptus est rebus, die 24. Septembris. (c)

CLXV. Administravit deinde Ecclesiam quinque duntaxat mensibus, paucisque diebus *Cœlestinus II.* Hetruscus, vita functus anno 1144. die 9. Martii. Ab hoc Pontifice incipiunt vaticinationes, quæ tribuuntur S. Malachiæ Archiepiscopo Hiberno: quarum prima est. *Ex castro Tiberis.* Nam Cœlestinus erat Tiphernas e castro S. Felicitatis ad Tiberim, vulgo e Civitate Castellana. Ingeniose Pontificibus ante Benedictum XIII. eadem vaticinia fuerunt aptata. Huic, & sequentibus Clementi XII. & Benedicto XIV. nescio quo jure conveniant. Vaticinatio de primo est illa, *Miles in bello:* de altero, *Columna excelsa*, de tertio, *Animal rurale.* Proxime futurus prænunciatus est eo symbolo, *Rosa Umbriæ.* Post hunc ad extremum usque Judicium supersunt duntaxat XVIII. Sed nemo credat vaticinationes istas esse S. Malachiæ, atque interpretamenta aliud esse præter alicujus luxuriantis ingenii commentationes, aut alicui mortalium momenta innotescere, *quæ Pater posuit in sua potestate*, ut inquit Dominus act. 1. 6.

CLXVI. Secutus est *Lucius II.* antea Gerardus Caccianemicus Bononiensis, extinctus post mensem II. ictu lapidis anno 1145. V. Cal. Martias.

CLXVII. Sedit postea ultra annos 8. *Eugenius III.* discipulus S. Bernardi, Abbas S. Anastasii Ordinis Cistercienſis, (d) qui non sine sanctitatis fama obiit

(c) De Innocentio II. in Concilio Rhemensi anno 1131. sequenti capite laudando, ait S. Bernardus: *Plusquam Moyses hic, &c.*

(d) Antea vocabatur Bernardus Pisanus. Mirabatur S. Bernardus hunc Pontificem fuisse a S. R. E. Cardinalibus electum, vide Papirium lib. 5. pagina 201. Ornatum ab Eugenio III. tem-

obiit Tiburi in Latio. Viget apud Pisanos traditio, Eugenii Patri fuisse Montemmagnum sexto a Pisis lapide.

CLXVIII. Extincto Eugenio anno 1153. Nonis Julii successit *Anastasius IV.* Romanus, antea Conradus, & Episcopus Sabinensis, sublatus e vivis anno proximo 1154. die 2. Decembris.

CLXIX. Anastasio IV. successor datus est *Hadrianus IV.* natione Anglus, cui Nicolai nomen erat. Romanos Senatores conantes sibi pristinam vindicare libertatem ad officium redegit; multaque passus a Friderico imperatore, quem decoraverat imperii corona, ob Guilelmum Siciliæ Regem, decessit Anaginæ Cal. Septembris anno 1159.

CLXX. Rexit deinde Ecclesiam 22. annis *Alexander III.* Senensis, appellatus antea Rolandus Paperonus. Diuturnum Schisma invicta patientia compescuit, & quatuor Pseudopontifices, *Victorem V.*

---

templum Virginis in Exquiliis constat ex verbis, quæ legebantur in vestibulo:

Tertius Eugenius Romanus Papa benignus
Obtulit hoc munus, Virgo Maria, tibi.

In Prophetia Malachiæ Eugenius III. prænuntiatus eo symbolo, *Ex magnitudine montis*, ob patriam *Montem magnum*. Anno 1148. Eugenius in Etruria versabatur: eodem quippe anno XI. Cal. Decembris, templum oppidi S. Geminiani, assistentibus pluribus Cardinalibus solemniter consecravit. Proximo anno 1149. Pisis ædem S. Pauli ad Arni ripam dedicavit, ut constat ex asservato illic lapide. Etsi dicitur a S. Bernardo *rusticanus*, *pannosus homuncio*, & evectus *a securi*, *ab ascia*, *a ligone*; parentes tamen habuit nobilis prosapiæ Bernardum Paganelli & Mariam Cajetanam. Fuerat majoris templi Vicedominus, deinde Monachus Camaldulensis, & Abbas monasterii S. Zenonis, postea Cisterciensis. S. Bernardi discipulus, & Abbas monasterii SS. Vincentii & Anastasii Romæ ad Aquas Salvias.

V. Paſchalem III. Calliſtum III. & Innocentium III. temere ſe nominantes, perculſit anathemate: atque omnes, teſte Pandulpho Piſano, miſerrime perierunt. Patrocinatus eſt Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi, quem etiam Sanctis adſcripſit: Venetis plura largitus eſt privilegia: Lateranenſe Concilium III. Oecumenicum XI. celebravit; ac Fridericum imperatorem ad pedes ſuos provolutum, & veniam petentem elevans cum lacrymis excepit oſculo, ut veritati, & hujus Pontificis manſuetudini contraria tradant, qui ajunt hunc pede imperatoris preſſiſſe caput, eique inſultaſſe verbis ex pſalmo 90, petitis, *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* Obiit Alexander III. Tipherni, III. Cal. Sept. anno 1181. (*e*)

CLXXI.

(*e*) Mendacium eſſe, quod aliqui narrant, Alexandrum Venetiis anno 1177. in veſtibulo S. Marci ſuperba tyrannide, & pede ſuper caput ejus impoſito, Friderico inſultaſſe, demonſtrat Ven. Baronius ad prædictum annum numer. 86. Sane Fridericum I. humaniſſime receptum ab Alexandro conſtat ex Romoaldo Archiepiſcopo Salernitano, qui præſens adfuit, ex Chronico Andreæ Danduli, & ex Epiſtolis ipſius Alexandri III. Vide Sandinum pag. 384. Oppoſitum tradunt Georgius Luckfeld de Rerum German. Scriptoribus pag. 175. Chriſt. Mathiæ pag. 939. Caſpar Hedion. lib. 10. Hiſt. Eccl. cap. 3. Funcius lib 4. Chron. Ajunt nonnulli, ſpectatorem fuiſſe hujus facti Theodorum Marchionem Miſniæ, qui ad erigendum Imperatorem accurrerit. Mirum fabulæ fidem adhibuiſſe pag. 205. 2. Papirium Maſſonum! De Guilelmo Cave in Seculo Valdenſi, aliisque Proteſtantibus eamdem adſtruentibus nil dicam aliud, niſi unius Theodori incerto teſtimonio illorum narrationem inniti, noſtram vero notis integerrimis, & ocularibus teſtibus. Iniqua & illa de Alexandro III. Friderici expoſtulatio apud Chriſt. Mathiæ præcit.

Ecce paterna fides, & magni Præſulis alma
Integritas, humilisque Petri veſtigia ſectans,
Jam non ferre crucem Domini, ſed tradere regna
Gaudet, & Auguſtus mavult, quam Petrus haberi.

Plura ibidem leguntur hujus furfuris.

CLXXI. Deinde Romanam Ecclesiam rexit Lucius III. antea Humbaldus Allucingulus Lucensis, qui decessorum exemplo civili seditione exagitatus adiit Veronam, ubi anno quinto sui muneris inchoato persolvit naturæ debitum anno 1185. VIII. Cal. Decembris.

CLXXII. Non absolvit in Episcopatu Romano biennium successor Lucii *Urbanus III.* antea Lambertus Cribellus Archiepiscopus Mediolanensis. Etenim Venetias migraturus ad classem adversus Turcas comparandam, Ferrariæ tristi accepto nuncio de expugnatis a Saladino Jerosolymis, conceptoque ex mœrore animi morbo, anno 1187. XIV. Cal. Nov. occubuit.

CLXXIII. At brevior fuit Pontificatus *Gregorii VIII.* antea Alberti de Mora Beneventani, qui Ferrariæ inauguratus, adveniens Pisas hujus urbis cives cum Genuensibus conciliaturus, ibi intempestivo confectus est morbo, anno ipso 1187. die a sui electione 57. & 17. Decembris.

CLXXIV. Vix tres Apostolici regiminis expleverat annos *Clemens III.* antea Paulinus Scholarius Episcopus Prænestinus post obitum Gregorii electus Pisis; quando seditione Romanorum civium composita, e vivis excessit IV. Calend. Aprilis anno 1191.

CLXXV. Etsi Hyacinthus Ursinus, dum renunciatus est Pontifex, assumto nomine *Cælestini III.* ageret annum ætatis suæ 85. superstes fuit tamen annis fere septem, & de Christiana republica optime meritus, fatis cessit anno 1198. VI. Idus Januarias.

CLXXVI. Christianam exeunte Seculo XII. moderabatur rempublicam *Innocentius III.* antea Lotharius Comitis Signiæ Filius, electus statim ac Cælestinus reconditus fuit tumulo. Fuit in utroque Jure doctissimus, potestatis, ac ditionis Pontificiæ vindex acerrimus, Quæsitorum Fidei adversus Albigenses primus auctor, & pacis, atque incrementi Religionis studiosissimus. Celebratum ab illo IV. Late-

Lateranense Concilium, Oecumenicum XII. Istud vero, & Innocentii obitus, qui contigit anno 1216. die 16. Julii, ad Seculum spectant Decimum tertium.

PATRIARCHARUM NOMINA

Superiori Seculo dictum est, recuperatam fuisse a Christianis civitatem sanctam Jerusalem. Series itaque Patriarcharum ejusdem civitatis est iterum assumenda eodem anno 1099. captæ urbis electus est *Daibertus* Pisanus, Apostolicæ Sedis Legatus, a Balduino depositus anno 1103. Deinde sederunt Seculo XII. *Ebremarus*, *Gobelinus*, *Arnulphus*, *Germundus*, *Stephanus*, *Willelmus*, *Fulcherius*, *Almaricus*, *Heraclius*, *Albertus* Eremita, & *Monachus* (*f*) qui decessit anno 1204. Antiochiæ vero, quam Christiani expugnarunt anno 1098. primus sedit usque ad annum 1136. *Bernardus* natione Gallus: postea vero *Rodulphus*, *Almericus*, & *Rodulphus II.* qui ex hac vita migravit anno 1220.

CAPUT II.

SYNODORUM SECULI XII. ELENCHUS.

Romæ plura hoc Seculo celebrata fuere Concilia, eaque præsertim ad abolendum jus a principibus laicis usurpatum conferendi Ecclesiastica beneficia, sive, ut ajunt, investituras, tot schismatum, anathematum, bellorumque originem. Nam eam ob rem superstite adhuc Paschali II. anno 1102. & rursus anno 1104. 1110. 1112. & 1116. quinque cele-

(*f*) Proprium nomen. Ortus fuerat in diœcesi Florentina.

celebrata fuere *Lateranenſia Concilia*: quorum primo Henricus IV. rurſus ſacrorum uſu fuit interdictus: altero eadem pœna mulctati Regii Conſiliarii, aliique in Anglia inveſtituras exequentes: in tertio item vindicantes ſibi Eccleſiaſticorum bonorum diſpoſitionem, ſimulque diripientes res naufragorum diris devoti fuere: in quarto jus dandi inveſtituras, quod per vim Henricus V. extorſerat, revocatum eſt, promulgato in eumdem imperatorem anathemate; & in quinto proſcriptis item inveſtituris præcedentis Concilii acta confirmata fuerunt. Lateranenſibus hiſce Synodis definitione ac ſententia concordes fuere, *Jeroſolymitanæ* anno 1111. celebrata præſide Conone Apoſtolicæ Sedis Legato: *Anſana* anno 1112. collecta ab Archiepiſcopo Lugdunenſi Joanne: *Bellovacenſis* anno 1114. in Archiepiſcopatu Rhemenſi ſub prælaudato Conone, *Capuana*, & *Colonienſis* anno 1118. & *Rhemenſis* anno 1119. In his vero poſtremis una cum Henrico V. damnatus eſt Mauritius cognomento Burdinus, ſive Antipapa Gregorius VIII. de quo præced. capite n. 161.

Magna de *inveſtituris* controverſia componi cœpit anno 1122. in Concilio Conſtantienſi adſtantibus Legatis Calliſti II. atque concordia firmata eſt. Henrico eique adhærentibus ab omni cenſura abſolutis, in Concilio *Lateranenſi VI.* & Generali IX. proximo an. 1123. Præfuit Synodo idem Calliſtus, & interfuerunt Epiſcopi 300. In Pandulphi Piſani ſcriptis *nongenti* mendoſe leguntur. Reſtituit in his duobus Synodis Henricus Catholicæ Eccleſiæ omnes inveſtituras, quæ per baculum & annulum fieri conſueverant, omnemque liberam Eccleſiaſticarum dignitatum electionem & conſecrationem: & Calliſtus conceſſit Imperatori, ut electiones Epiſcoporum & Abbatum regni Teutonici fierent eo præſente, abſque ſimonia & violentia; & Electi ab eodem Imperatore reciperent *regalia*, id eſt, Feuda per ſceptrum, vel ſignum externum.

Pſeudopontifices ſequentibus Synodis depoſiti & damnati fuerunt: Gregorius VIII. an. 1117. in Concilio

Concilio *Beneventano*, & in Generali Lateranenſi nuper laudato. Petrus Leonis, ſeu Anacletus II. anno 1130. in Concilio *Anicienſi* ad ripam Ligeris: an. 1131. in *Remenſi*. cui adfuit Innocentius II. & Regi Francorum Ludovico regalem impoſuit coronam: an. 1132. in *Placentino*; & an. 1134. in Concilio *Piſano*; in quo etiam depoſitus fuit Alexander Leodienſis Epiſcopus Simoniacus. Victor III. Antipapa, & Fridericus Imperator, a quo fuerat intruſus, excommunicationis pœnam ſubierunt in Synodo Papienſi anno 1160. & *Lateranenſi VIII.* an. 1168. In Veneta an. 1177. in qua Alexander III. & Federicus Imperator reconciliati fuerunt, Paſchalis III. dejectus eſt.

Hæreticos proſcripſere, quæ ſequuntur, Concilia: *Florentinum* anno 1105. vanitatis errorisque redarguit illius urbis Epiſcopum Fluentium effutientem, natum jam eſſe Antichriſtum, & mundi interitum imminere. Concilium *Lateranenſe VII.* & X. Generale an. 1139. reſciſſis Actis Pſeudopontificis Anacleti II. condemnavit hæreſim Arnaldi Brixienſis, Petri de Bruis, atque his adhærentium Præfuit Concilio Innocentius II. & interfuerunt Archiepiſcopi & Epiſcopi mille. Damnatæ in hoc etiam Concilio hæreſis Simoniaca, Inveſtituræ, & Nicolaitarum turpitudines; indictumque anathema iis, qui in Clericum, aut Monachum violentas manus injiciunt. In Senonenſi an. 1140. damnata ſunt Petri Abaelardi nefaria dogmata; atque in *Jeroſolymitano* 1142. proſcripti Armeniorum errores. Bogomilos damnavit anno 1143. *Conſtantinopolitanum* Concilium collectum a Michaele Oxita Patriarcha, & in *Pariſienſi* an. 1147. reprobati fuerunt errores, de quibus accuſabatur Gilbertus Porretanus Epiſcopus Pictavienſis. Anno demum 1179. in Concilio *Lateranenſi IX.* & Oecumenico XI. ſub Alexandro III. ſtatutis iis, quæ ad Eccleſiaſticam attinent diſciplinam, ab Epiſcopis tercentis damnati ſunt Valdenſes, & Albigenſes hæretici.

E reliquis Synodis notandæ ſunt, *Pariſienſis* an. 1105. qua Philippus Rex, & Bertrada, ob ince-

ſtas nuptias excommunicati, præſtito juramento omnimodæ ſeparationis, impetrarunt abſolutionem. *Moguntina* anno 1105. in qua depoſito Henrico IV. hujus Filius evectus eſt ad Imperium: *Tarſenſis* in Cilicia, in qua an. 1177. Græci Armeniique Eutychianam damnarunt pariter hæreſim, & ad communionem redierunt, *Abrincatenſis* in finibus Normanniæ, ac Britanniæ, quæ a cæde S. Thomæ Cantuarienſis anno 1172. abſolvit Henricum II. Regem Angliæ; & *Divionenſis* in Burgundia, in qua an. 1199. damnatæ fuerunt illicitæ nuptiæ Philippi Francorum Regis, qui ducta altera uxore Ingeburgem legitimam conjugem repudiaverat. (g)

CAPUT III.

HÆRESES SECULI DUODECIMI.

Sequitur, ut hæreſes deſcribamus. Harum Auctores fuere *Tanchelinus*, *Petrus de Bruis*, *Henricus* Toloſanus, *Petrus Abaelardus*, *Conſtantinus Chryſomalus*, *Bogomilus*, *Arnaldus* Brixienſis, *Gilbertus Porretanus*, *Joachimus Abbas*, & *Petrus Waldo*. De Tanchelino perditiſſimo homine, tam deliro, ut ſe Dei filium eſſe jactaret, ac tam impuro, ut virgines in conſpectu parentum, nuptasque coram viris dixerit comprimendas, nil aſſerendum eſt aliud, quam illum Antverpiam claram Brabantiæ Urbem, & emporium toto orbe celeberrimum corrupiſſe, ſed opportune extinctam peſtilen-

(g) Jure meritoque prætermiſimus Pſeudo-concilium Moguntinum anni 1085. in quo ſtatutum fuit obedientiam præſtandam eſſe Antipapæ Guiberto; exauctoratus fuit S. Gregorius VII. & depoſiti quindecim Epiſcopi eidem Gregorio adhærentes. Agunt de hoc Concilio Conradus Uſpergenſis, & Sigebertus in Chronicis; plura autem Leo Hoſtienſis lib. 3. cap. 70.

peſtilentiſſimam contagionem opera S. Norberti, de quo capite proximo.

Petrus de Bruis, & *Henricus* ejus diſcipulus circa an. 1140. errores ſpargebant ſuos. Nam ad illorum evertendam hæreſim Eugenius III. anno 1147. Toloſam miſit Albericum Epiſcopum Oſtienſem. Hi vetus teſtamentum rejiciebant, baptismum ante uſum rationis adminiſtratum improbabant, adhærebant Iconoclaſtis, crucesque frangebant, ſacras demoliebantur ædes, pſalmodiam, precesque ore prolatas irridebant, ſacrificium Miſſæ, & Sacerdotum abjiciebant conſecrationem. Petrus Anatiliæ, ſive ad Fanum S. Ægydii crematus eſt. Henricus prædicto anno 1147. fuit conjectus in carcerem, ubi deceſſit.

Memoravimus ſuperiori Seculo *Bogomilos*, quamdam ſectam Manichæorum, horumque ducem Hiſtorici ajunt fuiſſe Baſilium medicum, cum ſuis igni traditum jubente Alexio Comneno. Verum fuit quoque *Bogomilus* Monachus, damnatus, ut ſuperiori cap. diximus, anno 1143. in Synodo C. P. cujus meminere perpauci. Ad Manichæorum dogmata addebat, dæmones habitare in corporibus defunctorum, quos proinde relinquebat inſepultos, effodiendo, & projiciendo extra Eccleſias oſſa cineresque fidelium. Fas eſſe autumabat tondere in Monachos etiam copulatos conjugio, & invitos quidem, ac reluctantes, nec verebatur Deo, quem nos colimus, maledicere. Fuit per id temporis *Conſtantinus Chryſomalus*, duas in homine commentus animas, baptisma parvulorum irridens, exhibendum principibus honorem, ac ſi diabolo conferretur, execrans, atque id genus ineptiarum nugarumque pleniſſimus.

Petrus Abaelardus ortus in oppido Palatii diœceſis Nannetenſis, poſt conſuetudinem cum Heloiſia, ex qua filium ſuſcepit, & cujus cauſa a feminæ conſanguineis amputata fuerunt illi virilia,

(*h*) S. Dionysii Monachus Parisiis effectus, nimis argute de Divina Trinitate disputando, aliaque Theologiæ capita pertractando, non evitavit supinos errores, dogmatizans Deum esse prorsus inaspectabilem beatis, castum Dei timorem non futurum in cœlis, nullum dari ignorantiæ peccatum, atque his consimiles errores alios: quos tamen morti proximus dicitur retractasse; imo in Senonensi Concilio an. 1140. S. Bernardo erroris capitula designanti, & asserenti Abaelardum loquentem de Trinitate sapere cum Ario, agentem de gratia sentire cum Pelagio, & de Christi persona scribentem adhærere Nestorio, ipse Abaelardus ad Sedem Apostolicam provocavit, ad quam accessurus præpeditus est ægritudine, obiitque anno 1142. apud Monachos Cluniacenses, a Petro Venerabili cohonestatus amplo, splendidoque Epitaphio. (*i*)

Arnaldus e Brixia contendebat omnia bona temporalia esse Laicorum, & injustissime a Clericis detineri, nec salutem consequi posse Episcopos Regalia, & Monachos possessiones habentes: quod postea Marsilius Patavinus, Joannes de Jamduno ICC. Waldenses, Hussitæ, & alii hæretici propugnarunt.

(*h*) Exsectus est *Abaelardus* procurante Fulberto Canonico Parisiensi, cui Heloisia neptis erat. Hæc ad preces Episcopi Trecensis præfecta fuit insigni virginum monasterio. S. Bernardi de Abaelardo judicium confirmatur Innocentii II. epistola ad Episcopos Galliarum asservata Lutetiæ Parisiorum ad S. Victoris cœnobium. In ea etenim hæc habentur: *Dolemus, quod in Petri Abaelardi pernicioſa doctrina Arii, Manichæi, Neſtorii, Eutychiani & Dioſcori hæreſes pullulare cœperunt; unde univerſa ipſius Petri perverſa dogmata cum ſuo auctore damnamus, &c.*

(*i*) Epitaphium Petri Abaelardi, ut habetur apud Caveum in Seculo Valdensi, ita clauditur:

Est satis in tumulo, Petrus hic jacet Abailardus,
Cui soli patuit scibile quidquid erat.

Ibidem obiisse dicitur XI. Calendas Majas.

runt. Arnaldus vero Roma expulsus sub Hadriano IV, captus est in finibus Hetruriæ.

Appensusque cruci, flammaque cremante solutus;

Ut lib. 3. de Gestis Federici inquit Gunterus.

Gilbertus *Porretanus*, cum Deum a Deitate, & relationes Divinas ab essentia distingui affirmasset, istorum articulorum damnationi factæ an. 1147. in Synodo Parisiensi, & sequenti anno in Remensi præsente Eugenio III. sponte libenterque subscripsit, Pictavensi Ecclesiæ ob hanc laudabilem demissionem honorifice restitutus. Etiam Joachimus Abbas Calaber de Trinitate non recte sensit; negavit enim Divinas personas esse revera unum, & idem cum Divina natura; sed post ejus obitum, cui proximus scripta sua judicio Sedis Apostolicæ subjecit, vetuit Honorius III. Innocentii III. successor, ne hæresis nota infametur.

Waldensium Secta erupit an. 1160. cum *Petrus Waldus* Lugdunensis, sociorum suorum uno repentina morte sublato, perterritus cæteros ad Evangelicam paupertatem sectandam hortatione exemploque perduxit. Hinc Waldenses appellati etiam sunt pauperes de Lugduno, Cathari, seu Puritani, in Sabaudiæ autem & Pedemontii vallibus *les Barbets*. His conjuncti sunt Albigenses, nomen sortiti ab Alba Helviorum, seu Albiga Galliæ urbe, in qua frequentissimi insederunt. (k) Non divitiarum contemptus, sed hæreseon portenta, in Waldensibus, & Albigensibus reprehenduntur. Etenim Ecclesiam Romanam a Silvestri temporibus defeciisse, ac modo esse vitiorum omnium sentinam, jejunia, ritus, indulgentias, obedientiam Ecclesiasticis Prælatis exhibendam, juramentum res esse inutiles, & interdictas, nullum dari Sacramentum præter Baptismum, & Eucharistiam, hanc etiam a Laicis confici sola recitatione orationis Dominicæ,

(k) De his rursus proximo Seculo XIII.

& Sacerdotes in grave peccatum lapsos consecrandi amittere potestatem, sunt dogmata Waldensibus & Albigensibus communia. Fleurius ad an. 1184. sc ibit Waldenses initio erasse in eo duntaxat, quod paupertatem desidem, & fanaticam profitebantur, spernebantque Ecclesiasticam potestatem. At paulatim excrescere errorum monstra, & facile improbos convenire, experimento compertum est. *Sabatatos*, & *Insabatatos* quidam dixere, non quod in Sabbato judaizarent, ut commenti sunt alicui; sed quod ob nimiam paupertatem calceos deferrent ligneos, quos Galli vocant *Sabots*.

In prælaudato Concilio Remensi anno 1147. dementiæ potius, quam hæresis laborare malitia visus est *Eudon* quidam, Gallice *Eon*: qui sæpe in Ecclesia audiens clausulam illam Exorcismorum, *Per eum, qui judicaturus est vivos & mortuos*, se futurum esse universorum judicem prædicabat: & quod nemo satis mirabitur, tam insana, & absurda venditans, magnam Vasconiæ atque Armoricæ, sive Britanniæ minoris partem corruperat. Quidam denique Seculo XII. ostentantes vitæ integritatem, omniaque exercentes exterioris pietatis officia, & se *Apostolicos* nominantes, abhorrebant a nuptiis, & nihilominus mulieribus turpi concubitu frequentissime miscebantur; quamobrem illos exagitat ac perstringit S. Bernardus sermone 66. in Cantica. Atque de hæresibus hactenus (*l*).

CA-

(*l*) Erupit Seculo XII. nova hæresis *Catharorum*, longe ab ea diversa, quæ emerfit Seculo III. aliter vocata Novatianorum. Horum Catharorum meminit ad annum 1163. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, ubi refutatos ait ab Ecberto Abbate S. Florini, & a S. Hildegarde. Dicitur ab Ughello in Archiepiscopis Mediolanensibus ad an. 1173. Galdinum redivivæ Catharorum hæresi bellum indixisse. At *Catharorum* nomen iis omnibus, qui se puros, probosque Christianos jactarunt, commune est. Hi Cathari, ut apud D. Acherium tom. I. Spi-

CAPUT IV.

SCRIPTORES ECCLESIASTICI SECULI DUODECIMI.

CCXL. Circiter enumerat Seculum, in quo versamur, Scriptores. Digni sunt, quorum recolatur memoria, saltem XXIII. tribus additis lectissimis Feminis, quamvis nec cæteri flocci habendi sint, ac spernendi.

Horum itaque primus est *Leo Marsicanus* a patria Lucaniæ urbe ita appellatus, Monachus Cassinensis, & S. R. E. Cardinalis; qui monasterii sui Chronicum edidit, obiitque post annum 1115. Secernendus est autem ab alio *Leone* Cassinensi item Monacho & Cardinali, a quo editum fuit Epistolarum PP. RR. Regestum. Sequitur *Sigebertus* Monachus Gemblacensis (*m*), præclari in Belgio, seu finibus Brabantiæ

Spicilegii refert *Bonacursus*, qui Mediolani fuerat illorum Magister, dogmatizabant, diabolum divisisse elementa, creasse hominem de limo terræ, vi in illum intrusisse Angelum lucis, concubuisse cum Eva, & genuisse Caim, ex hujus sanguine procreatos fuisse canes, omnia fere, quæ in Veteri Testamento narrantur, diabolo auctore evenisse. Addebant ad hæc, aliaque veterum Manichæorum deliramenta, crucis signum esse characterem bestiæ, Silvestrum fuisse Antichristum, defecisse ab illius ætate Ecclesiam. Negabant Christum ea, quæ de ipso narrantur, fecisse, nisi apparenter, ejusque cum Arianis impugnabant divinitatem. Omnes manducantes carnem animalium ova, caseumque damnari asserebant. Hi *Cathari* videntur esse progenitores *Albigensium*, de quibus proximo Seculo XIII. & paulo supra in *Valdensibus*.

(*m*) Sigebertus Henrico IV. adversus Romanos Pontifices S. Gregorium VII. & Paschalem II. dicitur adhæsisse. Scripsit & Chronicum Otho Frisingensis, cujus urbis pars amplior igne conflagravit octavo post obitum Chronographi mense anno 1159. Honorius itidem Augustodunensis Chronicum usque ad annum

bantiæ cœnobii, ſcriptor Chronici ab anno 381. ad annum 1112. libri de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & alterius de Geſtis Abbatum Gemblacenſium. E vivis ſublatus eſt anno 1113. Tertium locum damus *Ruperto Abbati Tuitienſi* ad ulteriorem Rheni ripam, & e regione Coloniæ Agrippinæ: quem conſcriptis in utrumque Teſtamentum Commentariis plurimis, de divinis Officiis, dialogis Aſceticis, aliisque libris multiplicis argumenti, rapuit inexorabile fatum anno 1135.

Quarto laudandus mihi foret, ſi facundia, ac tempus adeſſet, *S. Bernardus*, ortus anno 1091. in Gallia Celtica, ſeu Burgundia, non procul a Divione, amplexus cum adoleſcentibus aliis ſupra 30. inſtitutum Ciſtercienſe, Innocentii II. ad cujus obedientiam anno 1135. perduxit S. Guilelmum ducem Aquitaniæ, contra Anacletum invicte partes tutatus, Petri Abaelardi, Gilberti Porretani, Petrobruiſianorum, & Apoſtolicorum ſtrenuus impugnator; ſermonum, Epiſtolarum, variorum Tractatuum, moralium inſtitutionum, hymnorum quoque, Odarumque, quibus univerſam ferme ſacram eruditionem complectitur, auctor egregius, atque a ſtyli fluiditate & dulcedine dictus *Melliſluus*. Migravit ad ſuperos anno 1153. poſt erecta Ordinis ſui monaſteria 160.

Occurrunt modo duo Græci. *Euthymius Zigabenus* Monachus C. P. & *Nicetas Byzantinus*, quorum unus edidit Commentaria in ſacros libros, & Panopliam adverſus hæreſes; alter tractatum Apologeticum pro Synodo Chalcedonenſi. Floruit autem uterque circa annum 1120. Qua ætate Græce item annales, epiſtolas, variosque tractatus conſcripſit *Michael Glycas* natione Siculus.

Tres ordine ſervato ſequuntur inter Latinos percelebres, *Hugo de S. Victore*, *Honorius Augu*ſto*dunen-*

annum 1159. perduxit: ejusque hoc eodem capite Eccleſiaſtica Scripta recenſemus.

dunensis, & *Petrus Mauricius* cognomento *Venerabilis*. Atque *Hugo*, quem alii dixere Saxonem, alii Belgam, & Iprensem, Canonicus Ord. S. P. Augustini, & ipsius *Augustini lingua* vocatus, adnotationibus in sacros libros, sententiarum summa, institutionibus religiosæ vitæ, librisque compluribus Theologicis, & philosophicis, & liturgicis præclarissimus, obiit florida adhuc ætate anno 1140. *Honorius* dictus Solitarius eodem tempore floruit, scripsitque *Gemmam* animæ, de officio & ceremoniis Missæ, de Luminaribus Ecclesiæ, id est, Scriptoribus, virisque illustribus, de Romanis Pontificibus, Synopsim mundi, ac de Prædestinatione, & libero arbitrio: & Petrus *Venerabilis* appellatus ob morum honestatem, Abbas Cluniacensis, contra Judæorum perficaciam, adversus Saracenos, hæreticosque, & in statutis Cluniacensibus, in Rithmis hymnisque studium impendit, e vita excedens anno 1156.

Singulari commemoratione recolendus est *S. Norbertus* Præmonstratensium Parens, & Archiepiscopus Magdeburgensis, quem diximus oppugnasse Antuerpiæ hæresiarcham impurissimum Tanchelinum, quod contigit circa annum 1126. quamvis unum tantum Sermonem Norberti exhortatorium ad Fratres exhibeat nobis vicesimum primum Bibliothecæ Patrum volumen.

Recensendi nunc *Gratianus*, *Petrus Lombardus*, *Joannes Sarisburiensis*, & *Hugo Etherianus*: Primus patria Clusinas, sed monachus cœnobii S. Felicis Bononiæ, scripsit Collectionem Canonum, sive *Decretum* in partes tres distributum. Complectitur pars una dist. 101. altera causas 36. quarum singulæ varias continent quæstiones; & pars tertia agit de Consecratione distinctionibus 5. Approbavit Gratiani Decretum anno 1151. Eugenius III. atque jussit, ut publice in Academiis legeretur. *Petrus* Lombardus patria Novariensis, & Parisiensis Archiepiscopus, a quatuor sententiarum libris, in quos tot commentaria ediderunt Doctores Scholastici, vulgo appellatus *Magister Sententiarum*, scripsit quoque Glossas Psalmorum, & Epistolarum, ut inquit illius

Epitaphium. Emortualis ei annus 1164. (n) *Joannes* Sarisberiæ in Anglia ortus, de nugis Philosophorum, de omni re philologica, de Epistolis S. Pauli, de rebus gestis SS. Thomæ, & Anselmi Cantuarensium, ac supra 200. epistolas scripsit erudite, eleganterque addidit venustum Poema inscriptum *Entheticon*: obiitque mortem anno 1182. *Hugo autem Etherianus* Etruscus labente Seculo Constantinopoli, ubi plurima Manuelis Imp. gratia fruebatur, ad Alexandrum III. scripsit contra errores Græcorum, & pertractavit quoque erudite de regressu animarum.

S. Thomas nuperrime laudatus, & coronatus martyrio anno 1170. scripsit Epistolarum libros 6, quas edi curavit noster Christianus Lupus. Secernendus est autem a *Thoma Anglo*, qui conscripsit Historiam cœnobii Elvensis, vita functus circa annum 1195.

Laudandi nunc *Richardus a S. Victore*, & Petri duo, *Blesensis*, & *Cellensis*. Richardus Scotus Canonicus Regularis permulta scripsit Ascetica, Theologica,

---

(n) Addendus *Petrus Comestor* Trecensis, auctor Historiæ Scholasticæ, Canonicus Reg. S. Victoris Paris. Obiisse aliqui scribunt an. 1160. sed revera obiit an. 1198. legitur ejus Epitaphium, quod sequitur:

Petrus eram, quem petra tegit; dictusque Comestor,
Nunc comedor vermis: docui, nunc cesso docere,
Quod fumus, iste fuit; posthac erimus, quod hic est.

Item addendus *Hildebertus* creatus Archiepiscopus Turonensis ab Honorio II. *Armulphus* Archidiaconus Sagiensis; qui scripsit de Schismate orto post decessum ejusdem Honorii. *Anselmus* Episcopus Havelbergensis, qui pertractavit de Latinorum, Græcorumque controversiis, sedente Eugenio III. &c.

logica, Exegetica, (o) obiitque Parisiis an. 1173. Petrus Blesensis Anglus soluta oratione de Sacramento Pœnitentiæ, & metro de Eucharistia, aliaque docte sollerterque conscripsit, extinctus circa annum 1200. Ac Petrus Cellensis ex Monacho Carnotensis Episcopus, epistolis ac sermonibus, aliisque spectantibus ad disciplinam claustralem conscriptis, naturæ concessit anno 1187.

Complent præfixum XXIII. numerum duo Latini, quos superiori memoravimus capite, *Petrus Abaelardus*, & *Gilbertus Porretanus*, ac duo Græci, *Constantinus Manasses*, & *Theodorus Balsamon*. Constantinus Historias in compendium redegit a mundi initio usque ad annum 1181. unde illius colligitur ætas. *Theodorus* vero C. P collectis Ecclesiasticis Constitutionibus, editisque Commentariis in Canones Apostolicos, & in Nomocanonem Photii ad annum usque 1203. quo Latini occuparunt Constantinopolim, vitam protraxit (p). Expletum tamen numerum amplificarent, si agendum foret de singulis, bene multi, *Guibertus* Normannus, *Theodorus* Syrus, *Theodoricus* Episcopus Leodiensis, *Berengosus* Abbas, *Laurentius* Veronensis, *Guido* Carthusianus, *Eadmerus*, sive *Emundus* Monachus An-

---

(o) *Exegetica* dicimus scripta, quibus divini libri explanantur, a Græco vocabulo ἐξηγέομαι, quod idem significat, ac *interpretor*, *expono*.

(p) *Theodorus Balsamon* confundendus non est cum *Antiocho Balsamone*. Is enim composuit πρόχειρόν νόμων, *Promptuarium Legum*, vixitque, ut fertur, superiori seculo XI. circa eadem tempora, quibus floruit Michael Psellus, de quo in Adnotat. ad caput 4. ejusdem Seculi undecimi. At Theodorus Balsamon, vir proculdubio doctissimus, claruit imperante *Isaacio*, de quo infra capite 5. Ex præposito Ecclesiæ B. Virginis ad *Blachernas* extra mœnia C. P. electus est Patriarcha Antiochenus. Hujus doctrinam commendans nullatenus ea approbo, nec laudo, quæ scripsit adversus Latinos, & contra Romanam Ecclesiam.

Anglus, *Simeon* itidem Anglus, *Willelmus* Monachus Malmesburiensis, *Guilelmus* Clarævallensis, *Philippus* Eleemosynarius Abbas Bonæ Spei in Hannonia, *Constantinus* Hermenopolus, *Arnoldus* Carnotensis Abbas Bonævallis. *Eustachius* Thessalonicensis, *Andronicus* Comnenus Byzantinus, Joannes *Zonaras*, *Radulphus* decanus Londinensis, *Balduinus* pariter Anglus, *Stephanus* Aurelianensis, &c.

Postremo tres mihi laudandæ sunt Feminæ. Harum prima est *Anna Comnena* filia Alexii Comneni Imp. & Irenis, quæ circa annum 1148. elegantissime scripsit libros 15. historiarum ab anno 1069. usque ad annum 1118. Altera *S. Hildegardes* Abbatissa monasterii S. Ruperti ad Bingiam prope Rhenum, cujus Revelationum libros 8. approbarunt Eugenius III. aliique Pontifices. Ad cælestem Sponsum migravit anno 1180. Tertia est *S. Elisabeth* Abbatissa Sconhaugensis in diœcesi Trevirensi; quæ obiit anno ætatis suæ 36., Christi 1165. conscriptis permultis epistolis, librisque tribus Revelationum.

CAPUT V.

IMPERATORUM, SACRORUMQUE CATALOGUS.

Henricus V. Henrici IV. (q) & Berthæ filius, assumpto contra parentem imperio anno 1105. post illius obitum, qui contigit anno proximo, imperavit annis 19. & e vivis excessit anno 1125. nulla prole ex Mathilde conjuge, præter filiam Christianam nomine, suscepta. Anno 1111. Romam profectus vi, & armis a Paschali II. investituras extorsit,

(q) In quibusdam Diplomatibus appellatur Henricus IV. a pluribus Historicis V. inter Reges Germaniæ, & IV. inter Imperatores. Vide præced. Sec. cap. V.

sit, & in Germaniam rediens Patri justa persolvit. Revocatis deinde in Synodo Lateranensi privilegiis ei violenter concessis, Romam reversus est iratus & furens, & Gelasio II. a quo percussus est anathemate, surrogavit Mauritium Burdinum, hoc est, Gregorium VIII. pseudopontificem. Ab isto rursus, quod acceperat a Paschali, recepit imperiale diadema. Reconciliatus est tamen anno 1122. Apostolicæ Sedi.

Successit Henrico anno 1125. *Lotharius II.* dux Saxonum, quem anno 1133. coronavit Innocentius II, Rogerium Siciliæ Regem eidem Innocentio adversantem, & antipapæ Anacleto adhærentem, semel iterumque devicit; sed vitare non potuit mortis arma, quibus prope Tridentum vili in tugurio, dum repeteret Germaniam, anno 1137. coactus est cedere die 3. Decembris. (*r*)

Electus deinde est *Conradus III.* nepos Henrici V. ex sorore. Repressit rebelles, Henricum Saxoniæ & Bavariæ Ducem, & hujus filium Guelphum. Filium habuit Henricum ex Geltrude susceptum, ante Parentes extinctum. Is contra Guelphum, pro Genitore pugnavit: & exorti tum fuere *Guelphi*, & *Gibellini*, factio armigera & diuturna. Et Guelphi quidem a memorato Henrici filio, Gibellini ab urbe *Geblinga* (*s*), ubi Henricus Conradi Filius fuerat abla-

(*r*) Obiisse quidam ajunt die 4. Decembris, alii die 6. sed liquet dies emortualis ex ejus Epitaphio, in quo legitur in monasterio prope Brucsuicum, quo illius cadaver Henricus cognomento *Superbus* transtulit: legitur, inquam:

Exuitur membris, heu, trina luce Decembris.

Tugurium ubi decessit in valle Tridentina situm erat inter Oenum & Lycum fluvios.

(*s*) Ita Historici quidam. Conradus autem in Chronico Laurishamensi cognominatur *de Weibelingen*. Hinc puto Gibellinos nomen duxisse suum.

ablactatus, nomen traxere. Conradus e Palæstina reversus Bambergæ in Franconia obiit anno 1152. die Februarii 15. & in monumento S. Henrici I. recondi meruit.

Fridericus Ænobarbus (*t*) Conradi nepos, electus est eodem anno 1152. die 4. Martii, coronatus primum ab Arnoldo Colonienſi Archiepiſcopo, Aquisgrani, deinde ab Hadriano IV. R. P. Verum huic offensus propter privilegia conceſſa Guilelmo Siciliæ Regi, pertinaciter adhæsit Schismati, quod per annos duodeviginti turbavit Eccleſiam. Recole dicta cap. 1. num. 170. Anno demum 1177. inter Imperium ac Sacerdotium Venetiis inita est concordia: ac Fridericus ad ſacram expeditionem contra Saladinum profectus, anno 1190. in amne, cui *Ferri* nomen, in Cilicia, ſive Caramania, die 10. Junii nimium fugiens calorem, mortifero extinctus est frigore.

Eodem anno 1190. imperium auſpicatus est *Henricus VI.* Friderici & Beatricis filius. Coronatus est anno proximo a Calliſto III. Is devicta Sicilia, aut veneno, aut vi frigoris attracti inter venandum apud gelidiſſimum fontem cubando, periit Meſſanæ anno 1197. die 28. Septembris, inviſus magnopere Siculis.

Ab hoc tempore usque ad annum 1208. incertus fuit Occidentis Imperator; in duas enim partes diviſi

(*t*) Fridericus I. a rufa barba Ænobarbus, Italis *Barbaroſſa* vocatus. Ita quoque appellabatur Cn. Domitius a barba æni, ſeu aheni coloris. Hujus emblema deſumptum ex Thucydide, *Qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare*: ait enim Thucydides, κακῶς βουλεύειν τοὺς δοκοῦντας ἄρχειν. Flumen, cujus frigore interiit, ab aliis dicitur *Serra*. Idem eſſe fertur cum *Cidno*, in quo poſt æstum Alexander Magnus ſe lavans vix periculum mortis vitavit. In urbe Tyro Cadaver Friderici ſepultum. Tyrum poſt duodecim obſidionis annos expugnavit delevitque Nabuchodonoſor. Poſtea flammis Alexander conſumpſit, alio tamen ſitu poſt expugnationem Regis Aſſyriorum ædificatam. Vide cap. 26. Ezechielis.

visi Germaniæ proceres, alii elegerunt *Philippum* ejusdem Henrici fratrem, alii vero *Othonem* filium Ducis Saxoniæ. At prædicto anno 1208. Philippus Bambergæ ab Othone Palatino de Witelspach pugione per insidias confossus est: atque ex eo tempore solus imperavit *Otho*, qui est hujus nominis IV.

In oriente *Alexius Comnenus* imperium administravit usque ad an. 1118. Deinde usque ad annum 1143. Alexii filius *Joannes Comnenus*. Tum ad annum 1180. *Manuel* Joannes filius. Postmodum *Alexius* a Manuele genitus, puer annorum duodecim, ab Andronico illius tutore anno 1183. crudelissime trucidatus. Post Alexium imperium biennio tenuit ipse parricida *Andronicus*, anno 1185. a furente plebe affectus ignominia, excruciatus, & cæsus. Salutatus tunc Imperator *Isaacius Angelus*, decimo post anno, nempe 1195. a proprio fratre Alexio Angelo excæcatus, & conjectus in carcerem. *Alexius Angelus* anno 1203. a nepote suo Alexio Juniore, filio Isaaci Angeli, depositus est, & e throno dejectus.

Præter S. Bernardum Abbatem Claræ-vallensem, ac Doctorem mellifluum, alii ejusdem nominis sanctitate conspicui claruerunt, maxime *S. Bernardus* Florentinus ex nobili Ubertorum gente, septimus Monachorum Vallisumbrosæ Generalis, primus Abbas cœnobii S. Salvii prope Florentiam, S. R. E. Cardinalis, & Parmensis Episcopus; & *Bernardus* Tironensis in Gallia Celtica Abbas. Regibus atque optimatibus acceptissimus, & magnæ sanctitatis fama in Aquitania, in Burgundia, & in Anglia. In sanctorum autem Episcoporum cœtu connumerantur *Anselmus* Cantuariensis, *Gothofridus* Ambianensis, *Otho* Bambergensis Apostolus Pomeraniæ, *Anthelmus* Belicensis in Sabaudia, *Bruno* Signinus in Latio, *Albertus* Leodicensis, *Hugo* Lindunensis in Anglia, *Beno* Misnensis in Saxonia: *Petrus* institutor Congregationis Cellensis Episcopus Palæocastri, *Bertradus* Episcopus Convenarum in Vasconia, *Laurentius* Archiepiscopus Dublinensis, *Petrus* Tara-

Tarantasiæ in Sabaudia, seu Fori Claudii, & *Galdinus* Mediolanensis.

E monasticæ vero, & eremiticæ vitæ asperitate ad cœlestia gaudia transierunt. *Stephanus* Grandemontensis Familiæ Parens, *Malachias* Monachus, & Primas Hiberniæ, *Famianus* Cisterciensis, *Guilelmus IX.* dux Aquitaniæ eremi cultor rigidissimus, *Guilelmus* alter institutor Guilelmitarum (*u*), *Hugo* Cluniacensis, *Gerardus* frater S. Bernardi, *Gilbertus* & *Godricus* natione Angli, aliique complures. Nec prætermittendi sunt viri principes virtute magis, quam sanguinis claritudine celebrandi, *Henricus* nempe Rex Sveciæ, *Leopoldus* Pius Austriæ dominus, *Canutus* alter Rex Daniæ, & *Ida* Gothofredi Bullionis Parens sanctissima. Addamus Martyribus tres pueros a Judæis enecatos, nempe *Guilelmum* anno 1146. affixum Cruci in Anglia, *Richardum* anno 1179. in Galliis eodem affectum supplicio, & *Robertum* anno 1181. item in Galliis a proprio Patre suffocatum. Addamus ex femineo sexu Hombelinam S. Bernardi sororem, atque ex laicorum numero Cremonensem civem *Homobonum*.

(*u*) Hi *Guilelmi* imperite a pluribus confunduntur. Quem Augustinenses colunt IV. Idus Februarias, decessisse Historici ejusdem Ordinis, aliique tradunt anno Vulgaris Æræ 1157. Locus dormitionis ejus in horrida Senensis ditionis solitudine, olim *Stabulum Rhodis*, nunc *sancti Guilelmi* appellatur Eremus. Fama est silvam etiam incoluisse non procul ab Ausure, & a Fano Herculis Etruriæ oppido. De *S. Norberto* Episcopo Magdeburgensi seq. capite 6. *S. Galganus* civis Senensis obiit anno 1187.

CA-

CAPUT VI.

HUJUS SECULI DOGMATA, ET DISCIPLINA.

Nullam esse *in re* distinctionem inter Deum & deitatis substantiam, adeo perspicuum est ex ipsa divinitatis idea, vt non percipiam, quomodo oppositum in mentem Gilberti venire potuerit, Graduum discrimen in ipsa deitatis natura tribus communi personis, si affirmavit Abelardus, hujus dogma prædamnaverat in Arianis, sibique semper constans, recte iterum damnavit Ecclesia. Christus *filium hominis* sese appellavit, natum ex muliere, & factum *ex semine David*, tradit Apostolus; & qui proprie non esse dicendum hominem autumarunt, ab Ecclesiæ incunabulis Joannes appellavit antichristos; eosque merito XII. seculo execrabatur S. Bernardus. Contrahi ab omnibus, qui carnali generatione procreantur ex Adam, originale peccatum, hujusque reatum solvi Sacramento Baptismatis, ut quinto Seculo, ita duodecimo declaravit Ecclesia. Atque idem statuit de gratia, sine qua liberum arbitrium vitare nequit peccata. Dari ignorantiæ peccata, quæ sibi non imputari orabat S. David, Romanam Ecclesiam fidei servasse depositum, cunctaque ejus dogmata, ut singula verbo comprehendam, firmissima esse, Apostolica, atque divina, suadet etiam atque etiam damnatio hæreseon, quas tertio capite memoravimus.

Frequentes fuerunt hoc Seculo Episcoporum recursus ad Apostolicam Sedem; nam adversus investituras ad Paschalem II. accessere Otho Bambergensis, Anselmus Cantuariensis, & Ivo Carnotensis. Ab Innocentio II. pallium petiit S. Malachias Archiepiscopus Armachanus. Ad Eugenii III. Judicium delatus fuit error Gilberti Porretani. Lucio II. Alphonsus Rex Lusitaniæ regnum suum reddidit vectigale. Colonensis, & Moguntini Archiepiscoporum causa apud Eugenium III. fuit actitata; & Alexandro III. Parisios proficiscenti pedes oscu-

latus est Rex Ludovicus: eidem Venetiis subjecit se Imperator Fridericus: ad eumdem confugit ob Ecclesiasticam libertatem tuendam contra Henricum II. Regem Angliæ S. Thomas Cantuariensis. Habuit itaque inter tanta discrimina, & schismata Romanus Pontifex debitam a Principibus, & a Præsulibus venerationem.

Canonizationes Sanctorum ampliori, quam antea solemnitate fuerunt peractæ, Conradi Constantiensis a Callisto II. Gothardi Saxonis, & Hugonis Gratianopolitani ab Innocentio II. Henrici Imperatoris, Eduardi Anglorum Regis, Thomæ Episcopi & Martyris, & Bernardi Abbatis, nec non Theobaldi Eremitæ Vicetini ab Alexandro III. Stephani Grandemontensis, & Othonis Bambergensis a Clemente III. Petri Episcopi Tarantasiæ, Ubaldi Eugubini. Joannis Gualberti Abbatis, Ladislai Regis, aliorumque a Cælestino III. Homoboni Cremonensis, & Cunegundis Imperatricis ab Innocentio III. Canonizationem Caroli Magni factam a Paschali III. Pseudopontifice nunquam approbavit Romana Ecclesia, ut diximus Seculo IX. Cap. 5. Colitur enim tantummodo inter Beatos.

Fuerunt nonnulli, qui cœperunt aquam vino admiscere ante Missæ initium ob controversiam hoc Seculo exortam, an aqua immediate in vinum, an in Christi sanguinem convertatur: in qua priorem sententiam propugnant Thomistæ: in alteram propendere videtur Innocentius III. de Celebratione Missarum. Quidam putant opinionem hanc postremam comprobari miraculo, quod ad an. 1192. referunt Baronius, ac Pagius. Qui aquam in vinum verti negant, & solam adstruunt liquidorum permixtionem, non admodum quæstionibus hujusmodi commoventur. De Baptismate autem, quod Agareni ad abigendum fœtorem, & dæmones expellendos, conferri infantibus suis petebant a Presbyteris orthodoxis, quidquid Græci in Synodo CP. statuerint, tenendum est, modo baptizantes Evangelicis verbis illud contulerint, ratum fuisse, nec repetendum, quamvis recta non fuerit intentio paren-

parentum. Secus dicendum de baptismo Turcarum, administrato absque formula in Evangelio præscripta. Vide ad annum 1148. Venerabilem Baronium.

Incrementa habuit hoc XII. Seculo Monastica disciplina. Institutus enim fuit an. 1120. Ordo Canonicorum Præmonstratensium a S. Norberto: (x) anno 1152. Congregatio Monachorum Montis Virginis in Regno Neapolitano a S. Guilelmo Vercellensi: an. 1155. Congregatio Guilelmitarum: an. 1197. Ordo SS. Trinitatis Redemptionis captivorum a S. Joanne de Matha, & a S. Felice de Valois; cujus Instituti Fratres in Gallia *Mathurini* appellantur. (y) Plures item instituti fuerunt Equitum Ordines, inter quos Jerosolymitani S. Joannis Eleemosynarii an. 1104. Templarii an. 1118. Teutonici in Alemannia an. 1191. Sancti Spiritus Agathopolis, seu Montis-Pessuli anno 1198. Templariorum Ordo in Concilio Viennensi anno 1131. sub Clemente V. extinctus fuit. Jerosolymitani (z) S. Joannis, expugnatis an. 1187. a Saladino Jerosolymis, Marathon Syriæ, deinde Acam, olim Ptolomaidem Phœniciæ urbem migrarunt, hinc autem an. 1290. Amathum, seu Limissum civitatem Cypri maritimam: insulam Rhodon an. 1310. occuparunt. Hinc discedentes anno 1523. Viterbii a Clemente VII. fuerunt recepti. Melitensem maris Africi insulam ab Imperatore Carolo V. an. 1530. acceperunt.

(x) Obiit *S. Norbertus* anno 1134.

(y) *Theodorus Balsamon*, de quo supra capite 4., commemorat Monachos *Rasophoros*. Etenim Inter Opera Theodori edita Gr. Lat. a Cotelerio extat tom. 3. *Epistola ad Theodosium Abbatem de Monachis Rasophoris*. Ita dicti sunt, quoniam panno raso, non hirta, aut villosa tunica induebantur.

(z) Confirmati fuerunt ab Honorio II. anno 1124. & primus Ordinis magister fuit Raymundus Podius. Florentinus dicitura quibusdam Historicis. Lucensem fuisse puto. Luca enim etiamnum viget Podiorum Gens nobilissima.

APPENDIX

EXTERNARUM RERUM SYNOPSIS.

Vita functo an. 1108. Philippo I. Galliarum Rege, succeſſit Patri *Ludovicus VI.* cognomento *Craſſus*. Hinc extincto anno 1137. ſuffectus eſt *Ludovicus VII.* Quo e vivis ſublato anno 1180. regnavit uſque ad annum 1223. *Philippus II.* cognominatus Auguſtus.

Poſt obitum Alphonſi VI. Caſtellæ Regnum ab an. 1109. adminiſtravit uſque ad an. 1122. *Urraca* ejus filia: tum usque ad annum 1157. Urracæ Filius *Alphonſus VII.* Tum *Sanctius III.* ad annum uſque 1158. uno nempe anno duntaxat. Poſtea *Alphonſus VIII.* usque ad an. 1214. In Regno autem Legionenſi regnavit *Ferdinandus II.* usque ad an. 1188. cui ſucceſſit Filius *Alphonſus IX.* qui ſceptrum tenuit usque ad an. 1231. In Navarra poſt Petrum filium Sanctii V. (*a*) regnaverunt Seculo XII. *Alphonſus*, *Garſias VI. Sanctius VII. Sanctius VIII.* atque in Aragonia poſt Petrum I. Filium Sanctii I. *Alphonſus I.* idem ac Rex Navarræ, *Ramirus II. Petronilla*, *Alphonſus II.* & *Petrus II.* (*b*)

Gothofredus primus Rex Jeroſolymorum, ſubacta Lycaonia, Cilicia, Cappadocia, Meſopotamia, atque ditione ſua ad Arabiam usque protracta, deceſſit

---

(*a*) Vide Appendicem ſuperioris Seculi XI.

(*b*) In Anglia an. 1135. obiit *Henricus I.* Anno 1154. *Stephanus*. Anno 1189. *Henricus II.* Anno 1199. *Richardus I.* Regnavit tum *Joannes* nuncupatus *Senzaterra*. Deceſſit in Polonia an. 1139. *Boleslaus II.* 1146. *Ladislaus II.* 1173. *Boleslaus III.* Anno 1202. *Micislaus*. *Caſimirus* 1194.

ceſſit cum omnium mœrore an. 1100. Ei in Regno ſucceſſit *Balduinus* frater, (c) qui an. 1104. potitus eſt Ptolemaidis, auxilium ferentibus Genuenſium triremibus. Anno autem 1109. & ſequenti idem *Balduinus*, expugnavit Byblum, Tripolim, Berythum, & Sidona. Fatis Balduinus ceſſit anno 1118. eique ſuffectus eſt *Balduinus II. de Burgo*, illius affinis, & Comes Edeſſæ. Cæſus anno 1119. a Saracenis Rogerius Prætor Antiochenus. At Rex *Balduinus* hanc cædem ultus eſt die proxima, hoſtes Antiochia expulit, & Principatum Antiochenum conjunxit Regno Jeroſolymitano. Veneti inſequenti anno 1120. Saracenorum claſſem ſuperarunt. Verum Balduinus a Sultano *Balac*, Solimani nepote prælio ſuperatus & captus, arctiſſimis conſtrictus eſt vinculis. Liberatus eſt anno proximo, quo MMM. Chriſtianorum fuderunt exercitum Saracenorum LX. M. Opportune ſuperveniens Veneta claſſis Saracenos e portu Joppe, nunc Zaffæ, anno 1123. fugavit: anno autem ſequenti Tyrum ampliſſimam olim & munitiſſimam urbem expugnarunt Veneti; atque ad Jerapolim, nunc Aleppum, Joſcelinus ſuperavit, & occidit *Balac* Turcarum Regem. Apameam an. 1126. Balduinus in ſuam redegit poteſtatem; aliisque onuſtus victoriis ceſſit fato anno 1131. & illi ſucceſſit *Fulco* Andegavenſis. Is obiit an. 1142. ſuccedente patri *Balduino III.* cum Matre ſua Meliſenda. Duce *Sanguigno* Aleppi Principe, & Armenii cujusdam proditione, Turcæ an. 1144. juxta Baronium, & Pagium 45. Edeſſam, nunc Orſam, ceperunt, ingenti Chriſtianorum numero trucidato. *Balduinus* vero obſedit anno 1153. & ſubegit Aſcalonem.

(c) *Balduinus I.* dono miſit Genuenſibus pretioſam patinam, in qua fertur Dominus poſtremum Paſcha celebraſſe. A quodam Syro, aut Græco, magno pretio a Balduino redemptam ajunt. At deceptum Regem fraude venditoris, poſt Joannem Baptiſtam Labat Ord. Prædicat. *Moshemius*, aliique tradunt.

Eidem Regi mortuo, juxta Vossium & Pagium anno 1163. juxta alios 1165. suffectus est frater illius *Almericus;* qui anno 1167. Alexandriam & Dalmatiam expugnavit: decessit vero anno 1173. relicto Regno *Balduino IV.* filio suo adolescentulo annorum 13. Huic anno 1184. in Regno Jerosolymitano successit, tanquam administrator & tutor, levir ejus *Guido Lusiniamus*, maritus *Sibyllæ* ipsius Balduini sororis, corona tamen imposita *Balduino V.* filio *Sibyllæ*, nato annos duntaxat quinque. (*d*) Puer anno proximo acerbo demersus est funere, vi, ut aliqui tradunt, veneni. Ita *Guido* Regnum indeptus est cum magna Christianorum Principum indignatione. Quare ortis inter istos dissidiis, ingens Saracenorum numerus duce *Saladino* in Palæstinam an. 1187. irrupit, fuditque una die universorum Christianorum exercitum; *Guido* Rex abductus est captivus, Rinaldus strenuus Princeps ejusdem Saladini dextera confossus interiit, Raymundus Comes Tripolitanus, & proditor Christi fidem negavit; Equites Jerosolymitani, & Templarii fere cuncti perierunt. Captæ Ptolomais, Ascalon, Laodicæa, aliæ urbes, &

(*d*) Extant etiamnum in Jerosolymitano templo ad Sepulcrum Domini Gothofredi, Balduini I. & Balduini V. Epitaphia. Prioris Regis Epitaphium incipit;

Francorum gentes Sion loca sancta petentes:
Mirificum fidus Dux hic recubat Gothofridus, &c.

Alterius Regis:

Rex Baldovinus, Judas alter Machabæus,
Spes patriæ, vigor Ecclesiæ, virtus utriusque, &c.

Balduini V.

Septimus in tumulo puer isto Rex tumulatus
Est, Baldovini Regum de sanguine natus.
Quem tulit e mundo sors primæ conditionis,
Et Paradisi loca possidet regionis.

& quædam certis deditæ conditionibus, inter quas libertas *Guidonis* Regis, aliorumque Principum quindecim. Capta demum eodem anno die 2. Octobris Jeruſalem, id eſt, an. LXXXVIII., ex quo in poteſtatem venerat Chriſtianorum. Anno 1191. ab exercitu Cruciferorum non ſemel Saraceni fuerunt devicti, & *Richardus* Rex Angliæ Cypri potitus eſt: quam inſulam vendidit Guidoni Luſiniano. Hujus idcirco poſteri per annos præter propter 300. in Cypro regnarunt. Verum rurſus discordia res Chriſtianas peſſundedit: Saladino *Richardus*, turpiter e Palæſtina pedem referens, reliquit pugnandi, & vincendi facilitatem. Eidem Saladino vita functo anno 1193. aut ſequenti, ſuffectus eſt frater *Sphadinus*. (*e*) Hoc Principe anno 1198. captam Joppen ſolo adæquarunt. Atque in Oriente hæc omnia evenerunt.

Plura etiam in Occidente contigerunt non obliteranda. Etenim Piſani an. 1114. in Mediterraneis inſulis Balearibus glorioſe contra hoſtes pugnarunt. Sequenti anno Bondeni in ducatu Ferrarienſi deceſſit Comitiſſa Mathildes, cujus magna erat potentia & auctoritas, & quæ ſemper Romani Pontificis adhæſerat partibus. Tumulata fuit in Æde S. Benedicti prope Padum: ſed an. 1635. ſedente Urbano VIII. Romam ejus oſſa fuerunt translata. Piſani eodem an. 1115. occuparunt Majoricam, Balearem nempe majorem; & Piſas adducta Regina Chriſtianorum amplexata eſt religionem. (*f*) Anno 1128.

(*e*) Sphadinus ut regnaret, novem filios Saladini fratris necavit, uno tantum ab amicis ſubtracto patrui furori.

(*f*) Epitaphium illi appoſitum:

Regia me proles genuit, Piſæ rapuerunt;
His ego cum nato bellica præda fui.
Majoricæ regnum tenui, nunc condita ſaxo,
Quod cernis, jaceo ſine potita meo.
Quisquis es ergo, tuæ memor ſis conditionis,
Atque pia pro me mente precare Deum.

obiit senex annorum 361. Joannes nomine, qui militarem secutus fuerat vitam Carolo Magno imperante, (g) Anilis diceretur fabula, nisi fulciretur plurimorum Historicorum testimonio. Pisani anno 1135. Neapolim liberaturi, captam superiori anno a Rogerio Siciliæ Rege. expugnarunt Amalphim civitatem Picentinorum; ibique inventæ fuerunt Pandectæ: quæ ideo Pisanæ, & postea dictæ sunt Florentinæ. Irnerius JC. eas recta disposuit methodo, suadente Imperatore Lothario. (h) Fridericus Imperator an. 1155. Derthonam, an. 1158. Mediolanum, an. 1160. Cremam expugnavit. Rursus an. 1162. Mediolanum ei subjicitur. Hoc vel superiori anno Saraceni ædificarunt ad fretum Herculeum, & montem Calpem, arcem munitam Gibaltariam, dictam a Mauro duce *Gibal-Tarif*, vulgo *Gibilterram*. Vehementi terræmotu anno 1184. concussa Calabria, parietum macerie oppressus fuit Rufus Consentinus Episcopus. Parmenses & Placentini anno 1199. pro Fidentia Julia, quam vulgo appellant Burgum sancti Domini, belli simulacro, in quo multorum effusus est sanguis, hastis concurrentes hostili furore certarunt. (i)

Reliquum est, ut scriptores addamus nonnullos. Iis, qui dicuntur Ecclesiastici, quamplurimi Monachorum, ut cap. 4. præmonui, accessere. Videsis Vossium de H. Latinis lib. 2. cap. 48. & seqq.

Scri-

(g) Appellatus *Joannes de Temporibus*: de illo Nauclerus, Cromerus, Christianus Mathiæ in *Lothario II.* & alii. Eodem Lothario imperante, uno anno 1132. tres in Anglia occisi sunt Reges, Ericus, Canutus & Nicolaus.

(h) Irnerius dictus fuit *Lucerna Juris*, docuitque Bononiæ.

(i) Alia contigerunt memorabilia. Ingens per universam Syriam terræmotus anno 1114. Veronæ itidem & in Insubria an. 1117. Dira per Germaniam pestilentia famesque anno 1124. Exundatio maris, quo absorpti sunt in Sicilia hominum fere duodecim millia an. 1165. Ibidem eversa funditus terræmotu Catania an. 1169. die 4. Februarii, extinctis hominum 15000.

Scripserunt præterea de rebus gestis Regum Britanniæ circa annum 1150. *Carodocus*, & de Regibus Anglosaxonum *Joannes Marcianus*. Chiliades 13. variarum Historiarum conscripsit *Joannes Tzetzes* Grammaticus præstantissimus, qui etiam edidit scholia in Hesiodum, & in Homerum. Floruit hoc Seculo *Averroes* (*k*) philosophus Arabs, secta Mahumetanus. In Ægypto scholam erexit Rabbi *Moses Maimonides*. (*l*) in Hispania Rab. *David Kimchi*, & Rab. *Aben-Ezra*, Judæorum doctissimi. De Seculi hujus Poetis, quoniam non videntur admodum celebres, adeat, qui plura expetit, Lilium Gyraldum dialogo 5. & Gerardum Joannem Vossium de Poetis Latinis cap. 6.

(*k*) Sive Aben-Roes, educatus in Africa, deinde Medicus Cordubensis, edidit in omnes libros Aristotelis Commentaria: unde in Scholas Philosophorum barbaries. Æmulus fuit Avicennæ; & floruit circa annum D. 1149.

(*l*) Maimonidem hoc in loco iterum laudamus propter Historicos asserentes floruisse illum hoc Seculo XII. Rejiciendum arbitror in Seculum præcedens; tametsi potuit ad istud vitam protrahere. Addi heic potest R. Salomon Jarchi, qui scripsit Tabulas Astronomicas & Ephemerides, natus in Galliis anno 1150. Hebraici Computi 4911. Eustachius Thessalonicensis Episcopus, qui edidit Commentaria in Homerum, floruit hoc Seculo.

DECIMUM TERTIUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

SUMMORUM PONTIFICUM SERIES CONTEXITUR.

Innocentio III. humanis rebus exempto an. 1216. Romanæ, & Apoſtolicæ præfuerunt Eccleſiæ decimotertio Seculo *Honorius III. Gregorius IX. Cæleſtinus IV. Innocentius IV. Alexander IV. Urbanus IV. Clemens IV. Gregorius X. Innocentius V. Hadrianus V. Joannes XXI. Nicolaus III. Martinus IV. Honorius IV. Nicolaus IV. Cæleſtinus V. & Bonifacius VIII.*

CLXXVII. Honorius e nobiliſſima gente Sabellorum, Cincius antea vocatus, a die XV. ante Cal. Auguſti an. 1216. usque ad diem XV. Calendarum Aprilium anno 1227. per annos nempe X. & menſes 8. Romanam gubernavit Eccleſiam. Peruſiæ electus, & Romæ ſumma civium exceptus gratulatione, ad opprimendam hæreſim Albigenſium ſolemnem nudis pedibus habuit ſupplicationem. Coronavit Corteniacum Imperatorem Græcorum, & Fridericum II. Imperatorem Occidentis. Pro cruce ſignatorum expeditione maximam geſſit ſollicitudinem. Genuenſibus partem ceſſit inſulæ Corſicæ: Cardinalium cœtum magnopere decora-

coravit. In eorumdem Cardinalium Conclavi primum omnium fuisse electum, falso quidam scripsere: id enim ante Gregorium X. non fuit in usu receptum. Ab hujus Pontificis anno quarto cœpisse fertur Vicecancellariatus R. E. dignitas præcipua post Apostolicæ Sedis auctoritatem. (a)

CLXXVIII. Suffectus Honorio *Gregorius IX.* Antea Ugolinus dicebatur, Cardinalis, & Ostiensis Episcopus. Curavit, ut per S. Raymundum de Pennafortio in unum Corpus redigerentur decessorum suorum responsa, vulgavitque an. 1234. quinque Decretalium libros. Fridericum II. compulit ad sacram, quam voverat, expeditionem, ac turpem cum Sultano pacem cum pactus foret, diris devovit. (b) Indixerat Concilium, quando partim captis, partim submersis ab Entio Friderici notho, & a Pisanorum (c) classe Episcopis, qui Genuensium ratibus profecturi ad Concilium vehebantur, mœrore confectus occubuit anno 1241. XII. Cal.

(a) Honorii, & ab eo confirmati Ordinis Minorum S. Francisci meminit quoque Cantu XI. de Paradiso Dantes Aligherius. Extat in V. Decretalium tit. 33. cap. 2°. Honorii constitutio lata anno 1220. qua inhibetur lectio, studiumque Juris civilis, Parisiis, & in aliis locis vicinis, propterea quod *in Francia & nonnullis Provinciis laici Imperatorum legibus non utuntur.*

(b) Gregorius legatos misit ad S. Ludovicum Galliarum Regem, Jacobum & Othonem Cardinales belli sacri causa, qui in reditu capti sunt temeritate Obriaci Genuensis. Contentione orta inter Biturigum, & Burdigalæ Archiepiscopos, uter utri subesset, Gregorius Simplicium metropolitanum constituit.

(c) Pisani anno 1296. absolutionem impetrarunt, & quotannis suam commemorant expiationem Idibus Novembris. De Gregorio IX. ejusque cum Friderico II. dissidiis legendus Ricordanus Historicus Florentinus, cæteris hac in parte accuratior. Eumdem Gregorium ostendendo Capita SS. Apostolorum Petri & Pauli avertisse Romanorum animos a Friderico,

Ful-

Cal. Septembris, annis XIV. & menſibus V. in Apoſtolico exactis regimine.

CLXXIX. Poſt Gregorium Eccleſiæ præfuit diebus tantum XVII. *Cæleſtinus IV.* Mediolanenſis, antea Gaufridus Caſtillionæus, extinctus anno nuper citato VIII. Idus Octobris.

CLXXX. Poſt interpontificium menſium ferme viginti inauguratus eſt Pontifex anno 1243. VIII. Cal. Julias Sinibaldus Fliſcus Genuenſis, *Innocentii IV.* nomine adſcito. Fertur omnium primus Roſam auream ſolemni ritu benedixiſſe. Verum id ante annum 1400. non obtinuiſſe, Pagius, aliique contendunt. Fuit Canonum ſcientiſſimus, ut ejus ſcripta declarant. Præfuit Lugdunenſi I. Concilio Oecumenico, ejecitque a fidelium communione Conradum filium Friderici II. affectantem Imperium. Diem obiit Neapoli an. 1254. die 7. Decembris, in Cathedrali Eccleſia ſepultus, poſt annos XI. menſes V. dieſque XV. Pontificatus.

CLXXXI. Huic pridie Idus Decembris ſuffectus eſt Neapoli Raynaldus Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus *Alexandri IV.* nomine aſſumto. Patria illi Hernicorum caput Anagnia. Regularium Ordines in pretio habuit, urbemque Patavium eripuit immaniſſimo tyranno Eccelino. Compulit ad obſequia Bononienſes, gymnaſium illis, & ſacra interdicens. Viterbii celebrato Concilio, ut Genuenſes Venetosque conciliaret, ibidem obiit, cum ſexennium & menſes quinque Epiſcopatus exegiſſet, anno 1261. VIII. Calendas Junias.

CLXXXII. Pontificatum deinde conſecutus eſt *Urbanus IV.* Auguſtæ Trecarum in Gallia Celtica natus: qui cum eſſet Patriarcha Jeroſolymitanus, Jaco-

---

Fulgoſus & Papirius ſcripſere. Obiiſſe an. 1239. ait idem Papirius, repugnantibus aliis. Idem Papirius appellat Cœleſtinum IV. *decem & octo dierum Pontificem.* Burius *mortuum* ait *ante conſecrationem*, quod & affirmat cum aliis Sandinus.

Jacobus Pantaleon nuncupatus, & forte de rebus Palæſtinis acturus Romam veniſſet, a Cardinalibus inter ſe Viterbii diſſidentibus præter ſpem creatus eſt. Corporis Chriſti ſolemne feſtum inſtituit: & poſt triennium, ac menſem naturæ conceſſit Peruſiæ VI. Nonas Octobris an. 1264.

CLXXXIII. Triennio, & menſibus novem poſt Urbanum Romanam rexit Eccleſiam *Clemens IV.* Gallus item, ac Narbonenſis, juris peritiſſimus, vir tantæ probitatis, & tam a propinquis alienus, ut nulli horum permiſerit ad Urbem accedere; & duæ, quas ante Sacerdotium ſuſceperat, filiæ non potuerint nubere ob dotis tenuitatem. Singulare in ſummo Præſule exemplum! Extinctus eſt Viterbii anno 1268. Novembri menſe exeunte, humili ſepulchro ſibi in Eccleſia FF. Prædicatorum deſignato.

CLXXXIV. Diſſidentibus cum Cardinalibus, horumque Comitiis prorogatis in annum tertium, electus eſt tandem *B. Gregorius X.* antea Theobaldus Placentinus, & Archidiaconus Leodienſis, ob res præclare geſtas in Syria plurimum commendatus. Hinc de inauguratione iſta vulgatum eſt diſtichon:

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem patrum fecit diſcordia fratrum.

Ne ad tantæ dignitatis faſtigium eveheretur, S. Philippus Benitius Ordinis Servorum Propagator, decusque Florentinorum, diu apud Tuniatum montem delituit. Gregorius Syriæ rebus & ſacræ expeditioni proſpexit, Lugdunenſem II. Synodum celebravit, Guelphorum & Gibellinorum factiones ſtuduit extinguere. Recuperavit Romandiolam, & Exarchatum Ravennæ, & deceſſit Aretii IV. Idus Januarii anno 1276.

CLXXXV. Quatuor deinde Romani Pontifices breviſſimo temporis intervallo ſederunt, *Innocentius V.*

CLXXXVI. Hadrianus V.

CLXXXVII. Joannes XXI.

CLXXXVIII. Atque *Nicolaus III.* Innocentius V. ex Familia Prædicatorum assumptus, ortusque Tarantasiæ, civitas Allobrogum in Saubaudia, Pisanos conciliavit Lucensibus, & plura facturus illustriora, post quintum Pontificatus mensem, XI. Cal. Julias decubuit. *Hadrianus* vero, ante Ottobonus Fliscus Genuensis XV. Cal. Sept., quæ dies fuit XXXVII. ab illius electione, nec sacra ordinatione, aut consecratione suscepta decessit. *Joannes XXI.* genere Lusitanus octavo mense Episcopatus nondum exacto, Idibus Maji cameræ ruina percussus interiit anno. 1277. Joannes iste dicitur XXI. cum revera sit XX. non propter Joannam Papissam, ut putat Claconius, sed quia in Pontificum catalogos irrepserunt quoque nonnulla Pseudopontificum nomina, ut Benedicti X. (*d*) Bonifacii VII. Joannis XVI. & Leonis VII. Arbitror Joannem intrusum esse illum, de quo diximus Seculo X. num. 142. quo Catalogis inserto, Joannes, de quo nunc agimus, erit XXI. *Nicolaus* autem *III.* Romanus Ursina natus gente, tranquillitatis Ecclesiæ, probatissimorumque virorum promotor, an. 1280. XI. Cal. Septembris, regiminis sui anno altero, & nono fluente mense diem obiit extremam. (*e*) Simoniæ redarguitur a Danthe cantu Inf. 19.

CLXXXIX. Post Nicolaum sedit ultra annos quatuor ac mensem *Martinus IV.* (*f*) antea Simon

---

(*d*) Benedictum X. verum fuisse Pontificem, evincere studet vir Cl. Stephanus Borgia.

(*e*) Nicolai III. obitum præcessit tanta Tibridis exundatio, ut ad Pantheon quatuor supergrederet pedes. Præsagium ejusdem obitus putarunt nonnulli, ut olim Julii Cæsaris diluvio Padi.

(*f*) Appellatus est *Martinus IV.*, quoniam *S. Martinus I.* inauguratus est Pontifex anno 649. *Martinus* autem *II.* idem est, ac

mon de Bria, augusta Galliarum provincia. Michaelem Palæologum se a Romana segregantem Ecclesia anathemate perstrinxit; damnavitque pariter auctores conjurationis, quæ *Vespris Siculis* nomen dedit, nec non Petrum Aragoniæ Regem invadentem Siciliam. Vita functus est Perusiæ IV. Cal. Aprilis an. 1285.

CXC. Sedit deinde biennio, & extinctus est an. 1287. III. Nonas Aprilis *Honorius IV.* ex nobilissima Romana gente Sabella, auctor, ut exoticæ linguæ Parisiis traderentur ad faciliorem Orthodoxæ fidei propagationem.

CXCI. Huic suffectus est *Nicolaus IV.* ex Minorum Familia, patria Asculanus ad Truentum fluvium: quo auctore Tartari Christiana fide fuerunt imbuti, Veneti Quæsitorem Fidei excepere, & instauratæ fuere Romanæ Urbis Basilicæ; eoque sedente Nazarethana Deiparæ domus fertur Tersactum (g) apud Dalmatas fuisse divinitus transvecta VIII. Idus Majas an. 1291. quo anno Saladinus Rex Babyloniæ Jerosolymam expugnavit. Nicolaus autem fatis cessit proximo an. 1292. inchoato Pontificatus sui quinto, die Aprilis Quarta.

CXCII. S. Cælestinus V. cognominatus antea a monte Aprutii, in quo agebat vitæ genus asperrimum, Petrus de Murrone, & Cælestinorum institutor, tanta præditus fuit humilitate, ut ad summam dignitatem evectus in Cardinalium discordia, quæ ultra biennium suo Romanam Ecclesiam destituerat Pastore, an. 1294. die 5. Julii, fessus duntaxat precibus, invitusque delatum honorem susceperit, Aquilam Vestinorum caput adierit vectus asello,

---

ac Martinus I. electus anno 882. & *Martinus III.* idem cum Martino II. ad summum Pontificatum evecto anno 942.

(g) Hinc vero in agrum Lauretanum translata IV. Idus Decembris anno 1294. sedente S. Cælestino V.

aſello, ad frena Siciliæ & Hungariæ Regibus præeuntibus; & poſt menſem V. diemque octavam, eodem an. 1294. die 13. Decembris ſeſe ſummo Sacerdotio abdicaverit. De quo maximæ virtutis exemplo haud rectæ ſentire videtur Danthes Alligherius in *inferno* cantu 3. quamquam aut de Eſau, aut de aliis poetam fuiſſe locutum poſt Benuventum Imolenſem Victorellus, Barcellinius, aliique contendant. Sed legito Chriſtophori Landini Commentarium pag. 20. 2. nec non S. Antoninum 3. pag. Chron. tit. 20. cap. 8. Sane Cæleſtinus a Bonifacio VIII. in arcem Fumonis incluſus, illic anno proximo 1295. XIV. Cal. Junias obdormivit in Domino.

CXCIII. Quid de *Bonifacio* Cæleſtini ſucceſſore ſenſerint ætati ejus proximiores, conſtat ex prælaudato Florentino Poeta *inferni* cantu 19. & 27. & Comment. Landini & Vellutelli. (*h*) Idem *Bonifacius* hujus nominis VIII. Anagniam Latii urbem patriam habuit, primum illi nomen Benedictus Cajetanus: infenſiſſimus fuit Columnenſibus Romanorum potentiſſimis. Libris quinque Decretalium Gregorii IX. addidit *Sextum*; ſeditque annis 8. m. 9. d. 18., extinctus an. 1303. V. Idus Octobris.

(*h*) Quantum Bonifacius oderit Gibellinos, & quæ protulerit verba ſacros imponens cineres Procheto Genuenſium Pontifici, videſis apud Petrum Crinitum *de Honeſta diſciplina* libro 7. cap. 13. Italicum de Bonifacio VIII. proverbium, & illud quidem dedecoris & infamiæ, refert P. Pompejus Venturi S. I. in ſuis Adnot. in *Purgat. Danthis*, cant. 20. 90.

PA

PATRIARCHARUM NOMINA.

Occupata C. P. a Latinis anno 1204. sederunt ibidem usque ad annum 1261. quo civitas recuperata fuit a Michaele Palæologo, Patriarchæ Latini, *Thomas* Maurocenus, *Mathæus Nicolaus*, & *Pantaleon* Justinianus. In Concilio Lateranensi anno 1215. post Romanam Patriarchatus honor Sedi C. P. collatus fuit. E Græcis vero sederunt *Germanus* Adrianopolitanus anno 1261. intrusus a Michaele, post ipsum vero *Joseph* Monachus, *Joannes Vecchus*, *Georgius* Cyprius Schismaticus, *Anastasius* & *Joannes Sozopalites* Monachus, qui obiit an. 1300. Sederunt Antiochiæ post Radulphum II. *Petrus*, *Petrus* alter, *Raynerius*, *Albertus* Regiensis, *Christianus* &c. Jerosolymis autem post Monachum *Albertus*, *Rodulphus*, *Lotharius*, *Gerondus*, *Jacobus* de Vitriaco, *Robertus*, *Jacobus*, *Pantaleo*, *Guilelmus*, *Thomas*, *Thomas* alter, *Joannes* Vercellensis, *Elias*, & *Nicolaus* de Anapiis, atque *Rodulphus* de Grandivilla, Episcopali exutus honore a Bonifacio VIII.

CAPUT II.

DE CONCILIIS SECULO XIII. CELEBRATIS.

Inter Seculi hujus Concilia principem tenent locum tria Generalia, sive Oecumenica, nempe, *Lateranense IV. Lugdunense I.* & *Lugdunense II.* quamvis alia plura cum ad hæreses profligandas, tum ad Ecclesiasticam disciplinam instaurandam fuerint indicta.

Ac primo Lateranense IV. inter Oecumenica XII. convocatum fuit ab Innocentio III. anno 1215. Congregatum fuit, ut Albigensium hæresis, erroresque Joachimi Abbatis, & Almarici damnarentur, atque ut ageretur de Palæstina recuperanda. Episcopi (*i*) 412. inter quos Patriarchæ Constantinopolitanus & Jerosolymitanus, Oratores Christianorum principum, necnon supra octingentos cœnobiarchæ huic Concilio interfuerunt. Statutum can. 3. ut hæretici magistratibus civilibus puniendi tradantur; in 5. post Romanam Ecclesiam locus nobilior conceditur Constantinopolitanæ, quæ illum a Concilio Constantinopolitano I. anno 381. ut alibi diximus, usurpaverat. Vicesimo autem primo fidelibus cunctis præcipitur, ut saltem semel in anno recurrente Paschate, proprio Sacerdoti peccata confessi sacrum Domini corpus accipiant. Decretum quoque, ut Judæi & Saraceni inter Christianos commorantes, aliquo indumenti genere ab iis secernantur: præter quæ alia complura fuerunt saluberrime constituta.

Concilium vero *Lugdunense I.* seu Oecumenicum XIII. indixit Innocentius IV. anno 1245. Huic adfuere cum ipso Innocentio Episcopi 140. plus, minus, præter S. R. E. Cardinales, & Patriarchas C. P. Antiochenum, & Aquilejensem, necnon Balduinum II. Imperatorem, aliorumque Principum Oratores. Conditi ibidem canones XVII. quorum XII. a Bonifacio VIII. inserti fuerunt VI. Decretalium, cum pertractent de judiciis Ecclesiasticis; reliqui spectant ad subsidia mittenda Crucesignatis, & La-

(*i*) In Tabulis subjectis Volumini II. Rationarii Temp. Petavii legitur adfuisse Patres 1283. inter quos Episcopi erant 673. Joachimus Abbas Cisterciensis, genere Calaber, florebat Seculo XIII. ineunte. Permulti tanquam insignem prophetam eum habuerunt, præsertim Rex Angliæ Richardus in Sicilia agens. Ajebat natum jam Antichristum, aliaque hujus furfuris nugabatur. Edidit futurorum Pontificum Vaticinias. De illo rursus infra cap. 4.

& Latinorum imperio in Oriente periclitanti, arcendosque a Christianorum finibus Tartaros. Concessus in eodem Concilio Cardinalibus pileus rubrus. Quod legitur apud Baronium ad annum 996. §. 64. nonnullos asserere in hoc ipso Concilio Septemviris collatum jus eligendi Imperatorem, opponitur iis, quæ dicuntur de Gregorio V. Recole dicta Seculo X. cap. 2.

Alterum Generale Concilium *Lugdunense II.* celebratum fuit sub Gregorio X. anno 1274. Interfuere Episcopi 500. Abbates 70. Prælati alii 1000. Præfuit quidem Gregorius, sed cuncta eodem jubente Pontifice directa sunt a S. Bonaventura. Definita est Processio Spiritus sancti a Patre, & a Filio, ac rursus Græci in communionem recepti sunt: statuta auxilia Christianis bellum in Syria gerentibus; pluraque constituta canonibus 30. regimini Ecclesiarum perutilia.

Præter hæc vero Concilia Oecumenica ad hæreses extirpandas habita sunt anno 1201. *Parisiense*, in quo damnatus est Eurandus miles infectus hæresi Bulgarorum, qui & publice exustus est. In altero *Parisiensi* Concilio anno 1209. Almericus Carnotensis, atque in altero anno 1223. Bartholomæus quidam antipapa Albigensium damnatus est. Iidem Albigenses una cum Raymundo Comite Tolosano ipsorum fautore synodali sententia proscripti fuerunt *Narbonæ* anno 1207. *Avenione* 1209. & 1210. *Tolosæ*, & *Arelate* eodem anno: *Vauri*, & *Mureti* in Occitania, parva Galliæ Narbonensis provincia, anno 1213. *Montispelienſis*, aut Maglone anno 1214. *Tarracone* item anno 1242. adstante Raymundo de Pennafort, ibique rursus anno 1244. damnati fuere cum omnibus fautoribus suis Valdenses, qui irruperant in Aragoniam. Expungimus nos Constantinopolitanum Concilium anni 1185. in quo adstantibus Imp. Andronico Palæologo cunctisque Magnatibus, disputatum est de Processione Spiritus S. a Filio, & Vecchus pridem Patriarcha Latinis adhærens iterum in carcerem injectus est: de qua Synodo plura apud Pachimerem lib. 7. Hist. & Leonem

nem Allatium lib. 2. ad Conſ. Orient. & Occid. Eccle. cap. 2. Conciliis ad diſciplinam ſpectantibus Jo. Cabaſſutius in Notitia Eccleſiaſ. accenſet *Toloſanum* 1229. quo poſt revocatum ad frugem Raymundum comitem editi fuere canones 45. *Narbonenſe* anni 1235. in quo certæ quædam leges Inquiſitoribus fidei fuerunt præſcriptæ : *Turonenſe* anni 1236. quo Advocatorum muneri, converſorum nuper ad fidem inſtitutioni, & hoſpitalitatis conſuetudini proviſum eſt : *Londinenſe* anno 1268. in quo reſtituta fuit collapſa ſacrorum rituum, morumque ſanctiorum ratio : *Avenionenſe* anno 1270. in quo pertractatum eſt de bonis Eccleſiarum non alienandis, & de puniendis Clericis, qui Epiſcopum, ſibique præpoſitos læſerint, & *Regienſe* 1285. in quo preces pro Chriſtianorum principum pace, 40. dierum additis indulgentiis, clero, ac populo fuerunt indictæ. His vir eruditus addidit S. Ludovici Francorum Regis ſtatuta XXV. edita Pariſiis anno 1254. ejusdemque Regis Pragmaticam Sanctionem (*k*). Sed plura etiam Concilia recenſeri poſſent, cum Hiſtorici circa 36. Seculo, in quo verſamur, commemorent (*l*) imo Caveus in Seculo *Scholaſtico* enumeret 158. (*m*) & quædam addat tom. 3. Concil. Hiſp. Cardin. de Aguirre : at ejusmodi non ſunt momenti, ut ſingula neceſſum ſit numerare.

(*k*) Pragmatica Sanctio eſt *regium Reſcriptum*, de quo Calv. Lex. Jurid. meminit & Aug. Collat. 3. & Conc. Chalced. act. 5.

(*l*) Indice Tom. 2. Rat. Temp. Petavii edit. Ven. pag. 632.

(*m*) Cave tom. 2. edit. Baſil. pag. 342. &c.

CA-

CAPUT III.

HÆRESEON SECULI XIII. RECENSIO.

Albigenſes, quos nonnulli exortos ajunt ſub hujus Seculi initia, & Innocentio III. ſedente, cum Valdenſibus dogmata habuiſſe communia diximus ſuperiori Seculo cap. 3. Appellati ſunt autem Albigenſes ab Albigenſi civitate, ſeu Albia, aut Albiga provinciæ Narbonenſis in Occitania, ubi plurimum invaluerunt regnantibus Philippo Auguſto, & Ludovico VIII. Seculo XIII. adoleſcente (*n*). Albigenſium fautorem fuiſſe, & non ſemel damnatum Raymundum Toloſæ Comitem dictum eſt paulo ſupra. Is tamen ſæpe armis profligatus anno 1226. ad pedes Legati Rom. Pontif. Cardinalis S. Angeli, ac præſente S. Ludovico IX. Francorum Rege hæreſim ejuravit, eamque inſectari, & conterere jurejurando ſpopondit. Tradunt aliqui ad Valdenſium deliramenta Manichæorum & Gnoſticorum dogmatibus valde affinia, Albigenſium nonnullos adeo turpia & probroſa addidiſſe, ut veriti non ſint concubitum cum ſorore, vel matre fornicationi cum alia qualibet femina comparare, & quod horrent audire Chriſtianorum aures, intemeratam caſtiſſimamque Deiparam vocare ſcortum.

Meminimus paulo ſupra *Almarici*. Is Carnunti (*o*) in Gallia Celtica ortus, & dialecticæ peritia tumidus commentus eſt, nullam futuram fore generationem, ſexusque diſcrimen, ſi Adam in innocen-

(*n*) Apud Raynaldum ad annum 1223. legitur, Albigenſis in finibus Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ creaſſe ſibi pſeudopontificem Bartholomæum nomine; & producuntur verba *Pariſii* id in Hiſtoria Anglorum aſſerentis.

(*o*) Chartres.

tia ſtetiſſet: nullam aliam eſſe inferorum pœnam præter conſcientiæ vermem, quem omnis peccator gerit in corde; ceſſaſſe jam cum lege Moyſis poteſtatem Patris, & ipſius Almarici ætate legem Chriſti, vigere autem modo legem Spiritus ſancti, per quam Sacramentis, cunctisque exterioris cultus ſublatis officiis, unusquisque ſola interiori gratia ſalvetur. Hos vero aliosque Almarici articulos refert tom. 4. Anecdot. Edmundus Martene, & Fleury ad an. 1210. num. 59. Obiit Almaricus præ animi triſtitia; atque poſt obitum exhumatus fuit, atque in ſterquilinium projectus.

Poſt Almarici obitum quidam ejus diſcipuli dilatantes pomeria præter recenſitos errores dogmatizarunt in Euchariſtia nil præter ſubſtantiam panis adinveniri, Romam eſſe Babylonem, & Romanum Pontificem Antichriſtum, Sanctorum cultum eſſe idololatriam, eodemque pacto locutum fuiſſe Deum ore Auguſtini, ac ore Ovidii Naſonis. Ex his Wilelmus Auguſtoritii (*p*), Bernardus quidam ſubdiaconus, Guilelmus faber aurarius hujus ſectæ propheta, Stephanus parochus Corbolii, ſeu Joſedi, Dudon Almarici clericus, Ellmandus acolythus, Guarinus presbyter, & quidam alii, anno 1210. die 20. Decembris in campo extra Pariſii mœnia fuerunt combuſti.

Contra Prædicatorum, Fratrumque Minorum Ordines, cæterosque in religioſa paupertate viventes verbis ſcriptisque inſiliit Guilelmus de S. Amore, ita ab oppido Comitatus Burgundiæ cognominatus. Huic nonnulli Academiæ Pariſienſis adhæſere, acceſſitque poſtmodum Laurentius Anglus, Guilelmo in eadem Academia ſuccedaneus. In libro inſcripto, *De periculis noviſſimorum temporum adverſus Mendicantes Ordines*, qui etiamnum legitur inter ejus Opera in lucem edita anno 1632. tradidit religioſis nefas eſſe vivere ex eleemoſynis, docere laicos, prædicare, adſcribi Magiſtrorum collegiis, & exci-

pere

(*p*) Poitiers.

pere ſecularium confeſſiones ſacramentales. At Guilelmi liber ab Alexandro IV. anno 1256. damnatus flammisque adjudicatus eſt: quin auctor proximo anno 1257. Pariſiis ac toto Galliæ regno diſcedere, & in poſterum a docendo & ſcribendo abſtinere juſſus, extorris vixit, deſpectus, ac miſerrimus, obiitque poſt paucos annos.

Erupit per idem tempus ſecta *Fraticellorum*, ſeu *Bizochorum*, auctore Hermanno Pongilupo Ferrarienſi. *Bizochos* dictos arbitror a biſacio, quod manticis victum oſtiatim emendicarent: unde illorum nomenclatura, quomodo & *Pinſocherarum* apud Boccaccium quoque, vulgaremque ſermonem, etiamnum permanent. *Bizzocco* apud Boccaccium legimus *Nov.* 24. *Pinzochere Nov.* 27. Parum his abſimiles *Beguini*, de quibus proximo Seculo. Fraticelli autem, qui ſectabantur Hermannum, hypocriſi, & falſa pietate orbem deludebant, peſſime de Romana ſentientes Eccleſia, quam apud ſe tantummodo ſervari autumabant. In abditis locis perpetrabant turpia, & nefanda (*q*), Hermanni autem oſſa poſt mortem exhumata, & igni tradita fuere.

Proſcriptus inſuper fuit hoc Seculo XIII. ab Alexandro IV. liber blasphema dogmata continens, cui titulus *Evangelium æternum* (*r*). Combuſtus Gerardus

I 4

(*q*) His tamen longe turpior Secta *Guilelminæ* Bohemæ, a Boſſio & Puricello deſcriptæ. Hujus ſectæ viri, ac mulieres, non ſolum conventibus antelucanis cum presbyterorum indumentis poſt quasdam preces, ſub modico lumine abſcondito, ad fortuitos concubitus gradiebantur, ut Spondanus refert ad annum 1360. ſed Guilelminam quoque aſſerebant eſſe Spiritum ſanctum femineo ſexu incarnatum, aliaque abſurdiſſima effutiebant deliramenta. Obiit hypocrita & inſana mulier anno 1281. & anno 1300. exhumata fuit & combuſta. Vide Jo. Mabill. Muſei Ital. p. 1. 20.

(*r*) Hujus libri auctor Joannes de Parma Minorita. Labenteitem hoc Seculo edidit *Poſtillam* in Apocalypſim F. Petrus

rardus Segarelius Parmenſis, de cujus erroribus agendum eſt rurſus ſeculo proximo.

Permulta itidem quorumdam Scholaſticorum abſurda damnarunt Archiepiſcopi Pariſienſes Guilelmus, & Stephanus Le-Templier. Idem fatum quibusdam Ariſtotelis lucubrationibus, proſcriptis in Synodo Pariſienſi anno 1209. propter quorumdam Scholaſticorum abuſum. Vide hujus Synodi Acta tom. 11. Conc. p. 1. pag. 49. Ulterius David quidam Dinantius Belga, e ditione Leodienſi, auditor olim Almarici, de quo ſupra, adeo delirus fuit, ut aſſereret Deum eſſe materiam primam. *Stadingi* (ita appellantur populi ſiti in finibus Friſiæ, & Saxoniæ, inviis paludibus fluviisque circumdati) eo immanitatis propudiique devenerunt, ut ſacros omnes miniſtros crudeliſſime necarent, ſacra myſteria polluerent, promiſcuam exercerent libidinem, & Chriſti corpus in Paſchate tantum e manu Sacerdotis recipientes in latrinam horrendiſſimo ſacrilegio expuerent. Judæi demum hoc Seculo ob execrabilem avaritiam, & aliquos Chriſtianos pueros circumciſos, aliquos vero affixos cruci, adeo exoſi, infamesque evaſerunt, ut anno 1290. ejecti fuerint ex Anglia, anno 1295. e Galliis, & anno 1298. ex nonnullis Germaniæ urbibus.

---

trus Joannes Oliva ejusdem Ord. Provinciæ Provincialis. Dogmatizavit Eccleſiam Catholicam eſſe Babylonem, & Rom. Pontificem Antichriſtum. Legi apud Baluzium, auctorem vixiſſe circa annum 1300. ſed alibi mortuum inveni an. 1297. Articuli autem ejus LX. cenſura notati, & proſcripti fuerunt an. 1318. ſedente Joanne XXII.

CA-

CAPUT IV.

SCRIPTORES, QUI DECIMOTERTIO SECUTO FLORUERUNT.

Theologiam Scholasticam, quam superiori Seculo ad certam methodum Magister Sententiarum perduxerat, plures, iique clarissimi viri illustrarunt: quorum præcipuos, servato temporis ordine, recensebo. Claruit itaque initio huius Seculi, & Commentaria edidit in quatuor libros Sent. (s) *Guilelmus* e Seilliniaco Burgundiæ oppido, Doctor Parisiensis Academiæ, deinde Episcopus Antissiodorensis, ac tandem Parisiensis Archiepiscopus, qui obiit anno 1223. eodemque tempore *Guilelmus* alter, item Gallus, similia Commentaria exornavit: qui tamen de Justificatione, quam videtur repetere potius a fide, quam a charitate, non censetur accurate pertractasse, nisi tamen illius scripta, ut putat Possevinus, fuerunt depravata. Sequitur *Alexander de Hales* natione Anglus Ordinis Minorum appellatus *Doctor irrefragabilis*: cujus præter sacrorum librorum interpretationes, aliaque scripta habentur Commentaria in IV. Sent. Libros, & Summa universæ Theologiæ distributa in partes quatuor. Obiit autem Alexander Parisiis anno 1245. Floruit item hoc seculo nunquam satis laudandus *S. Thomas Aquinas*, regio ortus sanguine, puer eruditus a Monachis Cassinensibus, sed postea FF. Prædicatorum institutum professus, merito *Doctor Angelicus* nuncupatus. Nam ut libros ejus plurimos prætermittam tum philosophicos, tum exegeticos, præ-

(s) Potius *Summam Theologicam*, editam Parisiis anno 1500. Caveus duos istos Guilelmos distinguit.

clarum illud nomen Thomæ comparavit multiplex de re Theologica lucubratio, Commentaria in 4. Sent. Summa contra Gentiles, & Opuscula 73. ad Theologiam singula spectantia, maxime vero digna cedro, & aurea *Summa* in partes tres divisa, in qua continentur Qq. 512. & art. 2654. Migravit ad Superos S. Thomas Nonis Martii anno 1274. in Cœnobio Fossæ novæ (*t*) non procul a Tarracina, cum rogatus a Gregorio X. Lugdunum versus ad Synodum Oecumenicam iter arripuisset.

Eodem anno 1274. Idibus Julii decessit *S. Bonaventura* (*u*) Balneoregiensis, appellatus *Doctor Seraphicus*, Ord. Min. Cardinalis, & Albanensis Episcopus. Et ipse scripsit in quatuor sententiarum libros, Opuscula Theologica & Ascetica LXXIII. præter Expositiones divinorum librorum, sermonesque sacros complures. Florebat item circa annum 1260. *Albertus Magnus* Ord. Præd. cui memoria ingeniumque beneficio Deiparæ collatum fertur, ablatumque triennio ante mortem, quæ contigit anno 1280. Ejus Opera XXI. amplissimis voluminibus comprehenduntur, & per omnem Philosophicam, sacramque eruditionem, pro Seculo hujus genio, exspatiantur. Discipulus Alberti Magni fuit *Ulricus* de Argentina, & ipse de Theologia, prout in scholis traditur, optime meritus. Referendus ad eamdem ætatem *Henricus* Gandavensis, seu Mudanus a patria, & doctor *Solemnis* a Parisiensi Academia appellatus, qui & in 4. Sententiarum libros, & Summam Theologiæ conscripsit, obiit Tornaci in Belgio anno 1293.

In

(*t*) Ordinis Cistercienfis. Dies S. Thomæ emortualis Non. Martii. Quidam scripsere S. Thomæ propinatum fuisse venenum a medico Caroli II. Siciliæ Regis. Vide Danthis *Purgat.* cant. 20.

(*u*) Joannes in baptismate nuncupatus, *Bonaventura* autem puerulus dictus a S. Francisco FF. Minorum parente.

In eremitana quoque S. P. Auguſtini familia claruerunt cum doctrina, tum ſanctimonia morumque integritate *Auguſtinus*, *Triumphus*, & *Ægidius* Romanus. Quorum primus Anconitanus patria Summam edidit de *Poteſtate Eccleſiaſtica*, & inedita plura, inter quæ extat Opus in 4. Sententiarum libros. Interfuit autem Triumphus anno 1274. Concilio Lugdunenſi, tametſi vitam protraxit usque ad annum 1328. ætatis ſuæ 85. At Ægidius ex Columnenſium Familia, Bituricenſium Archiepiſcopus Aquitaniæ Primas, necnon S. R. E. Cardinalis, ut demonſtrat Lud. Dattichius Hiſt. Card. tom. 1. pag. 372. naturæ conceſſit Avenione anno 1316. cum ageret ætatis ſuæ annum 69. poſteaquam & in Sententias, & ſingillatim in varias Theologiæ partes, & in ſacras litteras Commentaria exornaverat, necnon philoſophicos, & politicos libros conſcripſerat, atque adverſus Guilelmum Lamerenſem Ord. Min. profeſſorem Oxoniæ doctrinam S. Thomæ ſtrenue vindicaverat. Quare *Doctor Fundatiſſimus* dici meruit Ægidius, atque Caveo etiam teſtante Vol. 2. pag. 340. *Theologorum Princeps.*

Prætervi autem brevitatis cauſa alios permultos in Theologicis diſputationibus egregie verſatos, quemadmodum & ſanctiſſimos viros, Dominicum, Franciſcum, & Antonium Patavinum, qui licet in Scriptorum recenſiti albo, magis tamen ob ſanctitatem, quam ob litteras celebrantur; miſſis pariter Romanis Pontificibus doctrinæ laude præclaris, Innocentio IV. Clemente IV. Gregorio X. & Bonifacio VIII. Scriptoribus item adnumeratis; iſtorum quippe meminimus cap. 1. neque modo fas eſt cæteros, ſaltem præſtantiores, penitus prætermittere.

Claruerunt itaque hoc vertente Seculo *Joachinus* Calaber Abbas Ciſtercienſis, haud ignobilis Scripturarum divinarum interpres, & prophetiæ fama clarus; (x) qui obiit anno 1215. *Rodericus* Ximenius

(x) Vide tamen ſuperiori Seculo cap. 3.

menius Archiepiscopus Toletanus de Historia Hispanica, Romana, Ostrogothorum, Hunnorum, Arabumque bene meritus: qui decessit anno 1245. *Helinandus* Monachus Cistercienſis auctor Chronici ab orbe condito usque ad annum 1204. qui naturæ concessit anno 1227. *Conradus* Præmonſtratenſis ſcriptor alterius Chronici a Belo Rege Aſſyriorum usque ad annum Chriſti 1229. *Jacobus* de Vitriaco Cardinalis & Epiſcopus Tuſculanus, ſcriptor Hiſtoriæ Orientalis & Occidentalis, a Mahumedis tempore ad ſuam usque ætatem, an. 1244. migravit e vita. *Guilelmus* Arvernus Archiepiſcopus Pariſienſis, cujus obitus contigit anno 1249. præter Exegetica quædam ſcripta variosque ſermones, conſcripſit de Theologicis quæſtionibus libros, ſeu Tractatus 25. Excelluit in Hiſtoria, præſertim Anglicana, quam ſcriptis exornavit *Matthæus Paris* Anglus, Monachus S. Benedicti, cujus obitus conſignatur anno 1259. Speculum unum Hiſtoricum, alterum Doctrinale edidit *Vincentius* Bellovacenſis ex Ord. Præd. qui e vivis exceſſit anno 1256. aliis 1264. deditque operam per idem temporis exemplis rebusque ſimilibus colligendis, ſcribendisque orationibus, etiam ad funera celebranda, *Joannes* a S. Geminiano ejusdem Ordinis. *Hugonis* de S. Caro ejusdem familiæ vita functi anno 1260. eſt elaboratiſſimum Opus Concordantiarum Latinorum Bibliorum. Accedunt prælaudati inſtituti *Raymundus Martini*, qui edidit *Pugionem Fidei* contra Judæos, ſcripſitque contra Saracenos, hortatu S. Raymundi de Pennafortio ſacræ illius Familiæ Magiſtro: idem *S. Raymundus* collector librorum V. Decretalium, ad ſuperos evocatus centenarius anno 1275. & *Martinus* Polonus ſcriptor Chronici, quod vocant *Martinianum*, a Chriſto usque ad annum 1277. defunctus Bononiæ anno ſequenti 1278. Diem obiit anno 1284. *Rogerus Baconus* Anglus Ord. Min. vir omni ſcientia, præſertim philoſophica exornatus, & *Doctoris mirabilis* nomen adeptus, de magia inſimulatus, & eam ob rem jubente Nicolao IV. conjectus in carcerem (*y*). Supremus fuit annus 1298. *Jacobi* de Voragine apud Ligures Ord. Præd.

Præd. Chronici Januenſis, & Legendæ *aureæ* de vitis Sanctorum, Sermonum autem plurimorum, pius, ſed fortaſſis nimium credulus, concinnator. Omitto cum quibusdam aliis *Richardum* de Mediavilla Minoritam, qui floruit Seculo deſinente, & appellatus fuit Doctor *Solidus* & *auctoratus*; ne Græcorum Scriptorum, quorum nullum hactenus commemoravi, videar oblitus.

Inter Græcos itaque oratoria enituit arte *Michael Coniata*, atque in Hiſtoria frater ejus Nicetas Seculo XIII. ineunte. Claruerunt circa annum 1255. *Theodorus Laſcaris* & *Nicephorus Blemmida*; quorum tamen unus in quæſtione de origine Spiritus ſancti a Filio, quam Theologi *proceſſionem* vocant, ſcripſit contra Latinos; alter aliquando pro Latinis pugnavit; ideoque a Leone Allatio Orthodoxæ Græciæ ſcriptoribus, & ab Oderico Raynaldo Eccleſiaſticis Annalibus iſtius ſcripta inſeruntur. *Gregorius Acropolites*, quem vocat Ephremius ἀρχοντα πάντων καὶ πρόεδρον. (z) Conſtantinopolitanam ſeu Bizantinam hiſtoriam condidit ab anno captæ per Latinos urbis 1203. usque ad recuperatam a Michaele Palæologo, nempe ad annum 1261. Joannes autem Vecchus invictus pro Latinorum *de Spiritu ſancto* dogmate athleta, cum ea de cauſa edidiſſet ſcripta, collecta

(y) *Rogerus Baconus* Ord. Min. Philoſophus acutiſſimus, tamquam præſtigiator & magus denuntiatus Clementi IV. & a proprio quoque Generali damnatus, & conjectus in carcerem, per calumniam tamen neſcientium arcana naturæ, objectum ſibi crimen conſortii cum malignis ſpiritibus exſufflavit, anno 1266. & 1278. obiitque Oxonii anno 1284. Vindicarunt virum doctiſſimum Wadingus, & Spondanus ad præd. annum 1278. necnon Naudeus in Annalibus, & Caveus, etſi hæſitanter, in Seculo Scholaſtico. Plura in diction. Petri Bayle.

(z) *Omnium principem, primique ſubſolii*,

lecta citato in loco ab Allatio, veritus ne disserperetur a commota in ipsum plebe, relicta C. P. sede, quam octennio Michaeli Imperatori acceptissimus occupaverat, eo e vivis sublato confugit ad monasterium Panachranti; quod contigit anno 1283. atque inde relegatus fuit ad radices montis Olympi, postmodum in Bithyniam: ibique inedia, ærumnisque confectus interiit.

CAPUT V.

QUINAM IMPERII CORONA, CÆLITUMQUE GLORIA FUERINT DECORATI.

Otho igitur hujus nominis IV. extincto Philippo imperium occœpit anno 1208. atque proximo anno 1209. eidem Innocentius III. Augustalia contulit insignia. At spreto jurejurando invadentem Romanæ Ecclesiæ provincias idem Pontifex a communione fidelium amovit; eumque anno 1214. *Philippus Augustus* Galliarum Rex apud Bovinum in Gallia Belgica ingenti clade prostravit; qua devictus etiam imperio dejectus est; tametsi vitam protraxerit ad annum 1218. quo pœnitens, & absolutus ab Episcopo Hildeshemiensi (*a*) diem obiit.

Transiere interea temporis ad cœleste regnum *Guilelmus*, Abbas in Dania VIII. Idus Aprilis anno 1203. relatus inter Sanctos ab Honorio III. an. 1224. *Petrus* a Castronovo primus contra Albigenses quæsitor fidei, martyrio affectus jubente Comite Tolosano Raymundo anno 1208. *Felix* de Valois, & *Joannes* de Matha institutores Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum: quorum pri-

(*a*) *Hildesheim in Saxonia inferiori.*

primus obiit anno 1212. XII. Cal. Decem. alter anno 1213. XII. Cal. Januarias: & anno 1214. die 14. Septembris martyr occubuit *Albertus* Patriarcha Jerosolymitanus, Ordinis Carmelitici propagator.

Prædicto anno 1214. post exauctoratum Othonem imperium assecutus est *Fridericus II.* filius Henrici VI. & Constantiæ filiæ Rogerii Regis Siciliæ. Hæc illum edidit in tentoriis prati Panormitani, ad omnem veri partus suspicionem amovendam, quoniam, ut inquit Hospinianus, ad decrepitam pervenerat senectutem. Fridericus ab Honorio III. coronam accepit: at Ecclesiam vexando, & iniqua perpetrando non semel subiit anathema. Ab eodem Honorio propter dejectos & injuria affectos Episcopos, a Gregorio IX. ob non susceptam, quam pollicitus fuerat, expeditionem in Palæstinam, & post simulate susceptam, & pacem contumelioſe initam cum Sultano, rursus ab eodem Pontifice ob Italiæ regiones incendio & cæde vastatas, atque ab Innocentio IV. ob pervicaciam in bonis Ecclesiasticis retinendis, excommunicatione mulctatus est. Privatus quoque fuit imperio in I. Lugdunensi Concilio anno 1245. & derelictus a suis obiit an. 1259. in Arce Apuliæ, aut Panormi; non enim consentiunt Historici (*b*). Quorum etiam alii veneno peremptum

(*b*) Puto decessisse in Apulia in arce, quæ *Florentina* dicebatur. Ajunt semper vitasse urbem Florentiam, quod ei fuisset prænuntiatum, moriturum in Florentino castro. Nothus ejus filius, qui dicitur patrem injecto in os decumbentis pulvino profocasse, fuit Manfredus honore Ducatus Tarentini insignitus, ægre ferens quod ei Pater prætulisset filium alium Nothum Hensim Regem Sardiniæ, qui postea Bononiæ captivus obiit anno 1271. Fertur Manfredum ad amovendam a se paternæ mortis suspicionem Friderici cadaver adsportasse Panormum, ibique sepulcro Porphyretico condidisse. Quidam id factum ajunt ab

ptum ajunt, alii suffocatum a filio suo Notho, alii gravissimo morbo correptum. Instituit Academiam Neapolitanam, & juxta scriptores aliquos Viennensem, quam tamen institutam alii tradunt ab Alberto III. Archiduce Austriæ anno 1365. Post mortem Friderici diuturnum fuit interregnum usque ad annum 1273. quamvis enim alii principes ad Imperii coronam aspiraverint; maxime *Henricus* Thuringiæ Landgravius, *Guilelmus* Brabantiæ Comes, *Richardus* Comes Cornubiæ in Anglia meridionali, & *Alphonsus X.* Rex Castellæ, attamen nec coronam imperii consecuti fuerunt, nec ejusdem imperii administrationem auctoritatemque potiti.

Interim ad Beatorum translati sunt sedes septem Fratres Ord. Minorum martyrio coronati apud Marochium Africæ civitatem anno 1220. contigit & martyrium *Angeli* Carmelitæ eodem anno in Sicilia interfecti, aliorumque Sanctorum septem Martyrum Minoritarum Exilissæ (Ceutam vulgo dicunt) Mauritaniæ Tingitanæ urbis interfectorum in sequenti anno 1221. quo item anno Bononiæ decessit *S. Dominicus* pridie Nonas Augusti; qui anno 1216. (c) inclytum Prædicatorum Ordinem instituerat, Albigensium oppugnaverat hæresim, & anno 1234. a Gregorio IX. Sanctorum catalogo fuit adscriptus. Idem autem Gregorius Fastis Sanctorum adscripserat Sera-

---

ab Archiepiscopo Panormitano. Melanchthon, & hæretici alii celebrant illud epitaphium:

Si probitas, sensus, virtutis gloria, census,
Nobilitas orti, possent obsistere morti;
Non foret extinctus Fridericus, qui jacet intus.

Sed nunquam viris Principibus defuerunt assentatores.

(c) Aut 1207. an. enim 1216. confirmatus fuit, ut dicam proximo capite. Fuerat Canonicus Regularis Oxoniensis; ejusque nobilissimam ex Gusmanorum gente prosapiam vindicavit Antoninus Bremond Ordinis Prædicatorum Magister.

Seraphicum Patriarcham *Franciſcum* anno 1228. qui Fratribus ſuis regulam tradiderat anno 1209. (*d*) in Arvernia Etruriæ monte receperat Crucifixi ſtigmata anno 1224. atque e vita migraverat anno 1226. IV. Nonas Octobris. Superiori anno 1225. VII. Idus Novembris pro Eccleſiaſtica libertate martyrium ſubierat ſanctus Colonienſis Epiſcopus *Engelbertus*. Deceſſere anno 1231. *Antonius* Olyſſiponenſis, a loco dormitionis appellatus *de Padua*, Idibus Junii, virtutibus ſignisque conſpicuus, anno ſequenti a Gregorio IX. canonizatus; ac *Eliſabeth* vidua filia Andreæ Hungarorum Regis, cujus natalis colitur XIII. Cal. Decembris, Sanctorum faſtis ab eodem Gregorio anno 1235. adſcripta fuit. *Hedwigem* Polonorum Reginam cœlum terris rapuit anno 1243. idibus Octobris, retulitque inter Sanctos anno 1267. Clemens Papa IV. (*e*) Diem obiit anno 1250. beatus *Simeon Stock* Carmelita, at non huius Ordinis habitusque, ut quidam autumant, inſtitutor. Ab hæreticis anno 1248. trucidatus eſt *Marcellinus* Albergotti Epiſcopus Aretinus, & anno 1252. occiſus eſt *Petrus* martyr Veronenſis Ordinis Prædicatorum, cujus memoria recolitur III. Cal. Majas. Innocentius IV. proximo anno 1253. Sanctorum numero illum adſcripſit: eumque generalem Fidei inquiſitorem in editione Mediolanenſi anno 1232. conſtituerat Gregorius IX. *Clara* S. Franciſci concivis ex hac vita deceſſit anno 1253. & anno 1255. ab Alexandro IV. inter Sanctas relata fuit. Colitur ejus memoria pridie Idus Auguſti. Inſtituerat vero pauperum Sanctimonialium Ordinem, vulgo *Clariſſarum* nuncupatum, anno 1212. Obdormivit in domino in nocte vigiliæ Nativ. Domini *S. Petrus Nolaſcus*

(*d*) Juxta alios an. præcedenti. Primum ipſius nomen *Joannes*.

(*e*) Anno 1249. obiit *S. Joannes* Bonus Mantuanus Ord. Eremit. S. P. Aug. Propagator. S. Albertus Collenſis ad ſuperos migraſſe dicitur an. 1202.

laſcus Carcaſſonenſis, anno 1256. Qui una cum *S. Raymundo* de Pennafort, & Jacobo I. Rege Aragoniæ inſtituerat anno 1218. Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum (*f*). *Hyacinthi* Poloni Ord. FF. Prædicat. beata mors contigit anno 1257. XVIII. Cal. Sept. & a Clemente VIII. adſcriptus fuit Sanctorum catalogo anno 1594. (*g*) Anno denique 1267. (nam de Eccleſiæ Doctoribus Thoma, & Bonaventura vita functis anno 1273. egimus præcedenti capite) migravit in cœlum *S. Silveſter* Abbas VI. Cal. Decembris Fabriani in Piceno, a quo Congregatio Monachorum Silveſtrinorum anno 1231. fuerat inſtituta. At ad annum 1273. quo diuturnum Auguſtorum Principum ceſſavit interregnum, redeundum eſt tandem.

Igitur anno 1273. pridie Cal. Octobris inauguratus eſt imperator *Rodulphus Magnus* Comes Habſpurgi, Conditor imperii Auſtriaci, & Landgravius Alſatiæ. A cultu SS. Euchariſtiæ repetuntur imperii ejus auſpicia. Commendatur quoque ipſius pietas, quoniam pro Cæſareis inſignibus crucem arripuit. Ottocarum Bohemiæ Regem implorato Deiparæ nomine ingenti clade ſuperavit, acceſſitque victori quaſi præmium certaminis Auſtria, quam Alberto filio ſuo regendam commiſit. Hinc Auſtriacæ Gentis origo: quam Alciatus arceſſit ex Aventino; alii repetunt ex vetuſtiſſimis Regibus Auſtraſiæ. Felici etiam marte cum Othone Burgundiæ Regulo, cum Thuringiæ populis, aliisque hoſtibus decertavit; atque univerſa pacata Germania, obiit princeps piiſſimus atque invictiſſimus anno 1291. Calendis Auguſti.

Poſt-

(*f*) *Humiliana* de Cerchiis Florentina obiit an. 1246. *Verdiana* virgo Recluſa an. 1221. *Ubaldeſca* Monialis Piſana an. 1206. *Benignus* Abbas Valliſumbroſæ an. 1236.

(*g*) *S. Raynerius* Piſanæ Civitatis patronus obiit an. 1161. die 17. Junii, qua die colitur etiam in Martyrologio Romano. *S. Peregrinus* Forolivienſis Ord. Servorum B. M. Virg. deceſſit an. 1284.

Postquam vero imperium tenuit septennio, sc. usque ad annum 1298. *Adolphus* Comes Nassoviæ, atque is ob avaritiam, crudelitatem, libidinem, aliaque flagitia proceribus cunctis visus est indignissimus principatu, electus est Rodulphi & Annæ filius *Albertus* Austriacus. *Monoculum* dixere, quoniam oculum amiserat ex propinato sibi veneno: quamquam, ut olim Annibal, altero oculo amisso, ferocius irruit in hostes, & Adulphum, non procul a Wormatia superioris Germaniæ Urbe, illustri prælio fregit, & vulneravit, *Triumphatoris* cognomentum adeptus. Pugione tamen a conjuratorum manu confossus est ac trucidatus an. 1308. Auctor conjurationis Joannes fratris filius (*h*), cum quo lis erat de hæreditate paterna: atque ille stipatus Ulrico, Waltero, & Rodulpho proceribus in parricidii consortium adscitis, primus omnium Alberti jugulum pugione petivit. Patratum facinus Calendis Maji.

In hac autem Seculi XIII. postrema parte oppetierunt mortem anno 1275. die 23. Januarii *Raymundus* Barcinonensis; de quo supra cap. 4. in Sanctorum album relatus an. 1601. a Clem. VIII. Anno 1285. *Philippus Benitius* Florentinus, cujus item mentionem fecimus cap. 1. in Gregorio X. Hunc quidam institutorem faciunt Ordinis Servorum B. M. V. cum tamen hic Ordo incœperit anno 1233. auctoribus VII. beatis viris, Bonfilio Monaldio, Bonajuncta Manetti, Manetto Antellensi, Amideo de Amideis, Uguccione Uguccinio, Sosteneo de Sosteneis, & Alexio de Falconeriis. Fuit itaque S. Philippus ejusdem Ordinis propagator, & V. Generalis, non institutor: ejusdemque festum

(*h*) Quidam *Joannem* dicunt Alberti patruum; sed falluntur. Joannes enim filius fuit Rodulphi ducis Sueviæ, quo extincto Albertus egit nepotis tutelam: unde seminarium dissidii. Joannes tamen in Pisano Augustinensium cœnobio in Monachum attonsus, pœnitentia, signisque clarus vita illic functus est an. 1313.

diem recolimus X. Cal. Septembris. Anno 1292. *Albertus* Carmelita Siculus, qui obiit Meſſanæ VII. Idus Auguſti, & anno 1295. *S. Petrus Cæleſtinus*: de quo item cap. 1. *Margarita* itidem, Cortonenſis vocata a dormitionis ſuæ loco, & cognominata Etruriæ, ac Seraphici Ordinis Magdalena, obdormivit VIII. Calendis Martias an. 1297. eodemque anno relatus eſt inter Sanctos *Ludovicus IX.* Rex Galliarum, qui an. 1270. die 25. Auguſti, inita contra Saracenos expeditione, peſtilentia deceſſit. Ipſomet an. 1297. ad cœlos migravit *S. Ludovicus* Epiſcopus Toloſanus Ord. Min. hujusque nomen Martyrologio Rom. inſcriptum legitur XIV. Calendas Septembris. Poſtremo denique anno, ſcilicet 1300. ad aram peracto Sacro a Mahumetanis trucidatus eſt Epiſcopus Giennii, ſeu Oningis in Andalutia, *Petrus Paſchalis*.

Reliquum eſt, ut Imperatorum Orientis ſubjiciamus chronologiam. Dejecto e throno an. 1203. Alexio Angelo ab Alexio Juniore nepote ſuo, is anno ſequenti 1204. vita imperioque exceſſit. Succeſſit Alexius Ducas, cognomento *Murtzulphus*, ſeu *Myrtilus*, a conjunctis ſuperciliis, qui propriis manibus Alexii fauces laqueo confregit: at idem ſceleſtiſſimus parricida eodem anno extremo ſupplicio affectus eſt a Latinis, qui Conſtantinopolis potiti ſunt, & omnium fœderatorum conſenſu Imperatorem Orientis crearunt Balduinum Flandriæ Comitem. Græci vero Imperii ſedem laceratam atque diviſam transtulerunt Trapezum Cappadociæ, Nicæam Bithyniæ, & Adrianopolim Thraciæ urbem. Quare usque ad an. 1261. quo anno Michael Palæologus recuperavit C. P. regnarunt Adrianopoli, & Nicææ *Theodorus Laſcaris* filius Alexii Angeli, *Joannes Ducas Vatacius* illius gener, *Theodorus Laſcaris* Junior, Joannis filius, ac prioris Theodori nepos, atque *Joannes* filius Theodori Junioris, quem an. 1260. Michael Palæologus excæcavit, atque Nicææ ipſe Michael arripuit Imperium. Trapezi vero (*Trabiſundam* vulgo dicunt) imperarunt ab an. 1204. *Comneni*, ab Alexio filio

Emma-

Emmanuelis, & nepote Andronici Imp. usque ad *Davidem Comnenum*, qui anno 1462. coactus est Trapezuntinum Imperium cedere Mahumeti Secundo.

Postquam igitur C. P. Imperium tenuerat ex Latinis *Balduinus* anno tantum uno, captus & occisus anno 1205. & a Joannicio Rege Bulgarorum, *Henricus* Balduini Frater inauguratus anno 1206. & vita functus anno 1216. *Petrus* Comes Antissiodorensis gente *Cortiniacus*, extinctus proximo anno 1217. *Rupertus* Petri filius occisus an. 1228. *Balduinus II.* Ruperti F. qui capta 1261. a Michaele Palæologo C. P. fuga elapsus mortem evasit; Michael Constantinopolitana Urbe recuperata, ibique pulsis Latinis restituit Imperium Græcorum, & illud administravit usque ad annum 1280. eique successit *Andronicus* Palæologus ipsius, sive *Andronicus II.* ab Andronico Juniore nepote suo dejectus, & carceri mancipatus anno 1327.

CAPUT VI.

QUÆNAM SECULO XIII. IN ECCLESIA DOCTRINA, ET DISCIPLINA VIGUERINT.

Prava hæreticorum dogmata descripta superiori cap. 3. hujus Seculi Conciliis pariter enarratis 2. cap. fuerunt proscripta. Quare confirmata fuere, quæ de fide Trinitatis, & Dominicæ Oeconomiæ, seu, ut ajunt, *Incarnationis*, tradidere Majores. Corroborata est Ecclesiastica Hierarchia, Romani Pontificis auctoritas, Sacerdotalis Ordinis dignitas, ac potestas. Intemerata item Deiparæ virginitas, cultus Sanctis exhibendus: sacrarum usus Imaginum, psalmodiæ, rituum, precumque vetusta consuetudo, atque sanctarum Indulgentia-

rum conceſſio, aliaque tradita a Magiſtra veritatis Romana Eccleſia, fuerunt iterum ſtabilita. Definitum eſt inſuper non pugnare cum Evangelica paupertate ex quæſtu vivere, etiam Chriſtianis fas eſſe gubernare Rempublicam, ac præter conſcientiæ ſyndereſim manere reprobis ſempiterna inferorum ſupplicia. Quæ omnia ex præcit. cap. 3. & ſeq. perſpicua ſunt.

Annuæ Paſchalis communionis ad fideles ab infidelibus diſcernendos, revocandosque ad frugem improbos, cum a Chriſto & ab Apoſtolis fuerit indicta perceptio, tempus recte novimus eſſe præſcriptum. Recitandi Roſarii B. V., devotio utique, ſive orationum qualitas, ſive contemplanda myſteria attendantur, ſummopere commendanda, uſus promulgatus eſt a S. Dominico, quem illius auctorem eſſe, quidquid obganniant nonnulli, declararunt Romani Pontifices Leo X. Pius V. Gregorius XIII. & Sixtus V. Fertur primus omnium Innocentium IV. Roſam auream muſco & balſamo permixtam ſolemni ceremonia benedixiſſe, quod alii referunt ad Leonem IX. alii ad Urbanum II., alii rejiciunt poſt annum 1400. Sed hæc, & conſimiles quæſtiones obſcuræ facili negotio ſolvuntur, ſi antiqua dicatur inſtitutio, hujus ævi benedictionis ſolemnitas, poſterioris formula in Ordine Romano præſcripta. Fratribus mendicantibus, & nominatim Ord. Prædicat. facultatem excipiendi Confeſſiones Sacramentales indulſit Gregorius IX. Feſtum Corporis Chriſti, quod an. 1208. celebrari cœperat in diœceſi Leodienſi, ab Urbano IV. an. 1264. præſcriptum fuit univerſæ Eccleſiæ, una cum Officio edito a S. Thoma Aquinate. Obtinuerunt hoc Seculo hymnus, *Stabat Mater*, & Antiphona, *Salve Regina*, nec non ſequentia, *Veni S. Spiritus*. De auctoribus hæſitatur. Quidam enim *hymnum* illum, ſeu rhythmum compoſitum a beato Jacopono, quidam vero ab Innocentio III. editum affirmarunt: *Antiphonam* alii S. Bernardo, alii Haimero Epiſcopo Podienſi, alii Petro Compoſtellano, alii Hermanno Contracto Monacho Benedictino, de

quo

quo Seculo IX. adſcripſere: *Sequentiam* Innocentio III. prælaudato. Incluſio Cardinalium in Conclavi ad eligendum Summum Pontificem cœpit anno 1276. in electione Innocentii V. ex præſcripto Conſtitutionis latæ a prædeceſſore Gregorio X. cujus extat decretum in ſexto cap. *Ubi periculum* 3. de Elect. Annus Jubilæi, cujus quædam imago præceſſerat in Veteri lege Levit. cap. 25. inſtitutus eſt a Bonifacio VIII. ac primo celebratus an. 1300. Extat Bonifacii decretum Cap. *Antiquorum*, Extravag. Comm. lib. 3.

Præc. capite commemorans viros ſanctiſſimos mentionem feci Ordinum religioſorum ab illis inſtitutorum. Æquum eſt, ut etiam cæteros, atque ſingulorum recenſeam approbationem. Sacer itaque Ordo Prædicatorum confirmatus fuit an. 1216. ab Honorio III. Idem Honorius confirmavit Ordinem FF. Minorum, quem tamen oraculo vivæ vocis approbaverat Innocentius III. an. 1209. Regulam quoque Carmelitis traditam ab Alberto Jeroſolymitano idem Honorius confirmavit; quam tamen poſtea mitigavit Innocentius IV. Unionem Eremitarum in unum Auguſtinenſium cœtum ratam habuit, probavitque Alexander IV. anno 1257. (*i*) Hi ſunt quatuor Ordines *Mendicantium*. A Gregorio autem IX. approbatus fuit Ordo Beatæ Mariæ de Mercede anno 1235. Ab innocentio IV. Ordo Servorum B. M. V. & Monachorum Silveſtrinorum an. 1247. Cæleſtinorum inſtitutum a Cæleſtino V. an. 1294. nomen traxit, ac firmitudinem. Inſtituit an. 1215. B. Euſebius Archiepiſcopus Strigonienſis Ordinem Eremitarum S. Pauli primi cultoris Eremi,

(*i*) Ordo Eremitarum S. P. Auguſtini Unionem iſtam præceſſit: nam Concilium II. Lugdunenſe celebratum an. 1274. declaravit, eumdem Ordinem connumerandum non eſſe inter recentiores tum inſtitutos, eo quod ille, ſicut & Carmeliticus, præceſſerit Generale Concilium Lateranenſe IV. celebratum an. 1215. Vide caput *Religionum*, de Relig. Dom. in 6.

mi, ſed confirmatus tantum fuit a Joanne XXII. an. 1328. Prætermittimus quarumdam Congregationum, Ordinumque Equeſtrium inſtitutionem ad hoc Seculum referendam. (*k*)

EXTERNARUM RERUM ACCESSIO.

Adminiſtraverunt Galliarum Regnum poſt Philippum Auguſtum extinctum an. 1223. *Ludovicus VIII.* qui deceſſit an. 1225. Deinde *S. Ludovicus IX.* vita functus an. 1270., de quo etiam ſupra cap. 5. inter Sanctos relatus an. 1297. a Bonifacio VIII. Regnavit poſtmodum *Philippus III.* cognomento *Audax* usque ad annum 1285. deinde *Philippus IV.* a formæ elegantia dictus *Pulcher* ad annum usque 1314.

Regnum vero Caſtillæ poſt Alphonſum VIII. vita functum 1214. tenuerunt *Henricus I.* qui obiit an. 1217. (*l*) *Ferdinandus III.* Rex etiam Legionis, qui ſancte deceſſit an. 1252. *Alphonſus X.* cognomento *Sapiens* (*m*) a filio Sanctio pulſus e throno an. 1284. Idem *Sanctius* hujus nominis IV. qui ceſſit e vita an. 1295. & *Ferdinandus IV.* qui regnavit usque ad an. 1312. Interea temporis regnarunt in Navarra *Sanctius VIII. Theobaldus*, *Theobaldus II. Henricus*, & *Joanna*, quæ deceſſit anno 1304. in Aragonia vero poſt Petrum II. defunctum

(*k*) Primo hujus Seculi anno, id eſt, 1201. inſtitutus Ordo S. Spiritus *in Saxia* Romæ.

(*l*) *Alphonſus IX.* mortuus an. 1231. Rex Legionis.

(*m*) Anno 1252. *Alphonſus* Rex Hiſpaniarum fixit Æram ſuam Cal. Junii feria 7. & motuum cœleſtium tabulas, quas appellant *Alphonſinas*, conquiſitis Aſtronomorum exercitatiſſimis; expenditque eam in rem quater centena millia aureorum.

tum an. 1313. *Jacobus I. Petrus III. Alphonſus III.* & *Jacobus II.* qui obiit anno 1327. atque in Luſitania, cujus Regnum incepit ſuperiori Seculo XII. in quo ab an. 1139. usque ad annum 1212. regnaverant *Alphonſus I.* & *Sanctius I.* poſt Sanctium Regno potiti ſunt *Alphonſus II. Sanctius II. Alphonſus III.* & *Dionyſius*, qui naturæ conceſſit anno 1325. (*n*)

Quæ in Oriente contigerunt hoc Seculo, iſta præſertim ſunt. In Syria an. 1202. ingenti terræmotu, quem conſecutæ ſunt peſtilentia & fames, concidit Tyrus, omnesque urbes maritimæ concuſſæ ſunt. Occupata a Latinis an. 1204. C. P. anno autem proximo pactæ ab iis ad ſexennium cum Saracenis induciæ. Thamiathem, vulgo *Damiatam*, apud Peluſium in Ægypto, Chriſtiani an. 1219. expugnarunt. Reddiderunt tamen anno ſequenti, incenſis a Saracenorum exercitu navibus illorum 750. & Nili hærentes paludibus. Theodorus Angelus an. 1221. occidit ad Dyrrachium (*o*) Macedoniæ urbem Latinum Imperatorem Petrum Cortiniacum juxta Voſſianam Hiſtoriæ Epitomen; quod tamen an. 1217. eveniſſe putamus. Aulicus, qui an. 1228. interfecit Rupertum Imp. Orientis, Imperatrici, cujus nuptias conſequi non poterat, nares abſcidit. Fridericus II. Imperator anno 1229. cum Sultano Babyloniæ iniit fœdus, eique, partem aliquam Jeroſolymæ adeptus, templum arcemque reliquit. Tartari anno 1244. ex Hungaria, & Perſide pulſi ſeſe in Chriſtianos commorantes in Syria effuderunt inſtigante Sultano, a quo in ſuam

(*n*) In Anglia Rex *Joannes* anno 1216. *Henricus III.* 1273. *Eduardus* 1308. In Polonia autem *Micislaus* anno 1202. reſtitutus. *Leſcus* 1226. *Boleslaus IV.* 1279. *Leſcus II.* 1289. *Primislaus* 1296. *Venceslaus* an. 1305. ſatis ceſſerunt.

(*o*) Vulgo *Durazzo*.

ditionem redacta Jeruſalem, templique ſuppellex in Mahumetis ædem translata fuit. S. Ludovicus Galliarum Rex an. 1249. Tamiathem recuperavit, quæ tamen ſequenti anno diruta eſt, cæſis Chriſtianis quamplurimis. Tartari Chriſtianam amplexi religionem an. 1258. occupavere Babylonem; recepitque an. 1261. Michael Palæologus C. P. ut dictum eſt alibi. Benedocdar Sultani dux an. 1268. expugnavit Antiochiam, cæſis Chriſtianorum XVII. M. & C. M. in captivitatem abductis. An. 1289. Sultanus cæpit evertitque Tripolim: expugnavit deinde Tyrum, Sidona, & Berytum; ac Ptolomaidem quoque anno 1291. excidit. (p) deletumque eſt Regnum Chriſtianorum in Syria. Sequenti tamen anno Sultanus cum invadere meditaretur Cyprum, trucidatus fuit a ſuis. Palæſtina, quam anno 1294. recuperavit Caſſanus Rex Tartarorum factus Chriſtianus, rurſus anno 1300. proditione præfecti Damaſceni rediit ad Saracenos. Hoc anno Seculi XIII. poſtremo fertur Othmen, vulgo

Otho-

(p) Ptolemais, ſeu *Acra*, dicta a noſtratibus Civitas *S. Joannis*, quod fuerit olim ſedes Equitum S. Joannis Jeroſolymitanorum, ut diximus præced. Seculo cap. 6. *Colonia Claudia* appellatur a Plinio. Olim *Acam* ab Aco Ptolomæi Regis Ægypti fratre dictam volunt. Expugnaverat illam ante adventum Domini Tigranes Armeniæ Rex. Coloniam conſtituit Claudius Cæſar. A Tigrane dirutam inſtauraverat Pompejus. Occupatam anno 1104. a Balduino diximus in Appendice Seculi XII. Rurſus illam poſt quinquennium tenuerunt Chriſtiani. Rediit ergo an. 1291. die 3. Maji ad Saracenorum tyrannidem. Perierunt tum gladio fidelium 25000. in captivitatem abducti 20000. Nil modo, ſi percommodum portum excipias, veſtigium priſtinæ amplitudinis illic apparet. In cruce Signatorum expeditione, quæ cœpit anno 1095. ſuadente Petro Eremita a Græcis appellato *Coucopetro*, usque ad annum 1291. perierunt fidelium militum circa 2000000. atque diviſione principatuum, Chriſtianorumque Principum diſſenſione, victoria in luctum pertranſiit: quæ enim peperat Chriſtiana charitas & Crucis humilitas, ea ſuſtulit atrox diſcordia & turpis ambitio.

Othomanum, præfectum Ciliciæ, creatum fuisse mortuo Aladino Sultanum, & Othomanicam condidisse familiam; quod alii ad annum 1298. retulerunt, alii ad an. 1302. seu 1303.

Videamus, an feliciora in Occidente contigerint. Philippum Imperatorem an. 1208. parricidio necatum, dictum est supra. Germani duce Andrea Hungariæ Rege an. 1216. in Palæstinam expeditionem instituerunt. Fridericus II. an. 1234. Hungaros superavit, additque Imperio Viennam Austriæ. Idem Fridericus anno 1249. Parmam occupavit. Guilelmus acclamatus Imperator an. 1256. interfectus in Frisia: (q) Manfredus apud Beneventum an. 1265. & Conradinus in Marsis an. 1268. a Carolo Andegavensi, Siciliæ Regnum indepto, fuerunt devicti. *Vesperæ Siculæ*, in quibus omnes Galli, quotquot in insula erant, interfecti fuerunt, consignantur an. 1282. III. Cal. Augusti. (r) Prælium ad Spiram, quo Albertus Austriacus interfecit Adulphum Nassavium Imp. contigit postridie Calendas Julias anno 1298. Ultimo hujus Seculi anno, id est, 1300. exortæ fuerunt Pistorii

---

(q) Superiori anno 1248. *Victoriam* ligneam Urbem, quam Fridericus in obsidione Civitatis Parmæ construxerat, Parmenses expugnarunt, affixis illic in edito & conspicuo loco hisce versibus:

Per te, Rex alme, cessit Victoria Parmæ.
Antiphrasi dicta cessit Victoria victa.

(r) Comes Hugolinus de Gherardesca anno 1288. Pisis ob patriæ proditionem in turre cum filiis fame necatus fuit. Historiam tamen a Joanne Villani lib. 7. cap. 120. & 127. descriptam pluribus scatere erroribus, iisdemque implicari viros Clarissimos, qui Commentaria ediderunt in Danthem Alighierium *Inf. Cant.* 33. ex authenticis monumentis demonstrat vir præstantissimus Flaminius de Burgo Eques, & JC. Pisanus, in patrio Lyceo Professor publicus.

storii factiones, quas Nigrorum, Blancorumque dixere.

Ad litterarum incrementa plurimum contulerunt institutæ hoc Seculo Academiæ, nempe Seculi initio Salmanticensis. Patavina anno 1222. Tolosana an. 1233. Neapolitana an. 1239. Aboensis in Svecia an. 1240. Cantabrigiensis an. 1280. Monspessulana an. 1289. & Olyssiponensis an. 1290. Inter Scriptores vero, præter Ecclesiasticos commemoratos cap. 4. aliosque præstantissimos causa brevitatis prætermissos, cujusmodi fuerunt Stephanus Langtonus, Lucas Tudensis, Robertus Grosthead, seu Capito, Manuel Ephesinus, Joannes Castor, Remigius Florentinus, aliique complures, honestissimum sibi compararunt nomen, in Historia quidam Joannes de Oxonio, qui res Anglicas scripto tradidit, Conradus cognomento Philosophus, cujus est Chronicon inscriptum *Ἀνυπογράφον*, Joannes alter Anglus, & patria Eboracensis, vulgo *Holifax*, appellatus *De sacro Bosco*, librum condidit, de Sphæra mundi, Rodulphus Niger, a quo item duplex Chronicon editum fuit usque ad annum 1213. deductum, Sozomenus Presbyter Pistoriensis, & Vincentius Cadluccus Polonus Historici: atque de temporibus carmine, pro genio Seculi haud inelegante, scripsit Justinus Lippiensis, ac de bello Trojano, segregatis ab historia fabulis, Josephus Devonius Iscanus libros sex, quorum est initium, *Illiadum lacrymas, concessaque Pergama fatis.* Adde poetis Philippum Gualterum Castellionium, quem ab Episcopatu *Magalonensem* appellant, qui carmine condidit Alexandreida, id est, libros IX. de rebus gestis ab Alexandro magno; extatque illius Epitaphium apud Vossium de Poetis Latinis cap. 6.

Insula me genuit, rapuit Castellio nomen,
Perstrepuitque modis Gallia tota meis.

Excel-

Excelluit demum in utroque Jure Franciſcus Accurſius Florentinus, (s) Acœonis quondam auditor, & Gloſſatorum veterum coryphæus; quem Cujacius præferendum eſſe putabat cunctis Græcis Latinisque legum interpretibus.

(s) Obiit Bononiæ anno 1229. *Accurſius* ejus Pater: diſtinguendi ſunt enim. Is filiam habuit, quæ Jus Civile Bononiæ publice docuit. Vide Pancirol. lib. 2. cap. 29. Franciſci Accurſii frater *Cervotius*; cujus Gloſſæ *Cervotianæ*, ineptæ, a paternis diſſitæ, & paſſim rejectæ. De Petro Vinea Campano, & optimarum Epiſtolarum Scriptore, ejusque infelici exitu, Ricordanus in Hiſtoria Hetruſca, Danthes inferni cantu 13. Landinus & Vellutellus ibidem, & Jo. Villani lib. 6. cap. 3.

DECIMUM QUARTUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

QUI SECULO XIV. SEDERUNT IN PETRI CATHEDRA.

Anno 1303. V. Idus Octobris extinctum Bonifacium VIII. dictum est supra. Post obitum autem Bonifacii Ecclesiæ præfuerunt Catholicæ *B. Benedictus XI. Clemens V. Joannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Innocentius VI. Urbanus V. Gregorius XI. Urbanus VI. & Bonifacius IX.*

CXCIV. Benedictus XI. antea Nicolaus Boccasini Tarvisinus, supremum Ordinis Prædicatorum magistratum indeptus, & a Bonifacio VIII. purpura Vaticana exornatus, decima ab huius obitu die inauguratus est Pontifex, sedemque Romanam tenuit mensibus 8. e vivis sublatus anno 1304. die 6. Jul. Ferunt extinctum veneno ei in ficubus propinato Perusiæ. Quo auctore non constat. Virtutes omnes mirifice coluit, pacis studium præsertim, & humilitatem, adeo ut parentem suam, nonnisi vili indutam habitu exceperit. Sanctorum Fastis illius insertum est nomen.

CXCV. Sedit postea *Clemens V.* pridem Bertrandus Archiepiscopus Burdigalensis, electus die

21. Julii Perusiæ, (*a*) & coronatus Lugduni die 14. Novemb. an. 1305. in Galliarum Regem beneficentissimus, sedem Apostolicam transtulit Avenionem, (*b*) Templarios extinxit, Viennense Concilium celebravit, Clementinas in unum volumen coegit, Henricum VII. Imperatorem aliosque invadentes Regnum Neapolitanum diris coercuit. S. Petrum Cælestinum adscripsit Sanctorum Catalogo, obiitque non procul ab Avenione *Roquomaurano* anno 1314. die 20. Aprilis. Vitia ei complura exprobrabat Joannes Villani lib. 60. cap. 58 ambitionem præsertim, avaritiam, simoniacam labem, incestuosam consuetudinem, artemque; nec dissentit 3. Hist. p. S. Antoninus: sed has criminationes Henricus Spondanus, Raynaldus, aliique diluerunt.

CXCVI. Post diuturnum interpontificium ob Cardinalium dissidia, an. 1316. die 7. Augusti electus est *Joannes XXII.* antea Jacobus Eusius Card. Episcopus Portuensis. Non ille semetipsum, ut quidam scripsere, nominavit, sed pleno electus est Cardinalium suffragio. (*c*) Exortum eo sedente schisma *Petri de Corbaria* Ord. Minorum, (*d*) erupit-

(*a*) Bertrandus cognomento *Gothus* suæ electionis nuncium accepit, dum visitaret prioratum de Lisinhaco in diœcesi Pictavienſi.

(*b*) Inter Pontifices, qui Avenione sederunt, plures vitæ extiterunt integerrimæ, & mendacii redarguendi sunt, qui cum Petro *Giannone* scripsere, propter ipsorum Pontificum improbitatem dici a Petro Joanne Olivi Ord. Min. *Comment. in Apoc.* Ecclesiam Avenionensem *Babylonem*. Iste enim auctor obiit an. 1297. 8. ante Clementem V. Vide Sec. Præc. cap. 3. Not. Clementis V. thesaurus expilatus fuit, ac Bertrandus illius nepos sustuliſſe dicitur florenos 300000. ad sacrum bellum comparatos. V. *Fleury* libro XCII. num 11.

(*c*) Cardinales, qui elegerunt Joannem XXII. fuerunt num. 23. Oldoinus 19. enumeravit.

(*d*) Petrus Antipapa *Nicolai V.* nomen assumpsit.

erupitque secta profanorum hominum, quos *Beguinos & Fraticellos* dixere. Petrus Aprutinus opera Ludovici Bavari intrusus, an. 1330. Pontificis personam deposuit, pœnitentiam egit, ac post tres annos ac mensem Avenione decessit. At Joannes Cleri avaritiam ambitionemque compescuit, Marsilii Patavini, & Joannis Gandavensis proscripsit asserta, pro Sanctorum præsenti gloria quæstionem, in qua erroneam partem falso dicitur secutus, agitari curavit, *Clementinas* Constitutiones vulgavit, addiditque *Extravagantes*, atque e vivis excessit Avenione die 4. Decemb. an. 1334. exacto Pontificatus sui an. 18. (*e*)

CXCVII. Successit Joanni XXII. *Benedictus XII.* antea Joannes Furnarius Cardinalis S. Priscæ Ordinis cisterciensis, a cujus Ordinis habitu albo Blancus appellabatur. Electus est die 20. Decemb. an. 1334. obiitque die 25. Aprilis an. 1342. octavo Pontificatus sui. Beneficia Ecclesiastica sapientibus probisque tantum contulit: redditus ad Ecclesiæ commoda reservavit, sanguine conjunctis nil contulit, neptemque suam nulli viro nobili ac prædiviti, sed mercatori tantummodo nubere indulsit, solitus dicere, Pontificem debere esse, sicut Melchisedech, sine patre, sine matre, sine genealogia, atque interdum ea verba repetere, Ps. 18. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* (*f*)

CXCVIII.

(*e*) Qui Joannem XXII. Tabernarii filium dixere, illius egregia celebrant merita, quibus ex infimo genere ad supremam ascenderit dignitatem.

(*f*) *Benedictum XII.* omnes laudant, etiam nuperus auctor Operis inscripti: *Les vies des Papes*, aut *Histoire des Papes.* Apud Baluzium tamen num. 8. habetur hujus Pontificis Vita, cujus Scriptor illum iniquissime insimulat, tanquam scurram, immanem, impurum, atque ebriosum, proferens nefarium dictichon:

CXCVIII. Post Benedictum XII. sedit *Clemens VI.* Ord. S. Bened. antea Petrus Rogerius electus die 7. Maji anno 1342. & vita functus anno 1352. die 6. Decembris: tenacis memoriæ, atque in nepotes liberalissimus fuit. In patricidas Andreæ Regis Neapolitani, in Nicolaum Laurentium in urbe Roma nimia libertate abutentem, atque in Flagellantium sectam edidit Constitutiones. Annum remissionis ad quinquagesimum coarctavit. Egit cum Joanne Cantacuzeno de unione Græcorum: in Ecclesiæ ditionem anno 1347. redegit Avenionem; & grassante eo temporis pestilentia, impendit fidelibus spiritualia, ac temporalia remedia. (*g*)

CXCIX. Inauguratus deinde Stephanus Aubertus Card. & Episcopus Ostiensis, electus cit. anno 1352. die 18. Decemb. & sublatus e vivis anno 1362. die 12. Sept. *Innocentii VI.* nomen assumpsit. Commendatur autem ob morum simplicitatem, peritiam Canonum, & beneficentiam in pauperes. Vide tamen Revelat. S. Birgittæ lib. 1. cap. 41. & Not. Consalvi Durandi.

CC. Successit *Urbanus V.* qui sedit a postrema die Octobris an. 1362. usque ad diem 19. Decemb. an. 1370. Appellabatur antea Guillelmus Grimoaldus Abbas S. Victoris Massiliensis Ordinis Cluniacensis. Venit in Italiam anno 1367. rediitque an. 1370. Avenionem, S. Birgittæ, cujus tamen Ordinem in oppido montis Falisci approbavit spreto consilio. Sedavit Viterbiensium, & Bononiensium tumultus, Vicecomitum pacato dissidio, Græcorum-

---

stich on: *Iste fuit Nero, mors laicis, vipera Clero, Devius a vero, cuppa repleta mero.* Vide, quo progreditur temeritas calumniantium!

(*g*) Ad *Clementem VI.* iniquissimam epistolam nomine *Diaboli* homines quidam nefarii scripsere. De hac Epist. plura apud Fleury libro 96. num. 9. & *Vies des Papes* tom. 3. pag. 401.

corumque Imperatoris Joannis Palæologi abjurationem schismatis an. 1369. excepti Festa die Lucæ Evangelistæ recurrente.

CCI. Rexit deinde Ecclesiam *Gregorius XI.* nepos Clementis VI. electus exeunte Decembri an. 1370. & vita functus die 27. Martii an. 1378. Romæ, in quam urbem reduxit sedem Avenione discedens die 13. Septemb. anno 1373. hortante S. Catharina Senensi, Romamque pervenit die 17. Januarii an. 1377. Damnavit eodem anno Joannem Vicleffum.

CCII. Ubi fatis cessit Gregorius, inauguratus est Pontifex *Urbanus VI.* seu Bartholomæus de Prignano Neapolitanus, & Archiepiscopus Barensis, an. 1378. die 9. Aprilis ingenti clamore minisque Papam Romanum, aut saltem Italum populo postulante. Illius tamen electionem, cessante quoque tumultu, Cardinales probarunt, id Leonardo Aretino, Flavio Blondo, Platina, aliisque licet liberioris calami attestantibus. Quare Urbanum esse legitimum Pontificem nequit in dubium verti. Nonnulli tamen Cardinales, inter quos tres Itali, quamvis Romæ Urbano VI. post electionem omnem exhibuissent honorem, numero XVI. Fundis in Campania eodem an. 1378. die 19. Sept. elegerunt Antipapam Robertum Gebennensem Cardinalem, impositio ei nomine *Clementis VII.* Hæc atrocissimi schismatis origo fuit. Cum magno fidelium scandalo, bullis, excommunicationibus, armisque Urbanus, & Pseudo-Clemens invicem pugnarunt. Huic Galliarum, Castellæ, & Siciliæ Reges adhæsere: cæteri fere omnes Urbano: qui pluribus discriminibus superatis decessit Romæ, non absque sumpti veneni suspicione die 15. Octobris an. 1389. At Clemens VII. naturæ concessit Avenione anno 1394. die 16. Sept. correptus apoplexia.

CCIII. Post Urbani obitum Romæ electus est eodem an. 1389. die 2. Novembris *Bonifacius IX.* id est, Card. Petrus Tomacelli Neapolitanus; qui

deceſſit anno 1403. Cal. Octobris. Poſt mortem etiam Pſeudopontificis Clementis VII. Avenione anno 1394. die 28. Septemb. electus eſt *Benedictus XIII.* Antipapa, ſcilicet Petrus de Luna Cardinalis Aragonenſis, cui ſuprema dies fuit prima Junii an. 1424. Fruſtra pro ſchismatis exſtirpatione adlaboratum eſt. Dicitur Bonifacius IX. inſtituiſſe redditus, quos vocant *Annatas*, vindicans Apoſtolicæ Sedi Epiſcopatuum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum proventus unius anni. Id contigit anno 1398. Exemplum tamen præceſſerat anno 1406. in Clemente V. & anno 1319. in Joanne XXII. Deceſſit Bonifacius, ut inquiunt, ne pudicitiam labefactaret : λιθιάσει, ſeu calculorum morbo alii tradunt extinctum.

PATRIARCHARUM NOMINA.

Conſtantinopoli, quæ anno 1261. a Michaele Palæologo fuerat recuperata, poſt Joannem Soropalitem vita functum anno 1300. ſederunt *Nipho*, antea Metropolita Cyzicenus, *Joannes XII. Glycys* dictus, *Geraſimus* Monachus, *Eſaias* item Monachus, *Joannes XIII. Calliſtus*, *Philotheus*, & *Antonius IV.* Is e vita migravit anno 1403. Jeroſolymis vero poſt Rodulphum a Bonifacio VIII. exauctoratum, Patriarchali facti ſunt munere ab anno 1305. *Antonius* Dunelmenſis, *Petrus* Epiſcopus Ruthenus, *Raymundus*, & *Petrus de Palude* Ord. Prædicatorum. Poſt Petrum autem vita functum anno 1340. qui conſecuti ſunt Patriarchæ, hanc dignitatem ſolo nomine, ac titulo obtinuere.

CAPVT II.

CONCILIA SECULI XIV. RECENSENTUR.

Unicum est hujus Seculi Generale Concilium, nempe *Viennense*, Viennæ Allobrogum ad Rhodanum, celebratum : indictum quidem anno 1307. a Clemente V. sed habitum anno 1311. Interfuere huic Concilio Patriarchæ Alexandrinus, & Antiochenus, Episcopi 114. juxta Joannem Villanium 300. & aliorum Prælatorum ingens numerus. Actum in ea Synodo de recuperatione Terræ sanctæ, extinctus est Ordo Templariorum, cujus nimia erat potestas, & affluentia divitiarum, his Ordini S. Joannis Jerosolymitani addictis ; ob ipsorum Templariorum flagitia, adeo nefaria, ut Christum abnegarent, turpissimasque exercerent libidines (*h*), non, ut quidam scripsere, opera Philippi Pulchri Galliarum Regis illorum opibus inhiantis. Damnati item fuerunt in Viennensi Concilio Beguardi & Beguinæ, Fraticelli, ac Dulciniste, de quibus infra : latum decretum de Festo Corporis Christi quotannis celebrando feria 5. post octavam Pentecostes ; indictumque, suadente Raymundo Lullo, ut in Oxoniensi, Parisiensi, aliisque Academiis, Hebraica, Chaldæa, & Arabica lingua traderentur. De Templariis actum fuerat in Synodo Salmanticensi præcedenti anno 1310. ut refert Mariana lib. 15. cap. 11. & in

(*h*) Inter *Templariorum* flagitia quidam recensent, sacra peregisse rejecto Crucis vexillo, suum profitentes institutum initiatos ad simulacrum, cui superinduxerint hominis cutem, & pro oculis infixerint carbunculos duos : morientium cadavera in cineres redigisse, & cæteris in potum propinasse : subjecto igne torrefecisse natos ex Templarii virginisque conjugio, foedissimoque masculorum amore exarsisse.

& in Conciliis Hisp. Cardinalis de Aguirre; necnon eodem anno Ravennæ, & Moguntiæ, ut liquet ex Volumine XI. Conciliorum.

Ad statuendam reformandamque Ecclesiasticam disciplinam plures habitæ fuerunt Synodi: apud Italos *Romana* sub Bonifacio VIII. anno 1302. & *Ravennatenses* quinque sub Archiepiscopo Raynaldo: atque in priori de obedientia Romano præstanda Pontifici actum est; in aliis anno 1307. 10. 11. 14. & 17. coactis, de divino cultu reparando.

Celebravit & Hispania Synodos plures, præter Salmanticensem paulo supra commemoratam, nimirum *Pintiæ* vulgo *Pennafiel*, Castellæ oppido anno 1302. *Vallisoleti* 1322. *Toleti* 1323. 24. 39. 55. *Compluti* 1326. & 79. *Palentiæ* 1388. Hæ pariter Synodi ob Dei cultum, moresque, maxime Clericorum, celebratæ fuerunt. Omittimus Synodum *Salmanticensem* anni 1381. & *Barcinonensem* anni 1387. in quibus præside Petro de Luna Clemens VII. antipapa, non autem Urbanus VI. declaratus fuit verus Pontifex.

Accessere Synodi Galliarum, *Compendiensis* in Gallia Belgica, sive in regione Vallesia, initio Seculi, & rursus anno 1303. celebrata: *Auscitana* in Armeniacis anno 1308. Senonensis in Gallia Lugdunensi anno 1320. *Rotomagensis* in *Normannia* anno 1330. Andegavensis in Gallia Celtica an. 1336. *Narbonensis* anno 1374. aliæque in Collect. Conciliorum tom. XI. apud Baluzium in Conc. Galliæ Narbonensis, Gravesonium in Hist. hujus Seculi Colloquio IV. & Natalem Alex. cap. 6. art. 47. & seqq. Egerunt Synodi istæ de Ecclesiastica Jurisdictione, & Immunitate, de Clericorum, & Monachorum moribus, de Ecclesiasticis jejuniis, de Sacramentis, & casuum reservatione, de congrua Parochorum portione, & aliis pluribus ad Ecclesiarum regimen pertinentibus. Expungendus est Conventus Ecclesiasticopoliticus Parisiensis anni 1303. in quo Bonifacius VIII. simoniæ, hæresis, & homicidii iniquam subiit

insimulationem: de qua decreta Ecclesiæ Gallicanæ, Puteani Fratres, de Marca, & Caveus.

Adversus hæreses, præter Viennense Concilium, celebratum est anno 1341. *Constantinopolitanum* contra Monachos Thessalonicenses montis Athi: de quorum errore Niceph. Gregoras lib. XI. Hist. Justellus ad calcem Nomocanonis Photii, ac Dionysius Petavius lib. I. Theolog. dogmatum cap. 12. & Natal. Alex. cit. in loco art. 14. sed vide proximo capite quæ dicentur de Palamitis. In collectione Concilior. Britanniæ & in Antiquitatibus Britannicis extant duo Concilia *Londinensia* anni 1382. & 1396. indicta a Guilelmo de Courtenay Archiepiscopo Cantuariensi: in quibus articuli Joannis Vicleffi tanquam hæretici fuerunt proscripti.

CAPUT III.

DE HÆRESIBUS SECULI XIV.

Meminimus superiori Seculo sectæ *Fraticellorum*, quos *Begardos*, & *Beguinos* nec non *Fratres Spirituales* nuncuparunt. Qui ex ordine FF. Minorum apostatæ, damnati anno 1297. a Bonifacio VIII. in Siciliam se receperunt. Regulam S. Francisci specietenus a se observari jactantes, duas fingebant Ecclesias, unam virtute decoram, & paupertate succinctam apud se commorantem, carnalem alteram & affluentem deliciis, cuius Romani Pontifices dominarentur; pleraque e Valdensium venenato fonte haurientes, Sacerdotes crimine pollutos jurisdictione & potestate excidisse, advenisse Antichristum, aliaque garrientes divulgabant, partim hæretica, partim insana, partim fabulosa. Henricum de Ceva schismaticæ suæ Congregationi præfecerunt: eamdemque sectam in Galliis propagavit F. Petrus Joannes Olivi Biterrensis ejusdem Ordinis

nis. (i) Hos itaque Joannes XXII. anno 1318. Conſt. *Glorioſam Eccleſiam*, poſt Bonifacium VIII. & Clementem V. damnavit.

Verum cum idem Joannes XXII. edita Extravaganti, *Cum inter nullos*, anno 1323. tanquam hæreticam proſcripſiſſet ſententiam aſſerentium Chriſtum & Apoſtolos nihil in communi, vel in particulari poſſediſſe, *Michael de Cæſena*, Ord. Min. Generalis miniſter, necnon Vilelmus Ochamus Doctor inſignis, aliique ejusdem Ordinis plures oppoſitum, tanquam a Nicolao III. definitum, propugnarunt. Michael anno 1328. ſuam coram Pontifice opinionem Avenione defendit, & anathemate cum Ochano percuſſus, ac depoſitus, a Joannis ſententia ad Eccleſiam Catholicam, & ad futurum Concilium appellavit. Vide ad cit. annum Vadingum, & Raynaldum. Michael idcirco anno 1329. damnatus eſt tanquam hæreſiarcha & ſchismaticus, & in Capitulo Generali Pariſiis congregato omnibus Ordinis ſui muneribus exſpoliatus. Suam Michael an. 1330. Monachii edidit Apologiam. Sed nihilominus damnatus eſt etiam in Generalibus Ordinis ſui Comitiis anno 1331. Perpiniani, pluribus ei oppoſitis erroribus, præſertim quod Imperator, & Clerus Romanus poſſint deponere Papam, & huic exhibere obedientiam idem ſit, ac animam damnare, & ſe hæreticum profiteri. Adiſis Odoricum Raynaldum ad annum 1331. n. 15. Michael tamen obiit Monachii pœnitens anno 1343.

Flagellantes, quorum cruenta pœnitentia eruperat in Italia circa annum 1260. cœperunt & hoc Se-

(i) *Fraticellorum* non unam fuiſſe ſectam putamus: neque credimus omnes illicito concubitu fuiſſe pollutos. Indutos quosdam habitu tertii Ordinis S. Franciſci tradunt ad annum 1317. Raynaldus, & Bzovius. Haud diſſentit Alvarus Pelagius lib. 2. de *Planctu Eccl.* cap. 52. Adverſus Bzovium extat apud Vadin-

culo in hæresim & superstitionem degenerare. Aiebant enim neminem, nisi suæ sectæ nomen dedisset, absolvi posse a peccatis, quæ sibi invicem, et laicis, confitebantur. De his Scriptores agunt ad annum 1349. quo anno CC. Spiræ magno honore fuerunt recepti: C. alii ad ipsos illuc accesserunt. Argentorati M. numerabantur. Damnavit illos eodem anno Universitas Parisiensis, vetuitque Philippus Rex, ne sub vitæ discrimine Gallias pervaderent. Anathemate pariter eos percussit Clemens VI. Refutati fuerunt a Joanne Gersone. Illorum conscripserunt historiam Albertus Argentinensis, & Schottgen.

Combustum diximus supra *Geraldum Segarellum*, Parmensem: quod contigit Parmæ anno 1300. die 17. Julii. Illius errores propagabat anno 1308. ejus discipulus *Dulcinus* Novariensis. Dogmatizabat, Romanam Ecclesiam post Silvestrum defeciisse, ince Pontifices omnes, excepto S. Petro Cælestino, fuisse seductores. Ordines regulares esse Fidei Catholicæ detrimentum, laicos ad solvendas Ecclesiæ decimas non teneri, perinde esse in sacra æde, & in stabulis Deum orare. Et ipse Dulcinus cum sorte, cui Margaritæ nomen, sociisque, anno 1308. membratim cæsus, & igne crematus fuit.

In Austria anno 1315. exorta est hæresis *Lolhardorum*, auctore quodam (*k*) Lolhardo: de qua hæresi Trithemius, Spondanus, Fleury, Luciferum & apostatas angelos commendabant. Michaelem & sanctos angelos omni afficiebant injuria. Salutem nomine diaboli apprecabantur. Deiparam Virginem hominem peperisse negabant: Sacramenta, omnes-

---

Vadingum tom. 3. Annalium, *Nitela Franciscanorum*. Non sunt Minoritis attribuenda turpia, quæ innuimus in Not. ad cap. 3. Seculi præcedentis.

(*k*) Ei proprium nomen *Valteras*.

omnesque Ecclesiæ ritus spernebant : negabant Deum agnoscere patrata sub terram peccata, rejiciebantque jejunia, sacrificium Missæ, invocationem cultumque Sanctorum. Lollardorum unus flammis Viennæ in Austria damnatus, in Bohemia ac Thuringia plusquam 8000. horum hæreticorum adinveniri, affirmavit (*l*). Lollardi etiam Vicleffistæ dicuntur.

Marsilius de Padua, & *Joannes de Jandun* Gandavensis potestatem Ecclesiasticam subjicientes temporali docuerunt penes Imperatorem esse Pontifices instituere, deponere, punire, & sede vacante regere Ecclesiam, addentes, Christum ex debito persolvisse didrachma, Petri aliorumque Apostolorum parem esse auctoritatem, & Ecclesiam bona temporalia possidere non posse, omnia demum in Hierarchia ad nutum Imperatoris peragenda esse ; quæ asserta proscripsit anno 1324. Joannes XXII.

Turlupini, hoc appellati nomine, quod deserta loca colerent ad instar luporum, quamvis hanc etymologiam rejiciat Beausobre, nudi incedentes palam detegebant verenda, & exercebant concubitus, Deumque sola mente orandum esset tradebant. Confundi solent cum Manichæis Bulgaris, aut cum Valdensibus. Forte melius cum Adamitis. Horum Turlupinorum quinquaginta sedente Gregorio XI. anno 1373. partim combusti sunt, partim viventes defossi. De his Du-Cange in Glossario, Beausobre de Adamitis, & ad præcitatum annum Raynaldus, & Fleurius.

Nec omittendi sunt commemorati superiori capite *Palamitæ*. Qui in monte Atho prope Thessalonicam, duce Gregorio Palama, jactabant se conspicere divinum lumen ab æternitate diffusum, illud idem, quod refulsit in monte Thabor in transfigu-

(*l*) Lenfant lib. 2. Hist. de la Guere des Hussites.

ratione Christi. *Quiescentes* hi Monachi appellabantur; ac refutati fuere a Barlaamo, qui imperante Andronico Juniore e Calabria adierat Constantinopolim, a Gregorio Acindino, & a Joanne Chrysolora, & damnati in Concilio Constantinopolitano de quo supra.

Restat hæresis *Joannis Vicleffi*. Complures enim alii, qui errores hoc seculo disseminarunt, ut Arnaldus de Villanova, Joannes de Mercuria, Raymundus Lullus, Echardus Guido, Milicius, vulgo *Millecxi*, & alii a Nat. Alex. descripti peculiarem sectam non constituerunt. Joannes itaque Vicleffus ortus in Anglia circa annum 1324. anno vero 1367. expulsus a præfectura Collegii Cantuariensis Oxonii, cœpit regnante Eduardo III. venenata dogmata spargere an. 1375. Marsilii Patavini & Janduni. adversus Ecclesiasticam Potestatem adoptavit errores, substantiam panis & vini in Sacramento permanere cum accidentibus tradidit, Romanam Ecclesiam appellavit Satanæ Synagogam, Decretalium auctoritatem, studiumque damnavit. Monachorum institutionem, vota, & mendicitatem reprehendit, tanquam diabolo suadente adinventa. Omnia docuit ex necessitate contingere. Avaritiæ Præsulum deputandum esse ait, quod sibimet confirmandi, & consecrandi Ecclesias, atque ordines conferendi reservaverint facultatem. Donationem Constantini, & dotes Ecclesiarum censuit deputanda esse peccato. (*m*) Decem & novem huius generis articulos proscripsit anno 1377. Gregorius XI. Quadraginta quoque proximo seculo, id est, anno 1415. Synodus

(*m*) Eruditus Eruditor *Doctrinalis Fidei Catholicæ* Thomæ Valdensis n. 2. Præf. ait sectam Vicleffi appellatam fuisse *Lollardicam*, ejusque sectatores *Lollardos*, quoniam vox Anglica *Lolard* idem sonat, ac latina seminator *lolii*: eamdemque sectam erupisse affirmat anno 1378. eosque omnes, qui Vicleffo dexteras porrexerunt, Lanchastrium, Ballæum, cæterosque recenset. Vide Thomæ Valdensis *Doctrinale* Venetiis typis anno 1757. procusum.

dus Conſtantienſis. Patrocinia Joannis Lancaſtriæ Ducis, & Henrici de Perci caſtrorum Præfecti Vicleſſum reddiderunt pervicaciorem. Extinctus eſt anno 1387. Calendis Januarii. *(n)*

CAPUT IV.

THEOLOGI SECULI XIV. ALIIQUE SCRIPTORES ECCLESIASTICI CELEBRIORES.

Ex ingenti Scriptorum numero, qui Seculo XIV. floruerunt, de re Theologica optime meritus eſt *Joannes Duns* Scotus Ordinis Minorum, diſcipulus Guilelmi Varronis, omnium ætatis ſuæ Theologorum facile princeps, utriusque Juris peritiſſimus; qui florente adhuc ætate obiit Coloniæ anno 1308. die 8. Novembris, feſtinato nimis, ut inquiunt, elatus funere. Floruerunt in eodem Minorum Ordine *Petrus Aureolus* Archiepiſcopus Aquenſis, vita functus die 27. Aprilis anno 1322. *Antonius* item Aragonius, qui obiiſſe fertur anno 1320. *Franciſcus Mayronis* Gallus, extinctus Placentiæ anno 1325. *Guilelmus Ochamus* Anglus, nimium ardens appellatus a Bellarmino, quod Ludovico Bavaro contra Joannem XXII. adhæſerit, quem ferunt deceſſiſſe Monachii anno 1347. die 10. Apr. *Pelagius Alvarus*, qui in Apologia, libroque *de planctu Eccleſiæ* prædictum Ochamum confutavit, & naturæ conceſſit Epiſcopus Sylvenſis poſt annum 1340. ſepultus Hiſpali

(n) Anno 1385. die 29. Decembris, dum concionaretur in parœcia de *Euttervorh*, correptus eſt apoplexia, qua poſt biennium occubuit.

ſpali apud Clariſſas, & *Thomas Braduardinus*, qui edidit præclarum Opus *de Cauſa Dei* contra Pelagium; claruit autem in Anglia circa annum 1350. Hunc a Vadingo prætermiſſum *Ambroſius* de Altamura Dominicanis accenſet, *griſeis veſtibus*, ut inquit Supplem. in Bellarminum Philippus Labbe, in albas mutatis.

At non eget alieno ſplendore clariſſimus Ordo Prædicatorum: in quo hoc eodem Seculo claruerunt Theologi præſtantiſſimi, nimirum *Nicolaus Trivet* Anglus circa an. 1307. Hunc a Theophilo Raynaudo laceſſitum Vincentius Baronius, Caſalas, & Graveſon vindicarunt. Laudantur præterea *Joannes* de S. Geminiano, *Bertrandus* de Triſſa, *Durandus* a S. Portiano, & Magiſter Ordinis *Hervæus Britto* Aremoricus, quorum primus vivebat anno 1310. alter hujus ſeculi initio, tertius florebat anno 1320. quartus autem obiit Narbone anno 1323. His acceſſerunt *Petrus Paludanus* Burgundus, *Bartholomæus Albitius* Piſanus, *Henricus Suſo* Suevus, *Rupertus Kolkot* Anglus, Joannes *Schadland* Germanus, *Joannes* Tambacenſis, aliique quamplurimi.

Florentiſſima quoque germina protulit Auguſtiniana Familia, ne etenim exſcribamus Elſium, Pamphilum, Herreram, in ſolo 3. Volumine Oper. Ven. Bellarmini poſtremæ Venetæ editionis, enumerantur *Jacobus Viterbienſis* Archiepiſcopus Neapolitanus pag. 465. *Auguſtinus Triumphus*, de quo ſuperiori Seculo, pag. 466. *Alexander* de S. Elpidio pag. 471. *Henricus* de Urimania Germanus pag. 482. *Simeon Fidatus* a Caſſia pag. 384. *Jacobus Toloſanus* pag. 487. *Thomas de Argentina* Prior Generalis pag. 489. *Bartholomæus* Urbinas eadem pagina, *Gregorius* Ariminenſis itidem Generalis pag. 490. (o) *Alphon-*

(o) *Thomas Argentinas*, & *Gregorius Ariminenſis*, uterque Auguſtinianæ Familiæ Priores Generales, ſummique Theologi eodem Viennæ Auſtriæ conduntur tumulo, obiitque unus anno 1359.

Alphonſus Vargas Toletanus Archiepiſcopus Hiſpalenſis pag. 492. *Petrus* de Paternis pag. 493. *Jordanus* de Saxonia pag. 495. *Hugolinus Urbevetanus* pag. 498. *Auguſtinus* Aſculanus pag. 502. & *Simon* Cremonenſis eadem pagina, columna 2. Hi quanta præditi fuerint Theologiæ ſcientia facile ex locis, quæ indigitavimus, erui poteſt.

Si autem vacaret per alias vagari religioſorum virorum familias; quot nobis occurrerent Theologi ſapientiſſimi? Exhiberet ſacer Carmelitarum Ordo *Cidonem* Catalanum, qui de omnibus hæreſibus pertractavit circa annum 1330. *Joannem Bacconem* Anglum, qui obiit Londini anno 1346. *Philippum Ribotum*, qui deceſſit anno 1391. *Joannem Angrianum* cognomento *Incognitum*, vita functum Bononiæ anno 1396. & *Joannem* Toloſanum agnomine *Groſſum*, labente Seculo electum Generalem Ordinis moderatorem. *Clementem* Florentinum celebrat cum Servorum B. M. Virg. Annalibus Poſſevinus in Apparatu. Quid Monachorum Congregationes? Benedictini *Guilelmum* de Nangiaco. *Matthæum* Weſtmonaſterienſem, *Durandum* Normannum, *Hervæum* Cenomanenſem, *Bernardum* Abbatem Caſſinenſem & S. Romanæ Eccl. Cardinalem, *Richardum* Ceſtrenſem, Ranulphum Hidgen, *Petrum* Berchorium: Ciſtercienſes *Petrum* Monachum Claræ vallenſem, *Gallum* Abbatem Aulæ Regiæ in Bohemia: Carthuſiani *Ludulphum* Bambergenſem, *Henricum de Haſſia*; & Canonici regulares *Joannem Rysbrokium* Belgam, & *Raymundum Jordanum*, cognomento *Idiotam* jure meritoque commendant. Atque hi omnes cum Theologiæ ſtudio ſacram eruditionem ſolertiſſime copularunt, præſertim ſacrarum litterarum.

1359. alter anno proximo. Cardinalis *Bonaventuræ Perageus* Patavinus occiſus anno 1389. *Albertus* item Patavinus floruit hoc Seculo. *Joannes Dunck* de Saxonia, etiam Aſtronomus celeberrimus, qui an. 1331. condidit Canones Tabularum *Alphonſi* Regis.

rum, Canonum, hiſtoriarumque peritiam. Quamquam in ſacris exponendis litteris videtur diligentiorem locaſſe operam *Idiota*, & *Incognitus* nuper laudati, *Nicolaus Lyranus* ex Judæo Chriſtianus, & regulæ Minorum profeſſor, qui ceſſit e vita anno 1349. *Henricus* item de Haſſia nuperrime laudatus, & *Nicolaus* de Gorham Anglus Ord. Prædicatorum, de quo vide Bellarminum de Script. Eccl. ad annum 1350. Canonum vero expoſuerunt doctrinam in *Summa Aurea Monaldus* Juſtinopolitanus Dalmata, martyrio coronatus a Saracenis anno 1332. (p) *Joannes Andreas* Bononienſis JC. doctiſſimus, qui ſcripſit Commentaria in V. libros Decretalium, in VI. & in Clementinas, periitque peſtilentia anno 1348. *Albericus* Bergomenſis coævus Bartoli; & *Baldus Ubaldus* Peruſinus Bartoli auditor (q) & JC. clariſſimus, qui præter ea, quæ ſpectant ad Jus Civile, edidit etiam Commentaria in libros Decretalium, obiitque Ticini anno juxta Trithemium 1323. juxta alios 1320. Eccleſiaſticam hiſtoriam illuſtrarunt ex Latinis *Siffridus* presbyter Misnenſis in Epitome ab anno 458. usque ad annum 1307. *Eberardus* Ratisbonenſis Archidiaconus in Chronico ab anno 1273. usque ad annum 1306. *Joannes Beleth* Pariſienſis (qui ſcripſit etiam de Divinis officiis) in Chronologia Scriptorum Eccleſiaſticorum. *Albertinus Muſſatus* Patavinus defunctus Clodii exul. an. 1329. *Ptolomæus* Lucenſis Ord. Prædicatorum Epiſcopus Torcellenſis in Annalibus impreſſis Lugduni, ab anno 1060

(p) Fuit Ord. Min. & Archiep. Beneventanus, niſi potius *Monaldus* Archiepiſcopus a *Monaldo* martyre, & a *Monaldo* auctore Summæ ſit ſecernendus.

(q) Ipſius tamen Bartoli præceptoris ſui nomen ob æmulationem, magno ingrati animi vitio, 45. annis, quibus ſuperſtes fuit, ſemper deprimere, & obſcurare Baldus curavit. De illo quidam cecinit:

Qui Baldum Juri negat accendiſſe lucernam,
Ille poteſt medio ſole negare diem.

1060. usque ad annum 1303. atque in 24. libris Hist. Eccl. MSS. asservatis in Bibliotheca Vaticana Cod. 3766. Protrahitur hæc Historia usque ad annum 1341. Demum, (neque enim plures illos memorare fas est, qui historias condiderunt peculiares) Annales conscripsit *Henricus* Monachus Rebdorfiensis Germanus ab anno 1295. usque ad annum 1372.

Dixi, *Ex Latinis*: nimium enim prolixus forem, si etiam Græcorum facienda esset mentio. Celebriorum duntaxat recensenda sunt nomina. Sunt ii *Nicephorus* Callisti filius, *Nicephorus Gregoras*. *Gregorius Pachymeres*, *Joannes Cantacuzenus* Imperator; adde, qui de variis Theologiæ dogmatibus scripsere, *Theophanem* Archiepiscopum Nicænum, *Nilum Cabasilam* Thessalonicensem (r), *Gregorium*, *Acyndinum*, *Nicolaum Cabasilam* Nili nepotem & in Archiepiscopatu Nicææ successorem, *Matthæum Blastarem*, *Manuelem Calecam*, & *Joannem Cypariss siotam*.

Plures utique, at non omnes hujus Seculi Scriptores enumeravimus. Nam & feminæ doctrina & virtutibus claruerunt. Eminent has inter *Birgitta* vidua, & *Catharina* Senensis. Illa Svecorum princeps Regulam pro instituto a se Ordine, librosque octo Revelationum conscripsit. Obdormivit Romæ die 23. Julii anno 1373. eamque inter Sanctas retulit Bonifacius IX. anno 1391. Catharina vero Ord. Præd. epistolas 364. vernacula lingua, & dialogos sex litteris tradidit. In schismate ferventi studio adhæsit Urbano VI. impulitque Gregorium XI. ut Romam Sedem Avenione referret. Romæ & ipsa decessit die 29. Aprilis anno 1380. Sanctis eam adscripsit anno 1461. Pius II.

CA-

(r) *Nilus*, & *Nicolaus Cabasilas* fuerunt Schismatici, hæresque Latinorum.

CAPUT V.

UTRIUSQUE IMPERII RECTORES.

Albertus cognomento *Monoculus* anno 1308. Cal. Maji pugione ictus interiit, ut dictum est alibi. Quo perempto ad Imperatoriam dignitatem evectus est eodem anno Calendis Nov. *Henricus VII.* Luxemburgensis, approbante Clemente V. ea conditione, ut Romam veniens coronam acciperet ab Apostolicæ Sedis Legatis. Id anno 1312. peractum est, cum antea Mediolani ferream Longobardorum coronam accepisset. Hujus Urbis regimen Vicecomitibus commisit, Gibellinis adhærens, Guelphis infensus. Eam ob rem Cremonæ muros disjecit, Florentiam cinxit obsidione, Rupertum Regem Neapolitanorum throno deturbare tentavit. Peperit id Henrico cum Pontifice Clemente V. simultatem. Occubuit septimo anno imperii sui, 1313. *Bonconventi* duodecimo a Senis lapide. Bernardum Politianum Ord. Prædic. illi in die Assumpt. B. M. V. in sacrosancta Eucharistia porrexisse venenum quidam aperto affirmarunt mendacio. Non tantum illius Ordinis Scriptores, sed etiam Raynaldus, & Fleury ad præcitatum annum hanc exsufflarunt calumniam (*s*).

Duo post Henrici mortem constituti sunt Imperatores, dissentientibus Electoribus, *Ludovicus Bavarus*,

---

(*s*) *Nauclerus* Geneal. 44. Auctor Chronici Urspergensis aliique tradunt revera Henricum VII. periisse veneno, & Monachum id ausum Florentinorum instigatione: ei ut abiret Henricum morti proximum præcepisse, at postea captum excoriatum fuisse vivum. Henrici Cadaver post biennium, anno scilicet 1315. Pisas delatum majori in Æde reconditum fuit in monumento cum inscriptione: *Hoc in Sarcophago Henrici olim Luxelburgensis Comitis, & post septimi hujus nominis Romanorum Imperatores, ossa continentur, &c.*

varus, & *Fridericus Auſtriacus V.* illum, hunc III. deſignant numismata. *Ludovicus* Aquisgrani coronatus eſt, atque anno 1322. Fridericum ſuperavit, & in carcerem conjecit. Poſt triennium juri ſuo cedentem, liberum dimiſit in Auſtriam. Ludovicus anno 1347. die 11. Octobris inter venandum præcipitatus ex equo: ſuprema Friderico dies decima tertia Januarii anno 1330. Sunt, qui Ludovicum ex Auguſtorum albo diſpungunt, quod approbatus non fuerit a Romano Pontifice, imo a Joanne XXII. & a Clemente VI. communione privatus. Redarguit enim anno 1324. Joannem tanquam pacis inimicum, diſſenſiones fovent em inter principes, hæreticum & Evangelicæ paupertati adverſantem. Eccleſiaſtica beneficia contulit nullo habito perſonarum delectu, & a Pontifice collata caſſavit. Eumdem Pontificem anno 1328. deponere auſus eſt, conſtituitque Antipapam *Petrum de Corbaria.* Recole dicta cap. 1. Clemens vero VI. diu monitum & obtemperare obtrectantem anno 1346. die 13. Aprilis Imperiali dignitate exſpoliatum eſſe declaravit; deditque operam, ut in Regem Romanorum eligeretur *Carolus* major natu Joannis Luxemburgenſis Regis Bohemorum per id temporis Avenione commorantis. Quidam propterea ab anno emortuali Henrici VII. usque ad an. 1346. thronum Imperii vacaſſe tradunt, negantibus aliis, qui Auguſtalem principatum nolunt ab Apoſtolica auctoritate pendere.

Itaque *Carolus* hujus nominis *IV.* renunciatus Romanorum Rex an. 1346. die 11. Julii apud Confluentes, nempe inter Moſellam & Rhenum (Helenopolis enim ſeu Francofurtum parebat Ludovico Bavaro) proximo anno 1347. imperare cœpit poſt obitum Ludovici, quamquam Electores quidam Francofurti convenientes primo Regem Angliæ *Eduardum*, deinde *Fridericum* Landgravium Thuringæ, Cæſarem nominaſſent. Verum iis renuentibus ſeſe turbis hiſce immiſcere omnes demum in electionem Caroli conſpirarunt. Is in Romanum Pontificem obſequentiſſimus fuit, & in Clericos liberalis: coronam acceperat Romæ an. 1346. die 25. Novembris, poſteaquam declaratus fuerat

Rex Romanorum: & ibidem Imperii diadema ſuſcepit an. 1355. die 5. Aprilis. An 1365. Avenionem adiit Urbanum V. ſalutaturus. Ceſſit autem fatis die 29. Novemb. anno 1370. Pragæ in æde S. Wenceslai tumulatus.

Ediderat *Carolus IV.* an. 1356. in Comitiis Norimbergicis die 10. Januarii Pragmaticam Sanctionem de eligendo Imperatore: & de præeminentia Electorum, quam a ſigilli forma *Bullam Auream* appellant. Præſcripta ibidem ratione peracta eſt ab eo tempore electio Cæſarum. At ſucceſſor Caroli *Wenceslaus* illius filius, qui vivente patre anno 1377. die 12. Junii declaratus fuerat Rex Romanorum, nulla alia adhibita cæremonia, genitore defuncto, cœpit Bohemiæ Regnum Imperiumque adminiſtrare, Electoratu Brandeburgenſi Sigismundo fratri ſuo demandato. Wenceslaus autem iſte, qui initio Regni 17. agebat ætatis annum, adeo vino, voluptati, cunctisque vitiis ſe dedit, ut illi *Inertis*, & *Ignavi* acceſſerit cognomentum. (*t*) Reipublicæ idcirco intereſſe arbitrati ſunt Imperii Proceres, ſi a regimine ineptiſſimum hominem amoverent; quod præſtitere anno 1400. die Auguſti viceſima.

Subſtitutus in locum Wenceslai *Rupertus* Palatinus dux Bavariæ cognomine *Parvus*. *Fridericus* enim Brunſvicenſis, quem initio Imperatorem deſignaverant Electores, dum in Haſſia domum peteret, fuerat ab hoſtibus trucidatus. Coloniæ *Rupertus* electus fuit anno cit. 1400. menſe Septembibi-

(*t*) Wenceslaus etiam *Margites*, *Therſites*, *Sardanapalus*, & *hominis monſtrum* ludibrii cauſa appellabatur. Eodem modo, quo Conſtantinus *Copronymus*, ſacri fontis aquam fœdavit. Norimbergenſis quatuor vini Rhenani plauſtris vendidit immunitates, membranasque ſigillo munitas, in quibus poſſet quisque pro ſuo lubitu privilegia deſcribere, ſoluto pretio diſtribuit.

ibique coronatus an. 1401. die 6. Januarii, Neque enim aut electio Francofurti, aut coronatio Aquisgrani, juxta consuetudinem fieri potuit, renuentibus civibus, qui Wenceslaum adhuc viventem observabant. Is enim supervixit Ruperto; nam apoplexia peremptus est an. 1418. die 16. Augusti: & Imperator *Rupertus* decessit Oppenhemii an. 1410, die 21. Maji. (*u*) Hactenus de Imperatoribus Occidentis.

Antequam in Orientem nostra progrediatur narratio, celebriores Latinæ Ecclesiæ Sanctos commemoremus oportet. Ut a sanctis mulieribus exordiamur; laudavimus superiori capite *Birgittam*, & *Catharinam* Senensem. Addendæ *Angela* de Fulginio, *Agnes* de monte Politiano, *Elisabetha* Lusitaniæ Regina, & *Catharina* filia prælaudatæ Birgittæ. Obiit *B. Angela* an. 1309. *Agnes* an. 1317. *Elisabetha* an. 1336. *Catharina* an. 1381. Sanctissimi quoque viri ad cœlestem gloriam migrarunt, nempe *S. Ivo*, Presbyter Britanus an. 1303: (*x*) *Nicolaus* Tolentinus Ord. S. Aug. thaumaturgus anno 1309. (*y*) *Conradus* Eremita anno 1351. *Petrus Thomas* Carmelita anno 1366. *Andreas* Corsinius ejusdem Ordinis an. 1373. Apud Indos a Saracenis anno 1322. martyrium perpessi sunt quatuor Fratres Ord. Minorum, scilicet, *Thomas* Tolentinus, *Jacobus* Patavinus, *Petrus* Senensis, & *Demetrius* laicus. Horum martyrium Vadingus narrat

(*u*) Scribunt quidam decessisse die 18. Maji, & sepultum fuisse Heidelbergæ.

(*x*) *B. Clara* de monte Falco Ord. Erem. S. Aug. obiit anno 1308. *Humilitas* sanctimonialis Ord. Vallisumbrosæ anno 1310. *Michael* Aretinus ejusdem Ord. anno 1370. *Eodem* anno decessit *Hugolinus* Cortonensis Augustinianus.

(*y*) Sunt, qui *Nicolaum* ad superos migrasse tradunt anno 1305. *B. Fridericus* Ratisbonensis ejusdem instituti anno 1429. decessit.

rat ad annum 1321. Quidam referunt ad annum 1319.

Nunc de Imperatoribus Orientis. Parricidii ſcelere, quo avum ſuum Andronicum Michaelis Palæologi filium dejecit, arreptum Imperium *Andronicus III.* rexit usque ad annum 1341. quo obiit die 15. Junii. Deinde imperavit *Joannes Palæologus* ejusdem Andronici filius, dictus a pulchritudine oris *Calo Joannes*, ſub tutela (erat enim novennis) *Joannis Cantucazeni.* Is autem ex tutore Imperii arripuit ſtatim inſignia; & ulterius bis diadema ſolemni ritu ſuſcepit, Adrianopoli anno 1346. die 21. Maji, & CP. anno 1347. die 13. ejusdem menſis. Hujus uſurpationis cauſas proferebat plurimas, ætatem præſertim principis, Imperiique diſcrimina. Unionis Græcorum cum Latinis cupidiſſimus videbatur, uti & Joannes Palæologus, qui anno 1369. Romam ad Urbanum V. venit, auxilia adverſus Turcarum aggreſſiones imploraturus. At Cantacuzenus aſſumptum Imperium an. 1355 depoſuerat, indutus Monachum, totusque litteris deditus. Joannes autem Palæologus exinde regnavit usque ad an. 1391. quo anno, quinquageſimo a morte patris, migravit e vita.

Ei ſucceſſit filius *Emanuel*, cujus Imperium Bajazethes Turcarum Sultanus armis vexavit, cincta quoque regia C. P. urbe largiori obſidione, donec Themirlanc, ſive, ut vulgo dicitur, Tamerlan in Bajazethis ditionem irrumpens hujus in ſe arma convertit. *Emanuel* cognita rerum humanarum calamitate biennio ante mortem, quæ contigit anno 1425. ad inſtar Monachi vitam egit, litterasque magnopere excoluit.

CA-

CAPUT VI.

SECULI XIV. DOCTRINA, AC DISCIPLINA.

Hæreſeon, quas cap. 3. memoravimus, condemnatio ſervatum in Eccleſia demonſtrat perpetuum Fidei depoſitum. Sacramentorum numerus, & virtus eſt comprobata: in Euchariſtia præſentia Dominici Corporis, & accidentium absque ſubſtantia panis, & vini, contra Vicleffum confirmata eſt permanentia, & adverſus novos Adamitas ſanctitas Matrimonii. Eccleſiaſtica Hierarchia, manens in Sacerdotibus impiis conſecrandi poteſtas, atque in ipſa ſchismatum perturbatione. Definita ſub Benedicto XII. præſens Sanctorum beatitudo, de qua ſub prædeceſſore Joanne XXII. fuerat acriter diſceptatum.

Celebrata eſt eorumdem Sanctorum ſolemni ritu Canonizatio. Clemens V. an. 1313. *Petrum Cæleſtinum*, Joannes XXII. an. 1317. *Ludovicum* Toloſanum Epiſcopum, & anno 1323. *Thomam Aquinatem*, Clemens VI. an. 1347. *Joannem* Britannum, Urbanus V. anno 1369. *Eleazarum* Comitem, & Bonifacius IX. an. 1391. *Birgittam* viduam Faſtis Cælitum adſcripſerunt. Confirmata, ut diximus, an. 1311. in Viennenſi Concilio dies feſta Corporis Chriſti, & inſtituta an. 1389. feſtivitas Viſitationis B. M. V. Annus Jubilæi coarctatus a Clemente VI. ad annum quinquageſimum, & celebratus an. 1350. ab Urbano VI. ad annum 33. & indictus pro anno 1390. celebratus tamen rurſus an. 1400. ſub Bonifacio IX.

Inſtitutæ ſunt Religioſorum virorum, quæ ſequuntur Familiæ. Congregatio Monachorum *Montis Oliveti* a Beato Bernardo Ptolomæo Senenſi anno 1313. *S. Birgittæ* anno 1363. Monachorum *S. Hieronymi* a B. Petro Gambacurta Piſano an. 1380. Congregatio Monachorum M. Oliveti confirmata eſt

a Clemente VI. anno 1344. Ordo. S. Birgittæ ab Urbano V. an. 1370. Hieronymianorum a Gregorio IX. an. cit. 1374.

Hunc Monachorum *Hieronymianorum* Ordinem inſtitutum circa prædictum annum a *Petro Ferrando* Hiſpano, olim Epiſcopo in Provincia Bætica, tradiderunt Hiſtorici plurimi. Ex Chronico tamen Camporienſi, ſive Monaſterii S. Mariæ de Sepulchro, olim ſiti prope Florentiam in loco, quem vocant *Le Campora*, aſſervato in Archivo Florentinæ Caſſinenſium Abatiæ, D. Aloyſius Galletti, atque ex hujus lucubrationibus Cardinalis Quirinus in Epiſtola ad Felicem Mariam Nerinium Hieronymianorum Abbatem Generalem, conſtare contendunt hunc Monachorum Ordinem inſtitutum fuiſſe anno 1334. a quatuor Fratribus Auguſtinenſibus, *Bartholomæo* Bonone Piſtorienſi, *Benedicto* Thebaldo Florentino, *Bartholo Thoma*, & *Antonio Lapi* a S. Geminiano.

Inſtitutus præterea hoc Seculo, & anno 1355. a B. Joanne Columbino Senenſi Ordo *Jeſuatorum*: quem an. 1367. confirmavit Urbanus V. extinxit autem poſt tria Secula, nempe anno 1668. *Clemens IX.*

Accedunt Ordines Equeſtres, *Monteſiæ* in Regno Valentiæ inſtitutus an. 1317. a Jacobo II. Rege Aragoniæ: *Chriſti* an. 1318. Dionyſio Rege Luſitaniæ: *Aquilæ Albæ* anno 1325. ab Vladislao Rege Poloniæ: *Periſcelidis*, vulgo, *de la Jarretiere*, ſub invocatione S. Georgii, anno 1335. ab Eduardo III. Rege Angliæ: *Stellæ*, cum inſcriptione, *Monſtrant Regibus aſtra viam* an. 1351. a Joanne Galliarum Rege, vili tamen paulopoſt habitus, collatusque hominibus infimi quoque generis.

APPENDIX.

SIVE

ALIQUARUM RERUM MEMORABILIUM ADDITAMENTUM.

Galliæ, Hiſpaniæ, & Luſitaniæ Reges initio ſunt recenſendi. Poſt Philippum *Pulchrum*, an. 1314. Regnum indeptus eſt *Ludovicus X.* veneno extinctus an. 1316. Huic ſucceſſit *Philippus V. Longus* dictus a corporis proceritate, ex vita raptus an. 1322. Regnavit deinde *Carolus IV. Pulcher*, mortuus an. 1328. Poſtea *Philippus VI.* e gente *Valeſia* ab an. 1329. ad annum 1350. tum *Joannes Bonus* ejus nepos ad an. usque 1364. poſtmodum *Carolus V. Sapiens* ad an. 1380. ac tandem usque ad annum 1422. *Carolus VI.*

Caſtiliæ, & Legionis Regnum poſt Ferdinandum IV. ab an. 1312. gubernarunt *Alphonſus IX Crudelis* propter immanitatem cognominatus, *Henricus II. Joannes I.* & *Henricus III.* vita functus an. 1407. Navarræ Regnum poſt Joannem adminiſtrarunt *Ludovicus Hutinus*, *Joanna II. Carolus Crudelis*, de quo dixi nuper, & *Carolus*, *Nobilis* denominatus, qui migravit e vita anno 1425. In Aragonia autem poſt Jacobum II. qui deceſſit an. 1327. regnaverunt *Alphonſus IV. Joannes I.* & *Martinus*, ſublatus e vivis an. 1402. Regnum denique Luſitaniæ, poſt Dionyſii mortem, quæ contigit anno 1325. rexerunt *Alphonſus IV. Petrus I. Ferdinandus Meneſius*, & *Joannes I.* qui exiit e vita anno 1433. regni ſui quadrageſimo octavo. (z)

(z) Regnum Angliæ auſpicati ſunt, anno 1326. *Eduardus* Anno 1377. *Richardus II.* & anno 1399. *Henricus IV.* Poloniæ

Sed addenda cæteris Turcarum Monarchia, quam in Oriente fundavit exeunte superiori Seculo, id est, an. 1299. quo defuncto Aladino Iconii Sultano, occupavit Bithyniam, *Othmanus ex Ogyziorum* stirpe, ortus Machanæ apud Parthos filiusque Ertogrulis, qui obiit an. 1299. Hegyræ 687. Imperavit annis 28. & decessit anno 1326. Hegyræ 727. Regnavit deinde Othmani filius *Orchanes*, qui per Solimanum filium Imperium Othomanicum longe lateque propagavit, humanis exemptus rebus Hegyra 761. & anno Christi 1359. Successit *Amurathes I.* filius Orchanis natu minor, in bellis gerendis felicissimus; at an. 1390. Hegyra 793. per insidias a transfuga milite occisus, sica, dum lustraret cæsorum cadavera, in ejus ventrem adacta. Arripuit tunc Imperium *Bajazethes* filius Amurathis, dictus *Gilderum*, id est, *Fulmen*, quod fulminis instar ditiones alienas invaderet ac subrueret. Sed an. 1482. Hegyra 805. a Tamerlane Tartarorum Rege acie victus ad *Stellam* montem Ancyræ, (a) quam Turcæ vocant *Enguni*, & in captivitatem redactus mortem sibimet post aliquot menses conscivit. Tradunt Latini Historici Bajazethem a victore cavea ferrea inclusum, & circumductum, nec non illius pedibus pro scabello fuisse, quod tamen ex narratione Scriptorum Arabum negant nonnulli recentiores.

Graviora modo bella, & peculiares eventus memoria repetam. Equites Jerosolymitani anno 1308. obsederunt Rhodum insulam, quam anno 1310. die 15. Augusti occuparunt. Andronicus I. Imp. Græcorum anno 1312. Turcas in Chersoneso ad Hellespontum devictos fugavit e Thracia: eodemque anno

---

niæ vero Regnum indeptus est anno 1306. *Uladislaus.* Anno 1333. *Casimirus III.* Anno 1370. *Ludovicus* Hungarus. Anno 1382. *Hedwigia.*

(a) Ibidem Pompejus viceraf Mithridatem.

no JoannesLucemburgius obtinuit Bohemiæ regnum, Rhodum anno 1322. Turcæ frustra expugnare tentarunt; quo anno Fridericus Austriacus invasit Bavariam. In Sicilia anno 1324. intestinum ac truce excitatum est bellum. Mauros Alphonsus Rex Aragoniæ, Cruciferorum auxilio, anno 1330. prostravit: Brixiam, Bergomum, Parmam, Mutinam, Regium, Lucamque Joannes Rex Bohemiæ subegit Ludovici Bavari imperio. Ladislaus Rex Poloniæ anno 1332. vastavit Silesiam: eodem anno Turcæ adv. C. P. castra moverunt, insulamque Eubœam (*Negroponte* vocatur ab Italis) reddiderunt vectigalem; classis autem 33. triremium Cruciferorum anno 1334. incendit naves Turcarum 250. & barbarorum quinque millia peremit. Mauri rursus an. 1343. trucidati fuerunt ad Palmam oppidum Vandalitiæ. Christianorum copias Turcæ anno 1345. apud Smyrnam Joniæ Urbem vexarunt. Anno 1346. Galli ingenti clade cæsi fuerunt ab Anglis ad Cresciacum inter Suessiones & Laudunum. (*b*) Solimanus filius Orchanis anno 1357. expugnavit Callipolim Urbem Thraciæ, figitque in Europa sedem imperii. Quatuor tantum Equitum Rhodensium triremes an. 1359. XXIX. Turcicas devicerunt. Amurathes an. 1382. occupavit Thessaliam & Macedoniam: Tamerlanis Scythæ Regisque Tartarorum an. 1386. quo anno occupavit Babylonem, fama percrebuit. Atque is, ut dictum est paulo supra, Bajazethem, qui anno 1390. magnam Ciliciæ partem, an. 1393. Armeniam, Græciam, & Peloponesum, & anno

(*b*) Ceciderunt in hoc prælio Joannes Rex Bohemiæ pater Caroli IV. Imp. Principes XI. Barones LXXX. Equites MCC. & pedites triginta mille. Rursus anno 1356. Galli decertantes cum Anglis ingenti clade succubuerunt, & Rex Joannes Bonus captus cum filio Philippo natu minimo in Angliam abductus fuit, obiitque Londini, redemptus tamen a captivitate, anno 1364.

1396. quo Tamerlanes expeditionem movit in Parthos, aliam subjugaverat Ciliciæ partem, clade affecit, abduxitque captivum anno 1402.

Prosequamur cætera. Anno 1306. Philippus Galliarum Rex regno Judæos expulit. Anno 1318. in potestatem Estensium concessit Ferraria. (c) Anno 1348. Joanna Regina Neapolis, quæ fertur necasse virum suum Andream fratrem Regis Hungariæ, ob causam, quam pudor proferri vetat, seipsam apud Clementem VI. purgare studuit, eique vendidit Avenionem. Cœptum anno 1351. supputari annos a Domini Nativitate in Catalaunia. Eo anno Joannes Vicecomes Mediolanensis Bononiæ potitus est. Pax inter Gallos Anglosque anno 1360. firmata fuit, Scaligeri anno 1375. a Galeacio Vicecomite Mediolanensi Verona & Vicentia fuerunt expulsi. Tormenta bellica, quæ dicuntur *Bombardæ*, anno 1380. a quodam Germano Monacho feruntur inventa, ac primum a Venetis usurpata. (d)

Loqua-

(c) Ciccus Asculanus anno 1327. Florentiæ damnatus Magiæ, addictus est flammis anno proximo, ætatis suæ 70. necatum invidia cujusdam æmuli tradit in ejus Apologia Sebastianus Antonellus Asculanus.

(d) Inventor tormenti bellici, quod *Bombardam* vocant, adhibiti anno 1380. a Venetis non procul e Clodia adversus Genuensium classem, appellabatur *Bertholdus Niger*; ejusque nomen, atque eventus, quo sulphurei pulveris vim fortuito deprehendit, hoc epigrammate declarantur:

Dum parat humano generi Chymista medelam,
Sulphura mulciberis dum sale mixta coquit:
Mulciber ostendit mortalibus acre venenum,
Quo nullum letho corpora plura dedit.
Quæ latuere alios, Munsterus *nomina ponit*,
Bertholdumque *vocat nomine*, *reque* Nigrum.

Habes hic & epigrammatis auctorem.

Loquamur, & de rebus aliis infaustis. Anno 1315. grassata est sæva fames. (*e*) Ex Ætna Siciliæ monte anno 1323. tantæ eruperunt cum terræ concussionibus flammæ, ut viciniam vastaverint, cinisque nigerrimus flante Borea in Melitam insulam fuerit delatus. Arbores plurimæ anno 1334. ob nivis, & glaciei intemperiem, frigusque hiemis perierunt. Fluminum exundationes maximæ anno 1342. ingens terræmotus in Germania, pestisque teterrima anno 1348. ab Historicis adnotantur. Anno 1350. tempore Jubilæi, grassante adhuc pestilentia, & irruente hominum multitudine, perierunt quamplurimi. (*f*) Pestis anno 1400. rursus per Italiam grassabatur.

Reliquum est, ut de litterarum fortuna addantur perpauca. Multæ ad illas promovendas institutæ fuerunt Academiæ. Avenionensis a Bonifacio VII. anno 1303. Aurelianensis a Clem. V. an. 1305. Dublinensis anno 1320. Pisana anno 1339. Andegavensis anno 1346. Heidelbergensis a Ruperto Comite Palatino eodem anno. Pragensis a Carolo IV. 1358. (*g*) Arauficana, Viennensis, (*h*) & Genevensis anno 1365. Senensis anno 1387. & Coloniensis anno 1388.

Post

(*e*) Ita hujus anni egestas apud Calvisium adnotatur,

Ut nullum lateat tempus famis, ecce CVCVLLVM. Postremæ dictionis litteræ nota sunt temporis.

(*f*) Die 28. Januarii anno 1393. quinque viri nobiles choreas agendo induti vestibus villosis pice illitis, ut viderentur satyri hominesque sylvestres, eis joci causa admota face ab Aureliano patruo Caroli VI. Galliarum Regis, Lutetiæ plane cremati miserrime perierunt. *Annal. Fland.*

(*g*) Potius a Clemente VI. anno 1347.

(*h*) Viennensem nonnulli institutam tradunt ab Austriæ Duce Alberto circa annum 1390.

Post Scriptores Ecclesiasticos, de quibus cap. 4. ut alios recensеam, temporis non sinunt angustiæ. Plurimi idcirco prætermittimus, *Bartolum* quoque a Saxoferrato JC. clarissimum, qui publice Pisis docuit Jurisprudentiam, Bononiæ anno ætatis suæ 21. consecutum doctoratus insignia: *Thomam* Florentinum cognomine *Del Garbo*, nemini in arte medendi secundum, qui florebat, anno 1340. & *Emanuelem Chrysoloram*, qui sedente Bonifacio IX. Venetiis, Florentinæ, Romæ, ac Ticini tradidit Græcas litteras, testimonio Leonardi Arretini, Raphaelis Volaterrani, Pauli Jovii, aliorumque Historicorum celebratissimum; *Maximum Planudem* Andronico Palæologo acceptissimum, ab eo legatum ad Venetos, de quo Allatius, Cangius, Gesnerus: *Constantinum Harmenopolum* Judicem Thessalonicensem, auctorem Promtuarii legum, cujus obitum Fabricius tom. 2. Biblioth. Græcæ, & alii referunt circa annum 1380. Tres tamen nulla ratione ab Etrusco Scriptore debent præteriri silentio, *Danthes Aligherius*, *Franciscus Petrarcha*, & *Joannes Boccaccius*.

Danthes, cujus extat Poema elaboratissimum, cui titulus, *Divina Commedia*, & liber de Monarchia, præter Eclogas, Epistolas, aliaque scripta omnium ore laudata, obiit exul a patria Florentia anno 1321. & Ravennæ in templo S. Francisci conditus sepulcro, cum inscriptione a seipso conscripta, dum adhuc viveret:

Jura Monarchiæ, Superos Phlegetonta, Lacusque
Lustrando cecini: voluerunt fata quousque.
Sed quia pars cessit melioribus hospita castris,
Aëloremque suum petiit feliciter astris.
Hic claudor Danthes, patriis extorris ab oris,
Quem genuit parvi Florentia mater amoris.

Addidere Ravennates Inscriptionem aliam longe ampliorem, quæ incipit, *Theologus Danthes nullius dogmatis expers;* ac monumentum, temporis edacitate comsumptum, magnificentius erexit Bernardus

Bem-

Bembus pater Petri S. R. E. Cardinalis Clariſſimi, addita Inſcriptione altera, quæ incipit, *Exigua tumuli Danthes hic ſorte jacabes, &c.* (*i*)

Franciſcus *Petrarcha* item Florentinus, ſed natus Aretii, Poeta Laureatus, Philoſophus, & Hiſtoricus præſtantiſſimus, poſt ſcripta cedro digniſſima, quæ ſimul collecta Lugduni, & Baſileæ prodierunt in lucem, ſejunctim vero, carmina præſertim Italica, frequentiſſime procuſa ſunt, & quotidie fere ſudant ſub prælo, Arquati in diœceſi Patavina, anno 1374. e vita deceſſit; ibique jacet marmoreo in tumulo, quem ſibi vivens paraverat.

Frigida Franciſci lapis hic tegit oſſa Petrarchæ.
Suſcipe Virgo parens animam: Sate Virgine parce;
Feſſaque jam terris cœli requieſcat in arce.

Tam demiſſe de ſe loquenti, appoſita fuere, ut par erat, illuſtriora Epitaphia.

Et Joannes *Boccacci* filius Epitaphium ſibi paraverat ante mortem, quæ contigit proximo anno 1375.

(*i*) Inter cæteros, qui in Danthem Commentaria ediderunt, ut Chriſtophorum Landinum, Alexandrum Vellutellum, Benvenutum Immolenſem, Bernardinum Danielem, & Vincentium Bonannium, commemorat Lilius Cyraldus in Hiſt. Poetarum Dialogo 5. etiam Auguſtinianum Scriptorem *Joannem Stephanum* Ferrarienſem. Diverſus is fuit ab Auguſtiniano altero Florentino, de quo in recentiſſima, & elegantiſſima Veneta hujus Poetæ Editione. Noſtras illic inſertas diſſertationes non recenſemus Breves, ſed accuratæ ſunt P. Venturi, Vulpii, aliorumque recentiorum ibidem appoſitæ Adnotationes. Latino carmine Danthis poetica Opera reddita quoque ſunt.

Fecerat olim Latinam Verſionem carmine Olivetanus Monachus Piſtorienſis, quam ætate ſua diligenti cuſtodia aſſervatam, ſibique non absque ambitione oſtenſam tradit citato dialogo Cyraldus. *Danthes* ob librum *de Monarchia* apud nonnullos tan-

1375. (*k*) Certaldi ad Elſam fluvium. Nullus eloquentiori ſtylo ſcripſit Italicae, nec fabulas jucundiori contexuit. Præter opera alia complura, id teſtatur Opus, quod a decem dierum colloquiis inſcripſit Græco titulo *Decameronem*. Plurimum tamen valuit etiam Latina lingua, omnigena eruditione, & Hiſtoria; & ſingulos ejus libros, cum notiſſimi cuique ſint, non opus eſt recenſere. Præ laudatum vero Epitaphium eſt hujusmodi:

Hac ſub mole jacent cineres atque oſſa Joannis.
Mens ſedet ante Deum meritis ornata laborum.
Mortalis vitæ genitor Boccaccius illi;
Patria Certaldum; ſtudium fuit alma Poeſis.

Addidit *Collutius* (*l*), & ipſe Poeta atque Orator eloquentiſſimus, elegans Epigramma eidem tumulo inſcriptum, cujus initium, *Inclyte, cur vates humili ſermone locutus*, &c.

---

tanquam hæreticus audit. Vide Raphaelis Volaterrani *Anthrop.* lib. 21. ſententiam Bartoli ibi productam ſuper lege 1. c. *Præſules*, lib. Digeſtorum, *de inquirendis reis*, necnon Spondanum ad annum 1321. num. 7. Sed caute procedendum in damnandis *tanquam hæreticis* iis, qui diſſerunt de Monarchia, *eamque* aſſerunt ab Eccleſia non dependere.

(*k*) Inſigni anachroniſmo labitur *Julius Niger* S. J. in *Hiſt. Script. Florent.* pag. 289. ubi ait, Joannem Boccaccium fuiſſe auditorem Benedicti *Buommattei*, ab eoque didiciſſe Etruſcæ linguæ facundiam; nam Benedictus anno 1615. inſtauravit majorum ſuorum monumentum in Clauſtro S. Spiritus Florentiæ, obiitque labente Seculo XVII. Agnomen Boccaccii patriæ fuit, *Ghillini*.

(*l*) *Pierius* Patri *Salutati* filius, ex oppido Stignani.

DE-

DECIMUM QUINTUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

SUMMI ROMANÆ, ET APOSTOLICÆ ECCLESIÆ PASTORES.

Gubernarunt Romanam Eccleſiam Seculo XV. poſt Bonifacium IX. qui animam efflavit anno 1404. *Innocentius VII. Gregorius XII. Alexander V. Joannes XXIII. Martinus V. Eugenius IV. Nicolaus V. Calliſtus III. Pius II. Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VII.* & *Alexander VI.*

CCIV. Innocentius VII. electus eſt die 17. Octobr. an. 1404. Patria ei Sulmo in Aprutio, ubi & natus Ovidius, ut ipſe ait lib. 2. Amorum Eleg. 19. nomen vero *Coſmatus Melioratus.* Ob utriusque juris doctrinam, probitatemque vere aſſumto nomine dignus, non tantum commendatur a Leonardo Arretino illius ævi ſcriptore lib. 1. cap. 7. verum etiam a Theodorico Niem, Maimburgo, & a Neoterico auctore Operis *Hiſtoire* des Papes, qui tamen Pontificum vitia inſectantur. Propter nequitiam nepotis ſui Ludovici, qui undecim Romanæ Urbis rectores fraude propria manu interfecit, nudosque projecit e feneſtra, Innocentius Viterbum concita-

ta

ta Romana multitudine fugit. Romam redux anno 1406. mortem oppetiit die 6. Nov. correptus apoplexia. Vulgatum ſtatim rumorem, Papam ſublatum eſſe veneno, prælaudatus Leonardus Arretinus, qui præſens aderat, diluit in Epiſtola ad Franciſcum Principem Cortonenſem.

CCV. Eodem menſe Novembris, ac die 20. ſuffectus eſt Innocentio *Gregorius XII.* Card. tit. S. Marci, dictus antea *Angelus Corarius* patritius Venetus. Præſtitit Juramentum abdicaturum ſe Pontificatu, ſi id neceſſum foret ad ſchisma abolendum. Se ad idem paratum eſſe, impellente Univerſitate Pariſienſi, & Carolo VI. Rege, etiam Petrus de Luna, id eſt, Antipapa Benedictus XIII. ajebat. Lucam proinde Gregorius, ac Benedictus ad Portum Veneris atque ad fines Etruriæ, quaſi colloquium inſtituturi acceſſerunt. At utroque tergiverſationes ſpretis ſacramentis adhibente, Cardinales utriusque partis num. XXII. Piſis congregati anno 1409. die 26. Junii, (a) tam Gregorio, quam Petro exauctoratis, elegerunt in Pontificem Alexandrum V. Petrus autem de Luna perculſus timore Avenione ſe contulerat Paperianum arcem tum juris Hiſpanici, in finibus Galliarum & Aragoniæ, ſemperque in ſchiſmate pertinax obiit anno 1424. die 1. Junii in Cheronefo, ſeu Peniſcula Valentiæ oppido. Gregorius anno 1409. in Auſtriam, & inde Cajetam ſe contulit; hinc Ariminum venit ſub exitum anni 1412. ibique anno 1415. Pontificatus depoſuit inſignia, ſummopere a PP. Concilii Conſtantienſis laudatus. Obiit autem Recineti anno 1417. VIII. Id. Octobr.

CCVI. Ad *Alexandrum V.* revertamur oportet. Ejus electionem ſupra adnotavimus. Appellabatur *Petrus Philargius*, Card. & Archiepiſcopus Mediolanenſis. Ordinem FF. Min. profeſſus, incerta ejus patria, incertum genus, incerti parentes. Novarien-

(a) Inchoatum tamen Concilium die 25. Martii.

tienſem aliqui apud Ciaconium, quidam Bononienſem, permulti Cretenſem faciunt. Inveriſimile non videtur, natum *Candii* oppidi Inſubriæ, atque hinc poſtremam opinionem exortam. Vino mero delectatum ſcribit lib. 100. Fleurius: deſcribit virtutes ejus Graveſon, in quem invehitur recens Auctor Hiſt. Pontif. tom. 3. pag. ultima. Aliquandiu Piſis, Prati, Piſtorii, & Bononiæ moram egit. Iſtic repentina morte ſublatus eſt anno 1410. die 3. Maji. Hauſiſſe in clyſtere venenum, tradit S. Antoninus in Chronicis: hujusque criminis accuſatus fuit Balthaſar Card. *Coſcia* Neapolitanus, non autem convictus.

CCVII. Idem *Balthaſar* Alexandro in Pontificatu ſucceſſit, eodem anno die Maji 17. creatus in ipſa Urbe Bononia. Eſt hic *Joannes XXIII.* Confirmavit Concilii Piſani contra Gregorium duodecimum & Petrum de Luna ſanctionem. Summa illi cum Sigismundo Imp. concordia. Ubi Romani ejus electionem intellexere, dejectis ſtatuis Gregorii, illius erexerunt. Verum his, cæterisque ob immodicas exactiones, Simonias, ſcandala inviſus ſeſſione 12. Concilii Conſtantienſis anno 1415. die 29. Maji depoſitus fuit. (*b*) Sententiæ in ſe latæ acquieſcens in arcem, in qua Joannes Hus detinebatur, deinde Heidelbergam abductus fuit. Ad pedes Martini V. electi in laudato Concilio anno 1417. die 11. Novembr. provolutus, lacrymas ab omnium oculis expreſſit. Humaniter tamen exceptus Cardinalis decanus fuit conſtitutus. Id evenit anno 1419. quo anno die 22. Decembris Florentiæ obiit, pompa parum Pontificali abſimili in æde S. Joannis Baptiſtæ ſepultus æneo, marmoreoque monumento.

CCVIII. Quo die inauguratus fuerit Pontifex *Martinus V.* dictum nuper. (*c*) Nobiliſſima Columnen-

(*b*) Vide caput proximum.

(*c*) Dicitur *Quintus*, cum ſit hujus nominis III. quoniam etiam Marinus I. & Marinus II. a pluribus *Martini* nomen deſignantur.

lumnenſium gente ortus erat, Cardinalis tit. S. Gregorii, ejusque nomen Otho. Conſtantia diſceſſit an. 1418. die 16. Maji. Audaces pueri nimium licenter ſucclamarunt pertranſeunti. (d) *Gilius* (e) *Mugnos* Aragonenſis an. 1424. poſt mortem Petri de Luna creatus Antipapa Cheronenſi, nomine aſſumpto *Clementis VIII.* an. 1429. arrepta inſignia depoſuit, ſuamque Martino V. exhibuit obedientiam. Atque ita magnum Schiſma extinctum eſt, incœptum an. 1378. in electione peracta Fundis Antipapæ Clementis VII. Deceſſit autem Martinus V. Romæ an. 1431. die 21. Februarii. (f)

CCIX. Sedit poſtea *Eugenius IV.* id eſt, nepos Gregorii XII. *Gabriel Condulmerus* Venetus Card. tit. S. Clementis. Pontificum Calumniatores fuiſſe tradunt, non Gregorii ex matre nepotem, ſed filium ſpurium. In eum Columnenſes ſeditionem, Philippus dux Mediolanenſis bellum excitavit. Roma diſcedens unionem Græcorum, utinam diuturniorem, Florentiæ convocato Concilio curavit. (g) Conceſſit autem naturæ anno Pontificatus

---

(d) Videatur Poggius Hiſt. Florent. 32.

(e) Id eſt, Ægidius, quem Martinus V. declaravit Majoricenſem Epiſcopum. Hinc in Conclavi Vaticano extat hæc optimi Pontificis memoria : *Martinus V. Columna extincta Schismate pacem Eccleſiæ peperit.*

(f) Martinus V. tam patienti fuit animo, ut cum fratres duos, unum peſte, alterum fortuito incendio ſublatum amiſiſſet, nullum dederit abjecti animi indicium. Obiiſſe die 20. *Februarii, cum ſediſſet annos 13. menſes 3. & dies decem*, Papebrochius, Pagius, aliique tradunt. At in Baſilica Lateranenſi extat hujus Pontificis æneum Sepulcrum, commemoratum quoque a Raynaldo, a Ciaconio, a Cæſare Raſpono, &c. cum inſcriptione; *Martinus Papa V. ſedit annos XIII. menſes III. dies XII. Obiit anno MCDXXXI. die XXI. Februarii. Temporum ſuorum felicitas.* Non arbitramur, ut inquit Papebrochius, hoc epitaphium tempore attritum, fuiſſe ab aliquo infeliciter renovatum.

(g) In Bibliotheca Vaticana ſub Concilii Florentini pictura legitur: *Eugenio IV. Pontifice Græci, Armeni, Æthiopes ad Fidei uni-*

tus XVI. Christi 1447. vigesima tertia die Februarii. Concilium Basileense anno 1439. Sessione 34. die 25. Junii in eum dispositionis iniquam sententiam promulgavit, & die 5. Nov. in Pseudopontificem elegit Amadeum Sabaudiæ ducem, Eremiticam vitam ducentem ad lacum Lemannum. Huic *Felicis V.* nomen impositum.

CCX. Rexit deinde Ecclesiam *Nicolaus V.*, seu Thomas Card. Sarzanensis Bononiæ Episcopus, Bartholomæo medico, matre Fivizanensi in lucem editus. (*h*) Nicolai cardinalis Albergati, nunc inter Beatos relati, causa nomen ipsum assumpsit. Principes Regesque omnes illum tanquam supremum Ecclesiæ Caput agnoverunt, eique etiam se subjecit *Felix V.* an. 1449. ad pristinam reversus eremum. Cathedram Lunensem in patriam suam Nicolaus transtulit; decubuitque IX. Cal. Apr. anno 1455. Dotes ejus refert nobile Basilicæ Vaticanæ Epitaphium:

Hic sita sunt Quinti Nicolai Antistitis ossa,
Aurea qui dederat secula, Roma, tibi.
Consilio illustris, virtute illustrior omni,
Excoluit doctos doctior ipse viros.

---

unitatem redeunt, atque in Valvis æneis Basilicæ hi versus a Panvinio, Oldoino, & Bonannio relati:

Ut Græci, Armeni, Æthiopes hic adspice ut ipsam
Romanam amplexa est gens Jacobita Fidem.
Sunt hæc Eugenii monumenta illustria Quarti:
Excelsa hæc animi sunt monumenta sui.

(*h*) Familia Nicolai V. *Parentumcella* nomen matris *Andreola Calderina*. Est tamen in Nummo inscriptio: *Thomas-Lugano. de Sarzana* MCDXXXXVII. unde quidam ei fuisse inferunt parentes humilis fortunæ, & cognomen *Lugano*. Reseravit, clausitque Jubilæum anno 1450.

Abstulit errorem, quo schisma infecerat orbem,
Restituit mores, mœnia, templa, domos.
Tum Bernardino statuit sua sacra Senensi,
Sancta Jubilæi tempora dum celebrat.
Cinxit honore Frederici conjugis auro:
Rex Italas icto fœdere composuit.
Attica Romanæ complura volumina linguæ
Prodidit: en tumulo fundite thura sacro.

CCXI. Die Aprilis octava electus est eodem an. 1455. Pontifex Maximus *Callistus III.* vocatus, antea *Alphonsus* Cardinalis *Borgia* Valentinus. Huic S. Vincentius Ferrerius prædixerat supremam Ecclesiæ dignitatem, quam tenuit usque ad diem 6. Augusti anni 1458. Nimii in Nepotes suos, quorum duos purpura ornavit eodem die, notatur amoris. (*i*)

CCXII. Evectus tum ad Sacerdotii fastigium Pius II. Æneas *Sylvius Piccolomineus* patria Senensis. Incidit hujus electio in anni 1458. diem 27. Aug. atque obitus in diem 14. ejusdem mensis anno 1464. In ejus exaltatione Roma exultavit. Excelluit litteris: damnavit appellationes ad futurum concilium: acta Concilii Basileensis cessavit: bello adversus Turcas gerendo incubuit ardenter. (*k*)

CCXIII.

(*i*) *Callistus III.* moriens reliquit 115. millia nummorum aureorum, quos comparaverat in usus bellicos adversus Turcas.

(*k*) Victoria *Forteguerra* Æneæ mater, cum in somnio sibi visa foret parere infantem cum mitra, diu ex eo timuit Familiæ ignominiam, propterea quod improbis imponi aliquando soleant mitræ carthaceæ; neque hanc expulit suspicionem, nisi quando filius creatus est Episcopus Tergestinus. Decessit Anconæ, sed Romam delatus primum in Vaticano conditus fuit, deinde anno 1623. in Æde Theatinorum S. Andreæ *a Valle* honorifice tumulatus.

CCXIII. Succeſſit Pio II. *Paulus II.* ſcilicet, Petrus Barbus Venetus Card. S. Marci viva voce creatus, dum vix annum 48. (*l*) exceſſiſſet, anno 1464. opera Cardinalis Beſſarionis. Juramenta, quæ tunc ab electis Pontificibus fieri ſolebant, noluit emittere. Abbreviatores, inter quos Baptiſta Platina, amovit; unde hujus ſcriptoris acerbior ſtylus, & concitatior. Subita extinguitur apoplexia die 26. Julii an. 1471.

CCXIV. Sedit poſtea *Sixtus IV.* Ord. Minor. Nomen ei Franciſcus: familia *della Rovere*: patria Albixola (*m*) oppidum Liguriæ. Bononiæ, Papiæ, Senis, Florentiæ, Peruſii publice tradiderat Theologiam: omnes in Ordine ſuo conſecutus fuerat gradus, & Vaticanam denique purpuram. Per ſummam injuriam *Jurieu* miniſter Calviniſta ei exprobrat, quod libidinem permiſerit præpoſteram. Citat conviciator teſtem Balæum, & Veſſeum, utrumque hominem hæreticum & mendacem. Sixtus an. 1484. die 13. Auguſti migravit e vita.

CCXV. Joannes Baptiſta *Cibo* Card. S. Cæciliæ ex clariſſima Genuenſi familia electus eſt eodem menſe, die 29. nomine aſſumpto *Innocentii VIII.* Pacis inter magnos principes auctor, inſecutor Huſſitarum, propugnator Eccleſiaſticæ libertatis, Turcarumque hoſtis acerrimus fuit. Occaſione Zizimi

(*l*) Auctor *Hiſt. Pap.* tom. 4. proximum fuiſſe ait anno 83. Mendum irrepſiſſe puto. Arriſiſſe Paulo II. *Formoſi* nomen, & ad inſtar mulierum ſe ornaſſe, quod nimium de ſua pulchritudine ſibi plauderet, Platinæ non eſt credendum. Huic tamen aures præbuit prædictus Auctor, & qui ſcripſit Hiſtoriam Conclavium, necnon Amelotius Not. in librum I. Ann. Taciti.

(*m*) Natum *Cellæ* quinto a Savona milliario, ſcribit in ſuo *Theſauro* p. 2. pag. 93. Ghilinus. Haud ſecus Panvinius, qui in ejusdem Pontificis vita Roboreæ gentis originem ac nobilitatem deſcribit.

zimi fratris Bajazethis II. quem Innocentius captivum tenebat, ad eumdem Bajazethem litteras dedit, ac dono lanceam accepit, qua Redemptoris noſtri transfixum fuit latus. Id contigit an. 1492. quo itidem anno Romæ inventus eſt titulus Dominicæ Crucis. Naturæ perſolvit debitum VIII. Cal. Auguſti anno 1492.

CCXVI. Alexander VI. poſt Innocentium præfuit Eccleſiæ. *Roderici Borgiæ* S. R. E. Cardinalis Cancellarii priſtinum illi nomen. Quemadmodum nequit ſatis laudari Borgiæ Familiæ nobilitas; ita dici nequit, quantum Alexandri vitia ab Hiſtoricis amplificentur. Immodicum in filios amorem, inceſtam libidinem, ambitionem, avaritiam, flagitia reliqua cuncta deſcribunt, præſertim Du Cheſne, Gordonius, Guicciardinus. Videſis ſatyricam in Alexandrum Epiſtolam, verſusque improbos in Hiſt. Pontificum Tom. 4. Maleficii etiam, & propinati veneni, quo incaute hauſto ipſe perierit, culpant Alexandrum plerique. Id tamen criminis diluere nititur Raynaldus. Lege Continuatorem Hiſt. Fleury libro CXX. num. 6. & ſeq. Nos Chronologiam adnotamus ſolummodo. Creatus eſt an. 1492. III. Idus Auguſti, & ſublatus e vivis anno 1503. XV. Calend. Septemb. (*n*)

PATRI-

(*n*) Quod eſt in proloquio, *Genus irritabile Vatum*, præſertim in *Alexandro* VI. vidimus adimpletum. Nam de eodem Pontifice Maximo legitur inter Jacobi Sannazarii Carmina libro 2. Epigrammatum num. 29. Satyricum Epitaphium, quod incipit:

Fortaſſis neſcis, cujus hic tumulus ſiet.

Habetur ibidem & duplex diſtichon, quorum unius Hexameter eſt,

Mirum ſi vomuit nigrum poſt fata cruorem!

alterius

PATRIARCHARUM NOMINA.

Decimoquinto Eccleſiæ Seculo uſque ad annum 1453. quo an. Turcæ Conſtantinopolim expugnarunt, ſederunt poſt *Antonium IV.* qui an. 1403. deceſſit, *Calliſtus II. Joſeph II.* Exmetropolita Epheſinus, *Metrophanes* Cyzicenus, Gregorius III. Hieromonachus, & *Georgius Scholarius* appellatus etiam *Gennadius* eodem electus anno, quo

---

alterius vero, nam Pentametros exſcribere nolumus,

Nomen Alexandri ne te fortaſſe moretur.

Extat & aliud:

Viſuram ſe iterum Sixtum cum Roma putaret,
Pro Sixto Sextum vidit, & ingemuit.

Tribuitur eidem in Tumulum Lucretiæ inſcriptio, a nonnullis falſo adtributa Pontano,

Hoc jacet in tumulo, &c.

Circumfertur & Epigramma, cujus initium, *Vendit Alexander* &c. Hæc adnotamus, tum quia vulgatiſſima ſunt, & etiam a Papirio in vita Pontificis Alexandri producta lib. 6. pag. 373. tum etiam, ut Novatores percipiant, a nobis vitia quorumdam Romanorum Pontificum non denegari: quamquam, niſi iidem novantes dicteriis, & cachinnis ubique patefacerent, honeſtius videretur ea præteriri ſilentio. Verum etſi Pontifices etiam homines ſunt, & circumdati infirmitate; nullus tamen illorum a recta fide deſcivit, & plurimum Romanæ Eccleſiæ firmitatem, auctoritatemque commendat, quod nunquam eam Spiritus ſanctus deſeruit, etiamſi aliquando improbo gubernatam Paſtore. Vitiis, quæ Alexandro VI. exprobrantur, egregia ejus facta opponimus; cohibitam ſeverioribus pœnis ſicariorum licentiam, ſtatutos dies jus unicuique dicendi, decretum viſitationis ægrotantium tempus, contendentium de novi Orbis dominatione Regum, Joannis Luſitaniæ, & Ferdinandi Hiſpaniarum Monarchiæ concordiam, innovationem conſuetudinis, inductæ a Calliſto III., ſalutandi in meridie Deiparam, inflictum

Mahumetes Constantinopolim occupavit. Prætermittuntur cæteri extorres, & vix Patriarchali charactere insigniti.

CAPUT II.

SYNODI DECIMOQUINTO ECCLESIÆ SECULO CELEBRATÆ.

Plenaria hujus Seculi Concila sunt *Pisanum*, *Constantiense*, *Senense*, *Basileense*, & *Florentinum*. Num priora quatuor generalia dicenda sint, controvertitur: nulla de postremo hæsitatio.

De Pisani Concilii convocatione facta an. 1409. dictum est capite superiori. Utriusque Communionis Cardinales, Gregorii nempe XII. & Benedicti XIII. ad hanc Synodum conveniisse, depositum in illa Gregorium, electum Alexandrum V. exauctoratum Benedictum, eo loci narravimus. Nulla Gregorio illata injuria, siquidem juramentum emiserat abdicandi se Pontificatu, si id necessum fuisset ad schisma abolendum, demissisque precibus invitatus ad Synodum nunquam voluit accedere.

---

flictum anathema Librariis typis mandantibus Scripta ab Episcopis non impetrata facultate, lata sanctione, quam ad annum 1501. num. 36. refert Raynaldus. Prætermitto comitatem, qua Principum legatos ad se missos excepit, & præsertim Angelum Politianum, qui Senensium nomine orationem ad ipsum habuit; graviſſimamque ejus ad omnes Reges exhortationem, ut pacem colerent, nec de gerendo bello cogitarent, nisi adversus Turcas spoliis Christianorum superbientes. Profecto iniqui dicendi sunt, qui summorum virorum, teneantium maxime Sacerdotii, aut Regni Imperiique fastigium, carpunt vitia, recte autem gesta prætereunt.

dere. Interfuere tamen Cardinales XXII. (o) Archiepiſcopi XXIV. Epiſcopi CLXXXII. Abbates ac Theologi plus quam CCC. Fruſtra adverſus Piſanum Concilium depoſiti Pontifices reclamarunt. Qui Generale fuiſſe negant, in hanc abierunt ſententiam, quoniam non fuit a Pontifice convocatum, nec Concilio ipſo abſoluto ſchisma ceſſavit. Verum quia Alexandrum V. omnes tanquam legitimum Pontificem agnoſcunt, atque in ſchismate aliis, quam Capiti, de cujus auctoritate controvertitur, committi debet Synodi congregandæ facultas, non poteſt Piſani Conventus firmitas oppugnari. (p)

Perſeverante Schismate, Joannes XXIII. Alexandri ſucceſſor indixit Concilium *Conſtantienſe* die 10. Martii an. 1414. Inchoatum eſt die 5. Novembris anno proximo, præfuitque Seſſioni 1. idem Joannes Romanus Pontifex. Adfuerunt Patriarchæ IV. Archiepiſcopi XLIII. Epiſcopi CLX. Abbates ac Theologi ſupra CIX. nec non Romanorum Imperator Sigiſmundus. Damnatus Vicleffus & cremati Joannes Hus, & Hieronymus Pragenſis, de quibus infra. Joannes Pontifex, qui primum humiliter ſcripto & jurejurando ſpoponderat dimiſſurum ſe Eccleſiæ regimen, ſi ad extirpationem ſchiſmatis videretur neceſſarium, id poſtea exequi detrectans, & clam e Synodo diſcedens, dejectus eſt adnotata ſuperius die. Conſtitutus tum Martinus V. ac Synodus abſoluta an. 1418. die 22. Aprilis. Concilium iſtud dicitur continuatio Piſani a Card Turrecremata. An fuerit Oecumenicum poſt Joan. XXIII. diſceſſum, vigeatque robur Seſſionis 4. & quintæ, quibus Papa ſubjicitur Concilio,

(o) Alibi numerantur Card. XXI.

(p) De Concilii Piſani auctoritate diſpar, & oppoſita eſt Clariſſimorum Scriptorum ſententia. Vide *Ital. Sacram.* in Arch. Piſanis ſub *Alemanno Adimario*, &c.

lio, haud levis est controversia. Adversus Ven. Bellarminum & Christianum Lupum affirmantem partem strenue propugnat Cl. Bossuetius p. 2. defens. Decl. Cleri Gallic. lib. 9.

Martinus V. Sess. 44. Concilii Constantiensis habita anno 1418. die 19. Aprilis indixerat Concilium pro reformatione morum celebrandum Papiæ, urbis in Insubria vetustæ. Inchoatum illud est anno 1423. mense Majo: sed paucis advenientibus ob pestiferam illic grassantem luem, post menses duos translatum est Senas. Confirmata ibidem Vicleffistarum, Hussitarumque damnatio, & depositio Petri de Luna, actumque de Græcorum cum Latinis unione. Verum temporis calamitas impulit Martinum V. ut hac Synodo abrupta, proximo an. 1424. die Februarii 19. indiceret *Basileensem* anno 1431. celebrandam. Senense Concilium in litteris quoque Martini V. & Eugenii IV. dicitur *Oecumenicum*; fuit vero quædam Constantiensis Synodi Appendix.

Sublato e vivis Martino V. Eugenius ei suffectus ratam habuit indictionem Concilii Basileensis in finibus Helvetiorum. Inchoatum fuit eodem an. 1431. die 19. Maji, indictaque prior Sessio pro 14. Decembris. Initio Concilium fuisse legitimum, non ambigitur: sed nimiam sibi quibusdam arrogantibus auctoritatem, & cogitantibus Pseudopontificem intrudere vivente Eugenio, bello insuper inter duces Burgundum & Austriacum ferveſcente, idem Eugenius an. 1432. Constitutionibus, litteris, Legatisque Synodum studuit dissolvere, indixitque an. 1437. Concilium Ferrariense. Ab eo tempore degenerans Synodus in conventum illegitimum ac seditiosum inique in Eugenium se gessit, Sessione præsertim 31. an. 1438. die 24. Januarii. De Felice V. Pseudopontifice dictum supra. Solutum denique hoc Concilium an. 1443. mense Majo.

Ferrariense Concilium Generale anno 1438. die 9. Aprilis inchoatum est. Florentiam vero anno sequenti translatum, ubi prima Sessio habita fuit die 36. Februarii, postrema die 22. Novembris ejus-

eiusdem anni 1439. Ferrarienſi & Florentino Concilio præfuit ipſe Eugenius IV. & interfuit Joannes Palæologus Imperator Græcorum cum Joſeph Patriarcha C. P. ac permultis cum Latinis, tum Græcis. Inter quos de Purgatorio, de Primatu Papæ, de Azymo adhibendo in Euchariſtia conficienda, de præſenti gloria Sanctorum, ac præſertim de *proceſſione* Spiritus ſancti a Filio, & de additione facta Symbolo particulæ *Filioque*, longa fuit diſceptatio. Sed inita tandem concordia, cui & Græci omnes ſubſcripſere, uno excepto Marco Epheſino, qui in Græciam redux complures ad Schiſma inſtaurandum permovit. Subjicitur Synodo Florentinæ *Decretum pro inſtructione Armenorum*, non Synodi, ſed ſolius Eugenii IV. nomine inſcriptum, utpote editum poſt diſceſſionem Græcorum decimo Cal. Decembris. Sed de Conciliis Oecumenicis, pro noſtro inſtituto, ſatis multa.

Cætera ad diſciplinam ſpectantia commemorabo tantummodo. In Galliis celebrata fuere *Rhemenſe* an. 1408. *Senonenſe* 1429. *Bituricenſe* an. 1438. *Rotomagenſe* anno 1445. *Senonenſe* alterum 1485. In Hiſpania *Dertoſæ* an. 1429. *Matriti* 1473. *Toleti*, & *Raudæ* eod. anno, & *Compluti* 1479. In Germania *Coloniæ* 1423. & 1452. *Pragæ* 1405. *Salisburgi* anno 1420. *Friſingæ* in Bavaria anno 1440. In Anglia *Oxonii* 1408. *Londini* 1420. & 1486. & Haphniæ, vulgo *Copenhagen*, in Silandia, vel Dania, an. 1425. Ad Clericorum & Monachorum diſciplinam, ad beneficiorum collationem, morumque probitatem, nec non erumpentium errorum pravitatem, eliminandam, ſingula pertinent.

Conciliabula *Benedicti XIII.* Pſeudopontificis, ſeu Petri de Luna, Perpiniani an. 1408. & Salmanticæ 1410. ubi ille verus Eccleſiæ Paſtor fuit declaratus. Utinenſe an. 1409. quo *Gregorius XIII.* ſeu Angelus Corarius, etſi Piſis exauctoratus, cum paucis Epiſcopis ſchiſma fulcire curavit; atque Conſtantinopolitanum, in quo imperante Conſtantino Palæologo anno 1450. proſcriptis actis Synodi

nodi Florentinæ Græci ad vomitum redierunt; hæc, inquam, Pseudoconcilia omnino a nobis rejiciuntur.

CAPUT III.

DE HUSSITIS, CÆTERISQUE HÆRETICIS SECULI XV.

Præter nefaria Vicleffi dogmata in Concilio Constantiensi damnata Sess. 8. an. 1415. die 4. Maji, *Joannes Hus*, & *Hieronymus de Praga* ejus discipulus eadem fere omnia dogmata propugnantes, vivi fuerunt combusti. Sumptum de Joanne Husso supplicium eod. an. 1415. die 6. Julii, ac de Hieronymo Pragensi an. 1416. die 30. Maji. Queruntur hæretici, hos sectarum suarum Patriarchas, quos tanquam martyres venerantur, rogo fuisse impositos, & exustos, etsi Constantiam accesserint obtenta securitatis fide, quam vocant *Salvum Conductum*. Sed queruntur inique, & injuste. Nam Joannes Hus neque a Pontifice, neque a Concilio, ut ex ejusdem Hussi litteris constat, securitatem illam obtinuerat, sed tantum a Sigismundo, coarctatam ad iter, hujusque incommoda, ad solutionem tributi, vel telonii, ut apparet ex litteris Imperatoris datis Spiræ anno 1414. die 18. Octobris. Cum autem contra promissa, & pacta, quibus spoponderat se judicium Concilii subiturum, discessisset Constantia, & in hæresi post damnationem evasisset pervicacior; ipsius Sigismundi jussu conjectus in carcerem, merito pertulit pœnam perfidiæ suæ. Hieronymus vero, tametsi a Synodo non a Sigismundo, obtinuerat *Salvum Conductum*, quia tamen damnationi Vicleffi, & Joannis Hussi consensit, horum hæresim ejuravit Sessione decima nona; palam postea testatus, se fraude & mendaciter id egisse, ac in pristinos prolapsus errores, frui non poterat ea securitate, quæ ipsi concessa fuerat

fuerat ea appoſita conditione, *ut juſtitia ſemper ſalva maneret*, quantum Fides exigeret Orthodoxa. Videatur in Hiſtoria Huſſitarum Joannes Cochleus, & differt. 7. hujus Seculi Nat. Alexander.

Dogmatizavit Joannes Hus, Eccleſiam conſtare ex ſolis prædeſtinatis, carere viſibili Capite, Hæreticos tradi non poſſe ſeculari Judici puniendos, & neminem Sacerdotum a prædicatione verbi Dei poſſe ab Epiſcopis, vel a Pontifice removeri, aliaque his affinia XXXIX. comprehenſa articulis (*q*) proſcriptis a PP. Conſtantienſibus. Circa Euchariſtiam tamen, Confeſſionem Sacramentalem, Invocationem Sanctorum, & Purgatorium Joannes HUS nunquam oppugnavit doctrinam Catholicæ Eccleſiæ, ideoque fruſtra illius concordiam jactant poſteriores hæretici.

Orti ex Huſſitis *Thaboritæ*, *Orphani*, & *Calixtini*. Primi ita appellati ſunt a monte, in quem duce Joanne Ziſcha homine æque impio, ac ſtrenuo, ſeſe receperunt, & cui *Thabor* nomen dederunt. Horum quidam *Orphani* dicti ſunt, quaſi orbati patre, poſt mortem ipſius Ziſchæ: qui obiit peſtilentia an. 1424. die 6. Octobris in caſtro *Priſcon*, mandans, ut e pelle ſua ad terrendos hoſtes tympanum conficeretur. *Calixtini* denominati fuere, qui communionem ſub utraque ſpecie neceſſariam putantes, Calicis formam ubique pingebant, unde pervulgatum diſtichon,

Tot pingit calices Bohemorum terra per urbes,
Ut credas Bacchi numina ſoli coli.

Prodierunt pariter er Gallia Belgica, & in Bohemiam irrupere novi *Adamitæ*, nudi incedentes, addicti promiſcuis connubiis, in omnem exardeſcentes libidinem, atque adeo inverecundi, ut memora-

(*q*) Vid. Continuat. Hiſt. Fleury *lib.* 103. *num.* 74. Demone tamen Concilii XV. redacti ſunt ad XXX.

moratus Ziſcha dux Huſſitarum illos gladio, flammisque ultricibus deleverit. Quorum dux *Pichardus* nomine ſe Adam ac Dei filium audacter nominabat. Paululum modeſtiores *Foſſarii*, qui adinſtar brutorum promiſcuam explebant libidinem in abditiſſimis locis foſſisque, unde ſortiti ſunt nomen. Quidam demum e Vicleffi ſecta erumpentes cœperunt adverſus *Pædobaptismum* inſurgere, aſſerentes regenerationis lavacrum parvulis inutiliter conferri, neque illo indigere filios e fidelibus procreatos.

Hæc de hæreſibus tantum: nam errores a pluribus hoc Seculo absque pertinacia aſſertos, quoniam non coaluerunt in ſectam, licet proſcriptos, non eſt loci hujus ſingulatim exponere. (r)

(r) Errorum, quos prætermittimus, auctores ſunt Matthæus Grobon Ord. Præd. *V. Nat. Alex. cap.* 2. *art.* 4. Manfredus ejusd. Ord. V. S. *Ant. t. P. tit.* 22. *cap.* 7. *n.* 8. Alphonſus Toſtatus, *V. Rayn. ad an.* 1443. *n.* 24. FF. nonnulli Carmelitæ, *Spond. ad annum* 1473. *num* 13. Joannes Parvus (*Petit*) de quo Gerſon *tom.* 5. *edit. Dupinii.* Auguſtini de Roma Aug. de quo *Acta Conc. Baſil. Seſſ.* 22. Laurentius Valla, apud Dominicum Bernium *Sec. XV. cap.* 6. &c. Accedit *Pomponius Lætus*, quem, ſi revera, ut ajunt, abjecto Chriſtiano nomine Petri *Pomponius* dici voluit, & ſi colebat Romulum, atque celebrabat natalem diem Urbis, non a fide exterrem duntaxat, verum etiam idololatram vocemus oportet.

CA-

CAPUT IV.

RECENSENTUR SCRIPTORES PRÆCIPUI, QUI SECULO XV. PERTRACTARUNT DE REBUS ECCLESIASTICIS.

Inter plurimos illos, qui vertente Seculo XV. sapientia honestissimum sibi nomen compararunt Theologicis claruerunt erudimentis ex Latinis qui, dem *Petrus de Alliaco* Ambianensis Card. S. R. E. qui pro fide Catholica in Concilio Constantiensi egregiam navavit operam, editisque exquisitis lucubrationibus diem obiit in Urbe, cui præerat Antistes, Cameracensi anno 1425. *Joannes* in pago agri Rhemensis, ubi in lucem editus est, cognominatus *Gersonius*, ipsius Petri de Alliaco discipulus, cum sapientia, tum pietate conspicuus, humanis exemptus rebus anno 1429. Augustinenses duo, (s) *Paulus* Utinensis, a domicilio *Venetus* nuncupatus, & *Andreas Bilius* Mediolanensis: quorum ille an. 1428. iste vero anno 1429. naturæ persolvit debitum. *Thomas Valdensis* Carmelita, cujus mors contigit anno 1431. celeberrimus Fidei Catholicæ Propugnator, atque a nonnullis inter Beatos connumeratus. *Joannes* S. R. E. Card. *de Turrecremata*, & *Joannes Capreolus* Ord. Præd. unus 1468. alter hoc quidem Seculo, sed incerto anno defunctus. *Nicolaus* S. R. E. Card. *de Cusa*, (t) qui decessit anno 1464. *S. Joannes*

(s) *Guilelmus Becchius* Flor. Episcopus Fesulanus obiit anno 1491. *Henricus* vero *de Langestein* florebat initio Seculi. Augustinensis uterque.

(t) Calumniantur quidam Heterodoxi, Cusanum in *Conjectura de novissimis diebus* asserere, Pontificem Romanum esse *Antichristum.*

annes a Capistrano Ord. Min. cujus beata mors contigit anno 1456. & *Gabriel Biel*, qui e vita migravit circa annum 1495.

Ex Græcis vero claruerunt *Bessarion* Archiepiscopus Nicænus & S. R. E. Card. qui obiit an. 1472. (u) Is pro Latinis decertavit invicte: nam *Simeon Thessalonicensis*, *Macarii* duo, unus Monachus montis Atho, alter Episcopus Ancyranus, & *Georgius Scholarius*, vel *Gennadius* C. P. studiose Græcorum schisma foverunt; atque *Georgius Trapezuntinus*, (x) qui steterat pro Latinis, ad Mahumetis insanias defecit, luitque morte repentina pœnam perfidiæ.

Illam vero Theologiæ partem, quæ spectat institutionem morum, & vitam asceticam, magnopere illustrarunt *S. Antoninus* Archiepiscopus Florent. Ord. Præd. *S. Bernardinus Senensis* Ord. Minorum, *S. Laurentius Justinianus* Venetorum Patriarcha, *Jacobus Magnus* Toletanus Ord. Eremit. S. P. Aug. & *Thomas a Kempis* Canonicus Regularis. E vivis autem primus excessit anno 1449. alter anno 1444. tertius anno 1455. quartus anno 1462. ac postremus anno 1471.

Sacras Conciones verbis, scriptisque illustrarunt *S. Vincentius Ferrerius* Ord. Prædicatorum, ad superos translatus anno 1419. *Nicolaus Auximanus* Ord. Minorum sublatus e vita paulo post annum 1442.

---

christum. Mentiuntur plane; capite enim 7. aperte loquitur de Antichristo venturo paulo ante universale Judicium; de quo agitur proximo capite 8.

(u) Falso quidam obiisse tradunt anno 1437. Fuerat Monachus S. Basilii, quemadmodum *Isidorus Ruthenus* Patriarcha C. P. qui obiit Romæ anno 1463.

(x) Alius a *Georgio Trapezuntino*, qui obiit Romæ an. 1486. de quo in App. De isto Caveus in *Seculo Synodali* ad annum 1461. Ille, qui anno 1486. decessit, ante obitum omnium, quæ

1442. Auguſtinenſes duo Florentini, *Honuphrius Srecutus* patriæ Archiepiſcopus, & *Simeon Tornaquinci*; quorum ille ſublatus eſt anno 1403 ac iſte 1429. Nec prætermittendus *Hieronymus Savonarola* Ord. Præd. in magna temporum calamitate combuſtus Florentiæ anno 1498. quamvis etiamnum diſceptetur, an. Chriſti martyr, an Pſeudopropheta ſit nuncupandus. (y)

At Commentariis ſacras Scripturas illuſtrarunt, præter *Alphonſum Toſtatum* Epiſcopum Abulenſem mortuum anno 1454. de quo illud profertur,

Hic *Stupor eſt mundi*, *qui Scibile diſcutit omne*,

Thomas Anglicus Ord. Prædicat. *Dionyſius Carthuſianus*, *Jacobus Perez* Auguſtinenſis: quorum, aliis prætermiſſis, contigit obitus, prioris an. 1403. alterius (z) anno 1471. & tertii anno 1490.

In Hiſtoriis inſudarunt plurimum, qui ſequuntur. Ineunte enim Seculo Chronicum ad ſua usque tempora deduxit *Jordanus* de Argentina Auguſt. De Schismate inter Urbanum VI. & Clementem Antipapam, & Vitam Joannis XXIII. luculenter conſcripſit *Theodoricus de Niem*, qui ætate illa florebat. *Flavius Blondus* Forolivienſis Romæ Triumphantis libros decem & Romæ Inſtauratæ libros tres edidit, præter decades tres Hiſtoricarum Romanarum, & librum de origine & geſtis Venetorum. Florebat

---

quæ didicerat, memoriam nonagenarius amiſit. Adde Theodorum Gazam Theſſalonicenſem, extinctum anno 1478.

(y) Adverſariis Savonarolæ adhæſit quoque Marianus a Genazano Aug. vir ſummus, ac præſtantior, quam ad annum 1482. viſum ſit Bzovio. Prior fuit Marianus Florentini cœnobii S. Galli, nunc diruti, obiitque Sueſſæ eodem, quo Hieronymus crematus eſt, anno.

(z) Nat. Alex. ait floruiſſe Seculo XV. ineunte; & diſtinguendus ab alio *Thoma* Eboracenſi: ac nullatenus illius Commentaria cum iis confundenda ſunt, quæ ſcripſit *S. Thomas* Doctor Angelicus.

bat circa annum 1440. siquidem meminit *Felicis V.* Antipapæ. (*a*) Ipsius Flavii Abbreviationes, Cosmographiam universam, & Bohemorum elucubravit historiam *Æneas Sylvius Piccolomineus* Senensis, postea *Pius II.* de quo 1. cap. De Florentino Concilio pertractavit adv. Marcum Ephesium historice, ac Theologice circa annum 1440. *Joseph* Episcopus Methonensis. Res sui ipsius tempore gestas mandavit litteris circa annum 1460. *Joannes Gobelinus*, a Secretis prælaudati Pontificis Pii II. *Baptista Platina* Cremonensis, quem Trithemius *Bartholomæum* (*b*) appellavit, scripsit de vitis Rom. Pontificum a Petro ad sua usque tempora: sublatus est autem pestilentia anno 1481. Permulta circa id temporis e Græco vertit, & Sanctorum Vitas, aliaque plura exaravit *Ambrosius* Calmadulensis Florentinus, sui Ordinis decus. *Jacobus Philippus* Bergomensis Ord. S. P. Augustini Supplementum Chronicorum primo in lucem emisit anno 1485. non semel postea ampliavit; atque obdormivit proximo Seculo, anno scilicet 1520. Florebant circa Seculi XV. exitum *Marcus Antonius Sabellicus*, & *Joannes Trithemius* Monachus Benedictini Instituti. Ille universam historiam, & plura ad Venetos & Aquilejenses spectantia quatuor Volumnibus complexus est, obiitque Venetiis anno 1506. *Trithemius* de illustribus viris Germanis, & Ord. S. Benedicti, de Scriptoribus

---

(*a*) Obiit Romæ anno 1458.

(*b*) *Bartholomæum* item dixere Vossius, Bælus, alii. De illo Sanazarius:

Ingenia & mores, vitasque obitusque notasse
Pontificum, argutæ lex fuit historiæ.
Tu tamen hinc lautæ tractas pulmenta culinæ.
Hoc, Platina, est ipsos pascere Pontifices.

Nimirum scripsit quoque libros X. *de tuenda valetudine, & popinæ scientia.* Extat in edit. Lugdunensi anno 1541. post libros *Cælii Apicii de re culinaria.* Scripsit & alia plura.

tibus Ecclesiasticis, variaque Monasteriorum Chronica, misso Stegonographiæ Opere proscripto; ac decessit anno 1519. (c)

Addamus nonnullos ex illorum classe, qui Jus Canonicum excoluerunt *Joannem de Ligniano* Mediolanensem, *Petrum de Ancharano* Bononiensem & Baldi auditorem, *Antonium* a Butrio, *Franciscum Zabarellam* Patavinum, ex Archiepiscopo Florentino S. R. E. Cardinalem, *Joannem* de Imola, *Felinum* Ferrariensem, & *Andream Barbatium* Siculum. *Joannem* Cardinalem de *Turrecremata*, qui Juris etiam Canonici peritissimus fuit, commemoravimus paulo supra.

CAPUT V.

IMPERATORUM SERIES, SANCTORUMQUE NATALIS DIES.

Extincto Imperatore Occidentis Ruperto, (d) electus est *Sigismundus* filius Caroli IV. & frater Wenceslai. Diximus Rupertum vita functum anno 1410. XII. Cal. Junias: electio autem Sigismundi

(c) *Joanes Annius* Viterbiensis, de quo plura Nat. Alex. art. 6. num. 32. videtur permultis edidisse falsa commenta. Vide Vossium de Hist. Lat.

S. Antonini Arch. Florentini, qui scripsit *Summam Historialem* in tomos tres distributam, paulo antea meminimus.

(d) Diximus superiori Seculo Rupertum fatis cessisse Oppenhemii in inferiori Rheni Palatinatu, sepultum vero Heidelbergæ, in Æde S. Spiritus, quam ipse erexerat, & ubere proventu dotaverat, ubi hoc illi appositum Epitaphium: *RUPERTUS Dux Bavariæ, Comes Rheni Palatinus, Romanorum Rex, justus*

di contigit anno 1411. XIII. Cal. Aprilis. Interfuit Concilio Constantiensi; ac diuturnum adversus Hussitas bellum gessit, interdum sinistro eventu. Iis tamen anno 1436. devictis, suum Bohemiæ regnum ingressus effusissima populi lætitia & acclamatione, diruta ab hæreticis templa instauravit, exspoliata sacra suppellectili instruxit, & violata, restituto Dei cultu, purgavit. Solo hæreticos in perfidia manentes jussit excedere. Ipse occubuit die 9. Decembris anno 1437. Varadini tumulo conditus (e).

Inauguratus deinde Sigismundi Gener, & filiæ ejus Elisabethæ maritus *Albertus II.* Austriacus. Qui anno 1438. ter accepit coronam, Calendis Januarii tanquam Rex Hungariæ, die 20. Martii tanquam Imperator Occidentis, & die Maji sexta tanquam Rex Bohemorum. Polonos superavit: Turcas ex Hungariæ finibus expulit; & Bohemos, qui Casimiro fratri Regis Poloniæ se dederant, revocavit

---

ustus, pacis & religionis amator, dignus Deo visus, qui pro justitia pateretur, hujus sacræ ædis, & Collegii institutor, hic cum castissima conjuge Elisabetha, Norici montis Burggravia, quievit; vita functus anno Christi 1410.

(e) Sigismundum iniisse fœdus cum Helvetiis anno 1474. traditur in Additamentis ad Cluverii Geographiam lib. 2. capite 17. a Joanne Bunone. Mendum irrepsisse, & legendum *anno* 1434. Fœdus illud a Maximiliano I. abruptum, renovatum est anno 1511. ab eodem Imperatore. Znoymæ, *Znaim*, in Moravia defunctus, illuc profectus, ad Filium, Bohemorum genti diffidens. Obiit vero prædicta die 9. Decembris (quidam ajunt 8.) anno ætatis 70., Hungarici Regni 51. Bohemici 17. Romani 27. Inde magnifico regioque apparatu Varadinum translatus est.

Quidam Germaniæ Scriptores inter Rupertum & Sigismundum recensent Imperatorem *Jodocum* Moraviæ marchionem filium Joannis Henrici fratris Caroli IV. At is a solis Episcopis, & a Sigismundo patruele suo suffragia retulerat, neque corona insignitus est unquam. Ineptum fuisse ad res gerendas, ac sexto mense a morte Ruperti functum vita Brunæ, vulgo *Bruni*, Æneas Sylvius, aliique scripserunt.

vit ad officia. At recedentibus e Servia Turcarum copiis. Albertus Buda reverſurus Viennam anno 1439. die 26. Octobris in itinere dyſenteria extinctus eſt.

Imperavit diutius, nempe annis 52. *Fridericus III.* Auſtriacus, electus Francofurti anno 1440. die 30. Martii. Natus erat Erneſto Auſtriæ Duce, Imperatoris Alberti II. fratre patruele. Quoniam a bello abhorrebat, eoque imperante regnavit ſumma in ejus Imperio pax, quamquam marte alibi ferveſcente; adeptus eſt *Pacifici* cognomentum. Eleonoram filiam Regis Luſitaniæ anno 1452. ſibi in matrimonium copulavit, ac ſimul cum auguſtiſſima conjuge imperiale diadema ſuſcepit a Nicolao V. eodem anno die 17. Martii (*f*) Friderici adſcribitur monitis, quod Felix V. Antipapa ſponte Nicolao ſeſe ſubjecerit, eique reconciliatus creatus fuerit S. R. E. Cardinalis, & Apoſtolicæ Sedis in Sabaudia Legatus. Operam dedit, ut Maximilianus ejus filius conſtitueretur Rex Romanorum die 17. Februarii an. 1486. & anno ipſo die Aprilis decima redimeretur Aquisgrani corona Caroli Magni, Segoduno, id eſt, Norimberga, aſportata. Suprema autem Frederici dies fuit Septembris ſeptima (*g*) anno 1493. Lentiæ in Auſtria ſuperiore Viennam inter, ac Ratisbonam.

Succeſſit itaque patri *Maximilianus*, qui tenuit imperium usque ad annum Chriſti 1519. Anno 1494. cum Carolo VII. Galliarum Rege pacem firmavit, anno 1496. in Italiam irrupit animo expugnandi Neapolim: Liburno claſſem admovit; ſed jactatis tempeſtate navibus, rediit re infecta in Germaniam. Hujus Cæſaris bella conſignanda ſunt Seculo deci-

(*f*) Platina inquit, *die XV.*

(*g*) Ita in Hiſt. Rom. M. De-Chrares tom. 2. pag. 275. Continuator Fleury libro 117. num. 66. & alii. Calviſius tamen mortuum inquit die 19. Auguſti.

mo sexto. Obiisse enim anno 1519. nuper dix'mus. Dies ejus emortualis duodecima Januarii: locus mortis Lentia, sepulcri Neostadium. (*h*) Ex priori uxore Maria filia Caroli ducis Burgundiæ (alteram enim post illius mortem duxit, Blanchamfiliam Galeatii Ducis Mediolanensis) susceperat Philippum Austriæ Archiducem, partem *Caroli Quinti.*

Quid vero de Imperio Græcorum? Obierat *Emanuel Palæologus* anno 1425. die 20. Julii. Imperium tum accepit Joannes Palæologus II. filius Emanuelis, & Irenis. Is cum Amurathe Turcarum Sultano pacem iniit anno 1426. Joannes iste Palæologus, qui interfuit Florentino Concilio, mortem oppetiit die 31. Octobris anno 1449. Ei successit *Constantinus Dragases* Joannis Palæologi frater (*i*), & e Manuele natus anno 1403. Imperante Constantino Regia civitas C. P. expugnata fuit ab Amurathe II. Hegyra 857. anno 1453. die 29. Maii. Cæso Constantino, dum strenue pugnabat, a gregario milite Turca, funditus deletum est imperium Græcorum. Quod si tempora supputentur ab anno dedicationis Urbis C. P. facta a Constantino Magno, videlicet, ab anno Æ. V. 330. invenietur Imperium Constantinopolitanum stetisse annis MCXXIII. a Constantino fundatum, in Constantino altero extinctum. (*k*) Imperium

---

(*h*) *Lentia*, seu Lentium; vulgo *Lintz*, metropolis Austriæ Superioris, duabus munita arcibus, & anno 1741. a Gallis expugnata, recuperata autem anno 1742. ab Imperatore Francisco I. Neostadium, *Neustad.* quo nomine aliæ quinque notantur urbes, in Austria, prævalida arce, armamentario, vivarioque insigni exornatum, captum anno 1485. a Mathia Corvino, sed iterum ad Austriacam ditionem redactum.

(*i*) Gravesonin VI. Tabula Chronol. succes. Impp. Orientis num. 129. ait *Constantinum* fuisse filium *Joannis Palæologi*, non fratrem, cæteris Historicis repugnantibus.

(*k*) In expugnatione C. P. cæsa sunt quadraginta hominum millia: caput Constantini abscissum, & infixum lanceæ. Se-

nes

rium quoque Romanum, quod incœperat in Augusto alio fuisse eversum, dictum est in Historia Seculi V. capite 5.

Ad Regnum, quod manet in æternum, & conterit, ut Daniel cap. 2. prænuntiavit, omnia alia regna, perpetuo obtinendum transierunt Seculo XV. permulti. *SS. Antonini* Arch. Florentinorum, *Vincentii Ferrerii*, *Bernardini Senensis*, *Joannis a Capistrano*, & *Laurentii Justiniani*, annum emortualem præcedenti capite commemoravimus. *Carolus* institutor Eremitarum S. Hieronymi in montibus Fesulanis mortem obiit anno 1419. & anno 1463. *Alexander Oliva* Augustinensis. Martyrii vero palmam consecuti sunt anno 1458. *Eugenius* Hibernus Ord. SS. Trinitatis: anno 1460. *Antonius de Ripolis* Ord. Præd. anno 1465. *Andreas Chiensis*: anno 1475. *Simon* puerulus Tridenti a Judæis crudelissime excruciatus: (*l*) & anno 1479. Fideles complures Bohemi ab Hussitis, quorum & annis insequentibus fuerit sævitia, in odium Catholicæ fidei enecati. Sanctorum Confessorum adepti sunt aureolas *Nicolaus Albergati* Carthus. S. R. E. Card. & Ep. Bononiensis anno 1443. *Ludovicus* Card. & Archiepisc. Arelatensis anno 1450. *Ambrosius* Florentinus Aug. an. 1457. Didacus Ord. Minorum anno 1463. *Jacobus* Picenus ejusdem Ord. anno 1476. *Joannes* Sahaugunensis Ord. S. P. Augustini anno 1479. ejusque confrater *Antonius* de Amandula anno 1450. *Casimirus* dux Lithuaniæ anno 1484. *Nicolaus* Helvetiæ anachorita anno 1487. *Antonius* Aquilanus Augustinensis anno 1494. aliis 1480. sed hic fuit annus emortua-

nes, matronæ, virgines, pubres, impuberes trucidati: proceres optimatesque immanissime dissecti: Cæsaris conjux & filiæ pertractæ in convivium, palam constupratæ, & in frusta concisæ. Vide Sabellicum, Dresserum, Leonclavium.

(*l*) Hujus martyrium adversus Vangensellium & Basnagium vindicavit eruditus Anonymus Dissertatione Apologetica in lucem edita Tridenti anno 1747.

talis *B. Andreæ* de Monte Regali ejusdem Instituti, Choros Virginum procedentium ad Agni nuptias duxerunt anno 1433. *Lidwina* Batava: anno 1447. reformatrix Clarissarum *Coletta* Corbejensis; & an. 1463. *Catharina* Bononiensis: (*m*) anno 1497. *Veronica* de Binasco Augustinensis. Matronis, Viduisque præbuere præclarum sanctimoniæ exemplum *Franciſca* Romana terris erepta anno 1440. & *Rita* de Cassia sanctimonialis Augustiniana, quæ ad superos evolavit anno 1443. In libro Vitæ aliorum complurium scripta sunt *nomina*.

CAPUT VI.

AD ECCLESIÆ DOCTRINAM, AC DISCIPLINAM SPECTANTIA.

Ex commendatione hæreseon, de quibus egimus cap. 3. colligitur, quænam fuerint Seculo XV. confirmata Fidei Catholicæ dogmata: Ecclesiam non constare ex solis prædestinatis, esse visibilem, habere constitutum a Christo, non a Cæsare, caput, id est, Pontificem; hunc, licet perditis moribus, esse successorem Petri, habere potestatem *clavium*, & facultatem concedendi Indulgentias; Sacramentorum septenarium esse numerum, in Eucharistia fieri assertam a Catholicis *transubstantiationem*, in Missa verum offerri Deo sacrificium, necessarium non esse singulis communionem Calicis, promiscuum concubitum esse illicitum, aliaque Romanæ Ecclesiæ statuta ad fidem, moresque spectantia esse inconcussa ac firmissima, præcitata hæresum proscriptio iterum, iterumque suadet.

Abusus

(*m*) *S. Catharina* Bononiensis scripsit librum Revelationum aliaque commemorata a Vadingo.

Abusus plurimi decreto Synodi Basileensis anno 1444. fuerunt sublati, & eradicatæ quædam Fratrum Mendicantium opiniones, asserentium, Parochos non teneri festis diebus Missas in suis Paræciis audire, vel celebrare: morientes in habitu Fratrum Minorum Purgatorii pœnas evadere: Mendicantibus fas esse confessionem omnium audire, & pœnitentibus impendere absolutionem, facultate nec obtenta, nec petita ab Episcopis; atque his nefas esse aliquorum criminum, præter casus in Jure expressos, absolutionem sibimet reservare. Cum multorum scandalo auditæ sunt intempestivæ quæstiones, nimio exagitatæ fervore, ut Joannis Parvi de licita Tyrannorum occisione, & quæ diu viguit inter Fratres Prædicatores ac Minoritas, de seperatione divinitatis a Christi sanguine in Parasceve e corpore effuso.

Verum institutis regularium amplitudo, & decor accessit. Etenim anno 1419. (*n*) S. Bernardinus Senensis ad rigidiorem vivendi formam revocavit Fratres Minores, unde nuncupati sunt *Observantes*. Cisterciensibus non procul a Toleto anno 1425. pristinum indidit Spiritum *Martinus Vargas*. Franciscа Romana Moniales, quæ Romæ vocantur *Turris Speculorum*, instituit anno 1433. sub regula Monachorum M. Oliveti. Ordinis Minimorum an. 1435. fundamenta posuit *S. Franciscus* de Paula. In Augustiniana Familia anno 1444. (*o*) instituerunt

(*n*) Duæ Congregationes brevitatis causa prætermittuntur, Canonicorum Regularium, ab Ecclesia S. Donati in Scopeto nomine *Scopetinorum*, Seculo ineunte instituti a F. Stephano Senensi Ord. Erem. S. P. Augustini. Et Congregatio S. *Justinæ* Ord. S. Benedicti, sub initio pariter hujus Seculi instituta Patavii. Eremitarum montis Fesulani meminimus superiori capite.

(o) Dominicus Ant. Gandolphi pag. 231. diss. Hist. de CC. Script. initia hujus Congreg. refert ad annum 1439. *Georgium* Cremonensem auctorem principem facit. Hunc plures (Graveson etiam, ac noster Florez) falso appellant Gregorium.

Congregationem Insubricam *F. Joannes Rocchus* Papiensis, & *B. Georgius* Cremonensis, curante *Gerardo* Ariminensi Priore Generali. Congregationem alteram, S. Mariæ Consolationis nuncupatam, instituit anno 1473. *B. Joannes Baptista Podius* Genuensis. Clerici Regulares, quos *Barnabitas* vocant, propagari cœperunt anno 1484.

Ex pluribus Ordinibus Equestribus duos nobiliores commemorabo duntaxat, nimirum *Velleris Aurei*, & *S. Mauritii*. Primus auctorem habuit Philippum II. Burgundiæ, & Brabantiæ ducem anno 1430. alter Amadeum VIII. ducem Sabaudiæ, de quo in superioribus plura, anno 1434.

Relati solemni cæremonia inter Sanctos fuerunt ab Eugenio IV. anno 1446. (*p*) *Nicolaus Tolentinus*: a Nicolao V. anno 1450. *Bernardinus Senensis*: a Callixto III. anno 1455. *Vincentius Ferrerius*, & anno 1457. *Osmundus* Ep. Sarisberiensis: a Pio II. anno 1461. *Catharina* Senensis: A Sixto IV. anno 1481. *Berardus*, aliique fratres Minores, anno 1220. martyrium perpessi Marochii: an. 1482. Ecclesiæ Doctor *Bonaventura*, atque ab Innocentio VIII. anno 1485. *Leopoldus* Austriacus.

Annum Jubilæi, quem Bonifacius VIII. singulis annis centenis, Clemens VI. quinquagesimis, & Urbanus VI. trigesimis tertiis, ut alibi diximus, (*q*) statuerant esse celebrandum, Nicolaus V. rursus ad annos quinquagesimos revocavit, & Sixtus IV. ad XXV. ut servatur hactenus, coarctavit. Celebratus est itaque anno 1475. Rosarii B. M. V. devotio

(*p*) Nicolaus inter Sanctos relatus est die 5. Junii in festo Pentecostes. Sumptum ab Augustinianis factum excessisse summam aureorum quinque mille scribit quoque Ciaconius. Extat inter Eugenii IV. numismata unum cum inscriptione, *Nicolai Tolentinatis sanctitas celebris redditur. Sic triumphant Electi.*

(*q*) Sec. XIII. & XIV. cap. 6.

tio auctore *B. Alano* circa annum 1473. cœpit ardentius exerceri, & propagari, ut constat ex laudati Pontificis Sixti IV. Constitutione 18.

APPENDIX

SIVE

RERUM ALIARUM HISTORICARUM.

COMPLEXIO.

A Regum nominibus, & ab imperio Turcarum hanc Syllogen auspicamur, bellorum exitus, eventus alios, & litterarum fortunam subjicientes. Galliarum Rex *Carolus VII*, an. Chr. 1422. migravit e vita. Huic successit *Carolus VII.* an. 1461. Tum regnavit *Ludovicus XI.* ad annum usque 1483. Deinde *Carolus VIII.* usque ad annum 1498. regnum administravit. Successor ejus *Ludovicus XII.* an. 1515. cum mortali vita terrenum regnum absolvit.

In Hispaniis post Henricum III. qui obiit anno 1407. Castellæ, & Legionis regnum gubernarunt *Joannes II.* & *Henricus IV.* Eo autem absque virili prole defuncto, soror ipsius *Isabella* nupta Ferdinando V. Principi Aragonensi, & Regi Siciliæ. Ita ex duobus regnis Castellæ & Aragoniæ una Hispaniarum Monarchia facta est anno 1474. *Ferdinandus* autem V. migravit e vita anno 1516. Regnaverant vero in Aragonia ab anno 1410. *Ferdinandus Alphonsus*, & *Joannes* præter Ferdinandi V. cui nuptam diximus Isabellam: atque in regno Navarræ post Carolum *Nobilem Blanca Eleonora* nupta Gastoni Comiti Septumanorum, sive Occitaniæ, *Franciscus Fuzienſis* nepos Gastonis cognominatus *Phœbus*, atque *Catharina* item Fuzienſis, qua nupta Joanni Alberto, etiam regnum Navarrense anno 1512. conjunctum est Monarchico Hispaniarum

Prin-

Principatui. Lusitaniæ regnum post obitum Joannis I. administrarunt *Eduardus*, *Alphonsus V.* *Joannes II.* & *Emanuel I.* cui anno 1521. successit *Joannes III.* (r)

Bajazethe a Tamerlane devicto anno 1402. die 28. Julii, Turcæ attriti, & principe destituti a Græcis Constantinopoli, quam obsidione vallaverant, fuerunt expulsi: atque Tamerlane ad indos reverso, præficitur *Isa* Bajazethis Filius. At is a fratre *Emir-Soleimane*, seu *Solimano I.* bello vincitur, & occiditur. *Solimanus* Mousa fratre laqueo perimitur anno 1412. Eodem mortis genere ab altero fratre, nempe Mahumete, *Mousa* tollitur e vita. *Mahumetes* hujus nominis *I.* anno 1422. debitum naturæ persolvit. Ei successit *Amurathes II.* qui non semel a *Scanderbejo* bellis lacessitus, anno 1450. vitam, imperiumque dimisit. Imperium deinde occupavit *Mahumetes II.* dominator Asiæ, duorum Imperiorum, C. P. ac Trapezuntini eversor, anno tandem 1481. & ipse fato peremptus. Huius filius, & imperii hæres *Bajazethes II.* a proprio filio *Selimo* armis coactus cessit imperium, & ejusdem filii opera veneno extinctus est anno 1512.

Memorato Turcarum Imperio, gesta ab iis contra Christianos bella sequuntur. Itaque anno 1425. irruperunt in regnum Cypri, illud vastarunt, Venetorum imperatorem Ragonettum Priulium crudelissime interfecerunt; proximo anno occuparunt Nicosiam capto Rege, quem anno 1427. restituerunt, vectigalem tamen ac subjectum. Thessalonicæ cum ingenti Venetorum clade anno 1431. potiti sunt. Antigoniam Urbem Epiri anno 1434. Amurathes II. expu-

(r) Cœperunt regnare in Anglia anno 1413. *Henricus V.* Anno 1422. *Henricus VI.* Anno 1483. *Eduardus.* Eodem anno *Richaredus III.* Anno 1485. *Henricus VII.* & anno 1509. *Henricus VIII.* auctor Schismatis. In Polonia autem anno 1434. *Uladislaus V.* Anno 1444. *Casimirus IV.* Anno 1492. *Joannes Albertus.*

expugnavit. In Hungariam anno 1437. truculentus irrupit. Captam a Mahumete II. anno 1453. capite 5. C. P. dictum supra. Corinthum anno 1448. in sui potestatem redegerunt, & ad vectigalia pendenda compulerunt Peloponesum. Bosna excoriato Stephano Rege, Turcis cessit anno 1463. Theodosiam, vulgo Caffam, eripuerunt anno 1475. Genuensibus, jam Stiria, & Carinthia incursionibus non semel vexata. Capta anno 1480. civitate Hydrunti, Episcopum serra lignea scisserunt. Venetis anno 1499. Urbem Æoliæ Naupactam, vulgo *Lepantum*, abstulere, inde cædibus ac rapinis Forum Julii usque irruentes. Illud adnotare sat erit, solum Mahumetem II. præter Imperia duo, duodecim regna, urbesque supra ducentas imperio suo subjecisse. Longe minora sunt, quæ Turcis contigerunt adversa. Frustra anno 1428. Cretam insulam, & an. 1444. Rhodum aggressi sunt. Non una tantum vice cum Schanderbejo adverso marte pugnarunt, anno præsertim 1465. Recuperato Hydrunto ab Alphonso Calabriæ duce anno 1481. in captivitatem redacti sunt quotquot illic aderant.

Sunt quædam res post cruenta bella narrandæ. Verona Scaligerorum sedes anno 1405. venit in potestatem Reipublicæ Venetæ. Ladislaus Rex Apuliæ anno 1408. Romam hostili manu aggressus ad fugam a Paulo Ursino compellitur. Exorta anno 1418. seditione Parisiis, interfecta fuerunt a populo fere duo millia studiosorum adolescentium. Genua anno 1423. expugnata fuit a Philippo duce Mediolanensi. Veneti cum Florentinis anno 1427. juncti sunt fœdere. Joanna puella Lotharingiæ arma induens anno 1428. & Gallis auxiliares copias adducens, strenue pugnavit adversus Anglos, sed ab his capta anno 1429. viva combusta fuit Rotomagi. (s) Genuenses anno 1434. sese vindicarunt in libertatem. Galli anno 1436. receperunt Lutetiam Parisiorum,

(s) Anno potius 1430. capta Compendii, vulgo *Compiegne*. Dicta *Joanna d' Arckh*, & *puella Aurelianensis*. Ejus patria *Domremy*.

siorum, quam occupaverant Angli. (*t*) Laurentius Mediceæ Gentis decus, litterarum Mecœnas & princeps patriæ (*u*) obiit Florentiæ anno 1492. quo anno Christophorus Columbus Ligur novum Orbem Hispanis & Lusitanis aperuit. Americus item Vesputius Florentinus anno 1497, quartam illam Orbis partem invenit, quæ ab illius nomine nuncupatur America.

Addamus de Litterarum incrementis perpauca. Patrocinio prælaudati Laurentii Medicei complures suffulti, ingenii sui vires exercere studuerunt. Hos inter celebrantur *Christophorus Landinus*, *Angelus Politianus*, *Laonicus Calcondylas*, *Marsilius Ficinus*, *Joannes Lascaris*, aliique. Christophori ignoratur annus emortualis, sed ejus in Danthem Commentaria primo in lucem prodierunt Venetiis anno 1487. Obitus Politiani consignatur anno 1494. Florebat Chalcondylas circa annum 1484. Joannes Lascaris a Laurentio missus in Græciam, ut rariora MSS. perquireret, magnopere in Etruria per Idem tempus Græcarum Litterarum cultum promovit. Marsilii Ficini immortalis spiritus ex angustiis corporis exiit anno 1499. Ad Mediceas ædes, tanquam ad Musarum asceterium, etiam convolarunt vir summus *Ermolaus Barbarus* Venetus, & Ingeniorum phœnix (*x*) *Joan-*

(*t*) Quibusdam in Westphalia deficientibus ab Episcopo Colonienſi anno 1446. ad Adulphum Clivensem Principem, ingeniose adnotatum tempus versu II. Psalmi 31.

NoLIte fIerI sICVt eqVVs, & MVLVs, qVIbVs non est InteLLeCtVs.

(*u*) *Laurentius* filius fuit Petri II. Medicei, & frater Juliani in factione *Pazzorum* interfecti anno 1478. discipulus Gentilis Arretini, ac pater Petri, qui ei successit in patriæ regimine, & Joannis, qui ad summum Pontificatum ascendit assumpto nomine Leonis X.

(x) *Joannes Picus* Mirandulanus, ambo extincti anno 1494. Atque hi eruditione claruerunt omnigena, Adde *Joannem Aventinum*, *Gerardum Mercatorem*, *Julium Cæsarem Scaligerum*, *Joannem Sleidanum*, *Joachimum Camerarium*, *Georgium Fabricium*, *Raphaelem Volateranum*, *Wolphgangum Lazium*, &c.

Quaslibet autem facultates exornarunt peculiari ratione viri doctissimi. Nam quis de Latina Lingua, & de eloquentia plus meruit *Ambrosio Calepino*, (y) & *Laurentio Valla*? Ambrosius Augustinensis, auctor dictionarii, quod omnium teritur manibus, ex Bergomensi familia Comitum Vallis Calepiæ, ex qua cum ipsi, tum Latinis Lexicis deprompta est appellatio, ad annum 1511. pervenit. Florebat eruditione, & eloquentia circa annum 1460. & toto deinceps vertente Seculo *Joannes Jovianus Pontanus*. Laurentius Valla decessit Romæ anno 1465. sequenti epitaphio in Ædc Lateranensi cohonestatus.

Laurens Valla jacet, Romanæ gloria linguæ;
Primus enim docuit, qua decet, arte loqui.

Excelluere Oratoria arte *Jannotius*, *Manetti* Florentinus, *Bartholomæus Facius* Genuensis, & *Augustinus Dathus* Senensis; de quibus ait etiam Caveus ad annos 1440. 1450. & 1460. Sola Florentia tres Historicos percelebres præ cæteris produxit,

---

(x) *Joannes Picus* natus A. 1463. obiit anno ætatis suæ 32. nondum exacto, eique inscriptum Epitaphium:

Joannes jacet hic Mirandula. Cætera norunt
Et Tagus, & Ganges, forsan & Antipodes.

Obiit Picus die XV, Cal. Decembris, quo die Florentiam ingressus est Carolus VIII. Rex Galliarum.

(y) Ambrosii Calepini dictionarium in lucem primum prodiit anno 1504. unde editio anni 1509. dicata Ægidio Viterbiensi est 2. non prima.

duxit, *Poggium Bracciolini*, *Matthæum Palmerium*, & *Benedictum de Aceoltis*: Aretium *Leonardum Brunum*: Chiensis Insula *Leonardum Justinianum*. Contigit Poggii obitus an. 1459. Palmerii anno 1475. Benedicti anno 1466. Brunus decessit an. 1443. aut sequenti: Justinianus post an. 1453. Notatur autem Poggius Epigramate Sannazarii, (z) quod Florentinorum discordias præterierit silentio; & Palmerio (a) quoniam docuit Pithagoricam animarum transmigrationem. Leonardo Bruno in Florentino S. Crucis Templo erectum fuit cum epitaphio (b) marmoreum sepulchrum, atque in ejus funere eloquentissimam habuit orationem prælaudatus Jannotius Maneti. Synchronus iis fuit *Hugolinus Verini*, qui Florentiam perpolito Carmine illustravit, aliaque plura metro conscripsit. (c) Hoc demum Seculo de rerum inventione scripsit

---

(z) Actii Sinceri San. de Poggio Epigr.

Dum patriam laudat, damnat dum Poggius hostem,
Nec malus est civis, nec bonus Historicus.

(a) De Palmerio Hugolinus Verinus lib. 2. Illustr. Fl.

Tu quoque, Palmeri, quamquam te ceperit error
Spirituum, haud parvo es celebrandus honore.

(b) Inscriptio ad Leonardi Aretini Sepulcrum in Templo FF. Minorum Conventualium Florentiæ:

Postquam Leonardus e vita migravit, Historia luget, Eloquentia muta est, ferturque Musas, tum Græcas, tum Latinas lachrymas tenere non potuisse.

(c) De Poetis *Maphæo Vegio*, *Angelo Politiano*, *Francisco Philelpho*, & *Michaelle Marullo*, qui periit submersus in Cæcina Hetru-

ſcripſit *Rodulphus Agricola*, qui libros ſuos abſolvit an. 1480. Excelluerunt poſtremo *Joannes* de Imola Jurisprudentia, & eodem fere tempore *Baldus*: Matheſi *Joannes* Regiomontanus: Latinitate *Pomponius Lætus*: de quo vide ſupra cap. 3. Excelluit inter Rhetores *Bartholomæus Fontius* Florentinus eodem tempore, quo memoratus Angelus Politianus: atque de illo ſcriptum reperi.

Fontius eſt Rhetor, pubis moderator Hetruſcæ,
Judicio, & nulli morum pietate ſecundus.

Ad Scientiarum ornamentum haud mediocriter contulerunt inſtitutæ, aut reſtauratæ hoc Seculo Academiæ. Herbipolenſis in Franconia initium habuit an. 1403. Baſileenſis an. 1459. Friburgenſis an. 1460. Ingolſtadienſis anno 1472. Moguntina an. 1482. Melioribus legibus anno 1452. formata Schola Pariſienſis, & elegantioris doctrinæ Præceptoribus inſtructa Monaſterienſis in Weſtphalia anno 1490. (*d*)

Contulit demum quamplurimum ad litterarum ſplendorem, & ſtudioſorum commodum artis Typogra-

---

truriæ amne, vide Voſſium *de Poetis Latinis* cap. 7. Inter Florentinos excelluit quoque *Paulus Pauli F.* de quo Hugolinus Verinus:

Quid Paulum memorem? terram qui norat, & aſtra,
Qui Perſpectivæ libros deſcripſit, & arte
Egregius Medica multos a morte reduxit.

(*d*) Inſtitutæ ulterius fuerunt Academiæ Taurinenſis anno 1405. Lipſienſis anno 1408. Lovanienſis anno 1426. Lovanienſem Academiam, quam Joannes dux Brabantiæ inſtituit anno 1426. Eugenius IV. confirmavit anno 1431. Codaniæ, vulgo *Copenhagen* in Dania, initium habuit an. 1479 auctore Chriſtiano I. Andreapolitana anno 1431. Valentina anno 1452. Nannetenſis an. 1460. & Roſtochienſis an. 1490.

pographicæ inventio. Hanc Hiſtorici referunt ad annum 1440. & auctorem faciunt *Joannem Gotteburgen* Argentoratenſem, commorantem Moguntiæ. Hanc artem *Sixtus Ruſinger*, & *Uldaricus* quidam Germanus circa annum 1470. Romam, ac Neapolim traduxerunt. Exercuerunt illam primitus *Joannes Fuſt*, & *Petrus Scoeffer* item Germani. In Gallias primum intulit circa annum pariter 1470. Ulricus Gering Conſtantienſis. Ad perfectionem adduxere Venetiis circa annum 1500. *Aldus Manutius*, & Pariſiis *Robertus Stephanus*. Antiquiores libri, qui absque loci, & Typographi nomine inveniuntur impreſſi, ſunt *Pſalmorum Codex* an. 1457. *Rationale Divinorum Officiorum Guilelmi Durandi* anno 1459. *Catholicon Joannis Bladi de Janua* an. 1460. *Decor puellarum* an. 1461. *Biblia* Latina an. 1462. Moguntiæ autem cum nomine Joannis Fuſt, & Petri Scoeffer impreſſum fuit an. 1465. Opus Ciceronis *De Officiis*. Qui artis tam præclaræ inventionem Germanis invident, ajunt apud Sinenſes, & Mexicanos ante plures annos obtinuiſſe: ſed iis, quos laudavi, artem litterarum fuſoriam, formam, notasque, & dictiones, ac pagellas conjungendi facilitatem, non poſſumus denegare. (e)

(e) De artis typographicæ inventore Aprutinus Epiſcopus:

Imprimit ille die, quantum non ſcribitur anno,
Et quidam illius ævi Teutonicus:
Nuper ab ingenio Rhenanæ gentis & arte
Librorum emerſit copia larga nimis.
Et qui e divitibus vix Regi obvenerat olim,
Nunc liber in tenui cernitur eſſe caſa.
Quæ doctos latuit Græcos, Italosque peritos,
Ars nova Germano venit ab ingenio.

DECIMUM SEXTUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

PONTIFICES, QUI SECULO XVI. PRÆFUERUNT ROMANÆ ECCLESIÆ.

Obitum Alexandri VI. Rom. Pontificis consignavimus an. 1503. die 18. mensis Augusti. Quo extincto usque ad Seculum XVII. successive Romanæ præfuerunt Ecclesiæ, *Pius III. Julius II. Leo X. Hadrianus VI. Clemens VII. Paulus III. Julius III. Marcellus II. Paulus IV. Pius IV. S. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Urbanus VII. Gregorius XIV. Innocentius IX. Clemens VIII.*

CCXVII. Pius III. antea Franciscus Card. Piccolominus Senensis, filius Laudimiæ sororis Pii II. atque singulari doctrina præditus, prout ejus apud M. Ant. Sabellicum declarant Epistolæ XV. Cal. Nov. an. 1503. quæ erat Pontificatus sui vicesima sexta dies, exequi res, quas meditabatur maximas, præveniente morte, non potuit.

CCXVIII. Suffectus Pio III. *Julius II.* seu Julianus Cardin. Robertus Ligur, & nepos Sixti IV. De illo Erasmus interpretatur adagium, *De remo ad tribunal*, & Hadrianus Junius alterum

proloquium, *de scapha in triumphalem quadrigam;* quod adolescentulus navicula *Arbizuola* Genuam cæpas detulerit. Priusquam clauderetur Conclave, summo omnium assensu electus est Pontifex; neque præcedentis alicujus Pontificis; sed, *Julii Cæsaris,* inquit Papirius, *ob bellicam virtutem celeberrimi* nomen assumpsit. De illo præcitatus Erasmus Bononia an. 1506. ad Hieronymum Buslidianum scripsit: *In præsentia quidem in Italia mire frigent studia, fervent bella. Summus Pontifex Julius belligeratur, vincit, triumphat, planeque Julium agit.* Perusia expulit Balliones, Bononia Bentivolos. Magnificentissimæ Vaticanæ ædis, architecto Bramante, fundamenta projecit, ad stipem colligendam apertis indulgentiarum thesauris. Savonæ item Templum Virginis, & Episcopium splendido sumptu ampliavit. Adversus Conciliabulum Pisanum indixit Synodum V. Lateranensem Oecumenicam; sed nondum absoluta obiit anno 1513. IX. Cal. Martias, clarus elogio Hieronymi Fracastorii, & Carmine Hadriani Cardinalis; notatus tamen (*a*) epigrammate Gilberti Ducherii.

CCXIX. Joannes Cardinalis Mediceus Flor. successit Julio, nomenque *Leonis X.* assumpsit Pontificatum, quem consecutus fuit an. 1513. V. Idus Martii, repentina morte dimisit an. 1521. Cal. Decem-

---

(*a*) Epigramma:

In Gallum, ut fama est, bellum gesturus acerbum
Armatam educit Julius urbe manum;
Accinctus gladio claves in Tibridis amnem
Projicit, & sævus talia verba facit:
Cum Petri nihil efficiant ad prælia claves,
Auxilio Pauli forsitan ensis erit.

cembris. (b) Lateranensem V. Synodum absolvit: Lutheri in Romanam Ecclesiam debacchantis proscripsit articulos: Henricum VIII. qui eumdem Lutherum impugnavit, (c) titulo decoravit *Defensoris fidei*. Litteras magnopere coluit, atque magno habuit in pretio sapientes viros, poetas præsertim; nec non musicos, ac pictores, inter quos Raphaelem Urbinatem. Veterum MSS. diligentissime perquiri curavit, lusitque & ipse aliquando ex tempore festivis versibus. (d) Qui illum infectum lue venerea, simoniaca labe, magicis præstigiis, vitiisque plurimis scripserunt, cæcutientes non viderunt operum, ac virtutum ipsius magnitudinem. Ii autem, qui ajunt, fabulam reputasse Evangelium, falsidici omnino sunt existimandi,

---

Hadrianus S. R. E. Cardinalis S. Chrysogoni eleganti carmine narrat Julii II. iter, quo Roma Bononiam adiit. Incipit Carmen illud:

Augusti memoranda dies vigesima sexta.
Pontificem magna Roma dimisit Julum,
Pene omni Patrum, & procerum comitante Senatu.

(b) A cubiculario suo *Bernabo* Malespina propinatum Leoni venenum suspicati sunt nonnulli. Vide Guicciard. lib. 14. Leo Filius fuit Laurentii Medicei, & Claricis Ursinæ, discipulus Angeli Politiani, & Bernardi Michelotti, Græcis Latinisque litteris imbutus, creatus Cardinalis anno ætatis suæ 13. Summus Pontifex 37.

(c) Henricus VIII. librum *de VII. Sacramentis* misit ad Leonem X. cum disticho:

Anglorum Rex Henricus, Leo decime, mittit
Hoc opus, & fidei testem, & amicitiæ.

(d) Ejusmodi versus occurrunt nonnulli apud Bayle in dict. v. *Leo X.* & tom. IV. *Histoire des Papes*. Leonem X. oculis caligasse tradunt, & annos Pontificatus sui ita non recte cernendo signasse MCCCCLX. quorum numerorum lepida fertur explicatio: at non credo cæcutientem numeros Romanis litteritam eleganter pinxisse.

mandi, ducti unius Balei in Apostolicam Sedem iniquissimi testimonio, ut fatetur etiam in *Diction.* Petrus Bayle. Miramur & Sannazarium a dicacitate non temperasse, (*e*) scriptitans de Leone Epigramma.

CCXX. Sedit post Leonem *Hadrianus VI.* Trajecti ad Rhenum humili loco natus, doctor Lovanienſis, & præceptor Caroli V. creatus præter omnium opinionem anno 1522. V. Idus Januarii, pacis amator, rerumque omnium contemptor, Berni tamen, Pierii Variani, & Sannazarii (*f*) notatus carmine, adeo, ut verissimum illud sit, *Genus irritabile Vatum*, quod memoravimus superiori Seculo cap. 1. pertractantes de Alexandro VI. Obiit anno 1523. XVIII. Cal. Octobris.

CCXXI. Deinde Ecclesiæ præfuit *Clemens VII.* antea Julius Card. Mediceus, patruelis Leonis X. Electus est anno prædicto 1523. XIII. Cal. Decembris, & decessit anno 1534. VI. Cal. Octobr. Sedente

---

(*e*) Sannazarii Epigramma:

Sacra sub extrema si forte requiritis hora
Cur Leo non potuit sumere, vendiderat.

Extat ejusdem Sannazarii Epigramma aliud, quod incipit: *Sumere maternis titulus cum posset ab urbis*, &c.

(*f*) Sannazarii:

Classe virisque potens, domitoque Oriente superbus
Barbarus in Latias dux quatit arma domos:
In Vaticano noster latet; hunc tamen alto.
Christe, vides cœlo, (proh dolor!) & pateris.

Hadrianum veneno sublatum tradunt aliqui. Ædificato a se magnificis sumptibus Collegio Lovanienſi jussit vestibulo aureis litteris inscribi:

Trajectum plantavit, Lovanium rigavit, Cæsar incrementum dedit.

dente illo contigit depopulatio Urbis, de qua in Appendice. Plura de Clemente VII. Pallavicinus Hist. Conc. Trid. lib. 3. cap. 15. Sanderus lib. 1. de Schismate Anglicano, & Nat. Alex. art. 5. quæ legenda sunt, ut ab imprudentiæ nota Pontifex iste purgetur.

CCXXII. Creatus postea sacrorum Comitiorum initio *Paulus III.* (*g*) antea Alexander Card. Farnesius: qui virtute, fideique zelo fervens in Henricum VIII. Angliæ Regem spiritualia arma convertit, ad comprimendas hæreses Oecumenicum indixit Concilium, decennales inducias inter Carolum V. Imp. & Franciscum I. Regem Galliarum firmavit, persolvitque naturæ debitum anno 1549. IV. Idus Novembris.

CCXXIII. Rexit tum Ecclesiam *Julius III.* a die 8. Februarii anno 1550. usque ad diem 23. Martii anno 1555. quo fatis cessit. Romæ natus, sed ex oppido Hetruriæ Montis S. Sabini oriundus obscurissimo genere fuit. (*h*) In ejus vituperationem narrant, quod adolescentulum perditæ famæ, & custodem simiæ ornaverit purpura, & illud carpunt, quod sculpi jusserit numisma cum sui imagine, ense appositio, inscriptisque verbis Isaiæ cap. 6. *Gens, & regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Verum cur potius in Julio non commendemus intermissi Tridentini Concilii instaurationem, Hebraici Talmud, librorumque hæreticorum damnationem, & reducendi ad gremium Ecclesiæ regnum Angliæ studium maximum atque ardentissimum?

(*g*) Paulus III. omnium primus anno 1536. edidit Bullam, quæ legitur Romæ feria V. Majoris hebdomadæ & appellatur idcirco *In Cœna Domini*. Incipit, *Consueverunt Romani Pontifices.* Ampliata fuit a S. Pio V. anno 1567. Rursus a Paulo V. an. 1610. Item ab Urbano VIII. an. 1627. Ea nunc obtinet, & incipit, *Pastoralis Romani Pontificis vigilantia.*

(*h*) Illius Cognomen *De Ciocchi.*

CCXXIV. *Marcelli II.* Cervini Politiani, quem ad Pontificatum anno 1555. V. Idus Aprilis boni quique gratulabantur evectum, obitum post dies 21. apoplexia acceleratum Romana civitas, & Universa Ecclesia deflevit. (*i*)

CCXXV. *Paulus IV.* successor Marcelli inauguratus est Pontifex prædicto anno 1555. X. Cal. Junias, obiitque anno 1559. XV. Cal. Sept. Vocabatur antea Joannes Petrus Card. Carafa, Episcopus Theatinus, a quo Clerici Regulares, quorum cum S. Cajetano fuit institutor, *Theatini* cognominantur. Pro fide Orthodoxa irrequiete pugnavit, & sanctissimæ Inquisitionis tribunal privilegiis amplissimis communivit. Improbi homines eam ob rem Pauli statuam in Capitolio erectam, capite abscisso dejecerunt, quam anno 1708. restituit Clemens XI. (*k*) Appositi ad fractum gladiatoris simulacrum, quod Pasquillum vocitant fœdissimi versus; cujusmodi est impudentissimum distichon,

Hic Carafa jacet Superis invisus & imis:
Styx animam, tellus putre cadaver habet.

CCXXVI.

(*i*) *Marcellus* pristinum nomen retinuit in venera tionem S. Marcelli I. Adeo fuit humilis, ut absque solemni pompa, & bellicorum tormentorum strepitu, imponi sibi jusserit Pontificis Maximi tiaram.

(*k*) Eidem Statuæ appositæ inscriptio, *Paulo IV. Pont. Max. scelerum Vindici integerrimo, Catholicæ Fidei acerrimo Propugnatori.* Haud bene moratos nepotes Roma excedere jussit, Hæreticorum libros gravi anathemate legi, & retineri prohibuit, illorumque, & cæterorum noxiorum indicem fieri, & publicari mandavit. Subsidia ad sublevandam plebem annonæ penuriam: dedit operam, ut in Urbe artes omnes quodammodo reviviscerent: Judæis Synagogas excidit, septa coarctavit, usuras inhibuit, glauci coloris pileum indixit: in actu quolibet, in verbis, in incessu, in gestu nihil unquam ostendit non decorum, non honestum, non grave. Nil mirum, si Petrus Paulus Vergerius apostata impudentissimus, aut hujus furfuris homines in tam excelsi animi Pontificem fuerint debacchati.

CCXXVI. In *Pio IV.* ſucceſſore Pauli, eique ſuffecto die 26. Decembris anno 1559. ex Medicea familia Mediolanenſi, cum laudare poſſimus Tridentinæ Synodi complementum, & confirmationem, cum Ferdinando I. Imp. cæterisque Chriſtianis Principibus concordiam maximam, tantaque Urbis ornamenta, ut de hoc Pontifice dictum ſit,

Marmoream me fecit, eram cum terrea, Cæſar,
Aurea ſub Quarto ſum modo facta Pio:

illud commemoramus tantummodo, utique ſanctiſſimum, quod morienti ejus ex ſorore nepos Carolus Borromæus, & Philippus Nerius, viri ſanctiſſimi adſtiterint. Deceſſit IV. ante Idus Decembris anno 1565.

CCXXVII. Rexit deinde Eccleſiam a die 7. Januarii, anni 1566. usque ad Calendas Majas anni 1572. *S. Pius V.* Ord. Prædicat. Inſuber, dictus antea Michael Ghislerius. Hujus in propugnanda fide ſolicitudinem, in Deiparam Virginem devotionem, in comparanda adverſus Turcas expeditione curam ſtudiumque, in devovendo diris Eliſabetham Anglorum Reginam, Apoſtolicum zelum, in ſolando Mariam Stuartam Scotorum Reginam paternum amorem, in juvando auxiliariis militibus pecuniisque Chriſtianiſſimum Regem Carolum IX. contra Huguenotos pugnantem, liberaliſſimum animum, cæteraque omnium virtutum decora, mirari quidem, at celebrare ſatis non poſſumus. Id in ejus funere omni eloquentiæ vi præſtare tentavit Marcus Antonius Muretus orator percelebris.

CCXXVIII. Promotus poſtea ad ſupremum Eccleſiæ regimen *Gregorius XIII.* id eſt, Hugo Boncompagnus Bononienſis. Contigit ejus electio anno 1572. III. Idus Majas, obitus anno 1585. IV. Idus Aprilis. Præcipua ejus merita complectitur inſcriptio ad illius Statuam erectam in Capitolio. Ea hiſce concepta eſt verbis: *Gregorius XIII. Pontif. Max. Ob farinæ vectigal ſublatum, Urbem templis, &*

operibus magnificentissimis exornatam, H. S. octinginties singulari beneficentia in egenos distributum. Ob Seminaria exterarum nationum in Urbe, ac toto pene terrarum Orbe, Religionis propagandæ causa, institutа, ob paternam in omnes gentes Charitatem, qua ex ultimis novi Orbis insulis Japoniorum Regum Legatos triennii navigatione ad obedientiam Sedi Apostolicæ exhibendam primum venientes Romam pro Pontificia dignitate accepit, S. P. Q. R. (*l*)

CCXXIX. Sequitur *Sixtus V.* antea Felix Peretti, Ord. Min. in Piceno ortus humili loco, sed animi magnitudine, rebusque præclare gestis nulli fere secundus. Debet illi plurimum Romana Civitas, ædificiis, fontibus, obeliscis, Vaticana Bibliotheca, templis, stratisque viis exornata: debet Ecclesiasticæ ditionis amplitudo latronibus, improbisque hominibus expurgata. Debet Apostolica Sedes ob vindicatam Jurisdictionem, ob ærarium summopere adauctum, ob Quirinales ædes instauratas & ampliatas. Lauretum jure Civitatis donatum, Picenum universum, & Mendicantium Ordines, ex quibus ad Vaticanam Purpuram saltem quatuor Theologos adsumi Constitutione decrevit, Sixto plurimum debent. Pontifex iste litterarum patronus, sapientum Mecænas, insectator vitiorum, cunctis, etiam summis Principibus æque diligendus, ac formidandus, creatus fuit anno 1585. VIII. Cal. Majas,

---

(*l*) *Calendarium*, quod ab ejus nomine dicitur *Gregorianum*, anno 1582. emendatum prodiit, publico diplomate in toto Orbe Christiano servandum; quamquam illud Græci, & Novatores rejiciunt, levi ratione ducti, quod nempe Calendarium reformare munus sit Laicorum Principum, propterea quod illud opera Sosigenis confecerit Julius Cæsar, correxit Augustus, aliique Imperatores immutaverint. Vid. Blondel. *Histoire des Calendriers Romains.* Futilis ratio: quæ enim ad Festorum immobilium spectant celebrationem, decernere Ecclesiastici est juris; definitus a PP. Nicænis celebrandi Paschatis dies; statutæ ab aliis Synodis, Ecclesiarumque Pastoribus, & de uno in alium diem translatæ Solemnitates complures.

jas, & lenta febri, non abſque ſuſpicione veneni, extinctus anno 1590. VI. Cal. Septembris. (*m*)

CCXXX. Urbani VII. antea Joannis Baptiſtæ Card. Caſtanei, patria Genuenſis, erogatum in puellarum dotes univerſum patrimonium (*n*) commemorabo duntaxat; nam ad Sacerdotii culmen provectum

---

(*m*) Præter numiſmata, & inſcriptiones plurimas, quæ Sixti egregia facta declarant, extant in Bibliotheca Vaticana hæc de illo diſticha:

I. *Omnia tuta vides, caput Orbis Præſide Sixto*
Aſtrea eſt terris reddita, paxque mari.

II. *Sicarios Sixtus zelo auſpice perdidit, inde*
Ubertas campis reddita, paxque gregi.

III. *Quæ fuit a parco congeſta pecunia Sixto,*
Turcæ erit exitium, præſidiumque Petri.

IV. Ob erectam, & Apoſtolo Paulo conſecratam Antonini columnam:

Jure Antoninum Paulo vis Sixte ſubeſſe.
Nam vere hic Pius eſt, impius ille Pius.

V. Ob aquas ad Centumcellas deductas.

Urbs vicina mari mediis ſitiebat in undis
Nunc dulces Sixti munere potat aquas.

VI. *Pontinas Sixtus potuit ſiccare Paludes,*
Fontibus ut potuit ſicca rigare loca.

Cætera prætermitto.

(*n*) Adſcendit hæreditas illa ad triginta aureorum millia: dotesque illæ adauctæ diſtribuuntur Virginibus Romæ in Æde S. Mariæ *ad Minervam* nuncupatæ, VIII. Cal. Aprilis, a Sodalitio inſtituto a Joanne S. R. E. Card. Turrecremata Ord. Præd.

vectum XVI. Cal. Octobris cit. anno 1590. VI. Calendas ejusdem menſis.

Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo,

Æn. XI. 28.

CCXXXI. Nec diuturnus Pontificatus *Gregorii XIV.* antea Nicolai Sfondrati Mediolanenſis, a quo Cardinales Regulares birretum rubrum acceperunt; regimen quippe Eccleſiæ ſibi commiſſum anno 1590. die 5. Decembris, migrans ad plures dimiſit proximo anno 1591. die Octobris decima quinta.

CCXXXII. Quid *Innocentius IX.* ſubrogatus Gregorio die 29. Octobris? Vocabatur antea Joannes Antoninus Fachinetti Card. Bononienſis omnibus integritate, eruditione ac prudentia acceptiſſimus. Miſertus egenorum multiplicavit annonam; ſed utiliora meditantem die 29. Decembris citiſſima mors extinxit.

CCXXXIII. At decennium ac menſem in Pontificatu exegit *Clemens VIII.* Florentinus ex nobili Aldobrandina Familia, cui nomen pridem Hippoliti. Etenim conſecutus eſt ſummum Eccleſiæ Imperium anno 1592. III. Cal. Februarias, ac depoſuit morte anno 1605. die 3. Martii. Henricum IV. Galliarum Regem adhærentem hæreticis deponi curavit, ſed profeſ-

---

Præd. cujus inſtitutionis cauſa ſignificatur verſibus in Sacrario ejusdem Ædis *ad Minervam* marmore inſculptis:

Ne male patrandis ſtupris, quod avara merendo
Forma puellaris, ſæpe coegit inops.
Annua pauperibus ſtips eſt, hic penſa viritim
Dosque maritandis condita virginibus.
Munus & officium Sancti celebrate Quirites,
Cum vicena venit Martia quinta dies;
Terreſtri ut cenſu cœleſtia regna paretis,
Pollicita & vobis centupla meſſis erit.

profeſſum poſtea Catholicam fidem ſolvit anathemate, & in Eccleſiæ ſinum recepit. Alphonſo II. Eſtenſi absque liberis mortuo, recuperavit Ferrariam, eamdemque Urbem adiit XXVII. Cardinalium Comitatu. Ob excitatas circa doctrinam Ludovici Molinæ de Concordia liberi arbitrii cum donis divinæ gratiæ graviſſimas contentiones, inſtituit Congregationes de Auxiliis, mandans, ut ad mentem S. P. Auguſtini, cujus ſententias Pontifex ipſe accurate collegit tota dirimeretur controverſia. Indixerat autem Clemens, quando decubuit, earum Congregationum diſputationem trigeſimam octavam.

De obitu autem ejusdem Pontificis Urbani VII. & deceſſoris ſui Sixti V. legimus morale, quod hic ſubjicitur, Epigramma editum a quodam Petro Lindebergio:

Pontificum properata volunt quid funera bina?
Vult certe his aliquid ſignificare Deus.
Vix magnæ matri Sixtus ſua tradidit oſſa,
Mox eſt Urbanus contumulatus homo.
Ille ubi compleſſet clarus diademate luſtrum:
Hic ubi regnaſſet quinque novemque dies.
Vera loquar, veniam da, Lector, vera fatenti;
Non odium ut dicam, nec facit illud amor.
Si mihi tam ſubito mors vellet demere vitam.
Eſſem qui nunc ſum, non cuperem eſſe Papa.
Vos, o Cardinei Patres, hinc diſcite, quid ſit
Pontificis ſummi, & totius orbis honor.
Orbis honor vanus plane eſt, atque omnia vana
Omnibus at vanis vanior omnis homo.

CA-

CAPUT II.

ENUMERANTUR CONCILIA SECULO XVI. CELEBRATA.

Duo hoc Seculo celebrata fuere Concilia Oecumenica. Lateranense V. & Tridentinum. Quoniam vero illud ad abolendam Pragmaticam sanctionem, actaque rescindenda Conciliabuli Pisani coactum fuit, horum aliqua præmittenda est notitia.

Sanctio itaque *Pragmatica* est Constitutio edita in Synodo Bituricensi anno 1438. sub Carolo VII. Galliæ Rege, qua auctoritas Concilii præfertur auctoritati Pontificis, Episcoporum electio committitur collegio Canonicorum, *expectativis* gratiis locum esse non sinit, prohibet beneficiorum reservationem, declarat possessionem triennalem esse sufficientem ipsorum beneficiorum titulum, numerum Cardinalium ad XXIV. coarctat, aliaque Apostolicæ Sedi injuriosa, & in 23. articulos distributa, definit. Pragmaticam hanc Sanctionem Eugenius IV. Pius II. aliique Romani Pontifices frustra delere tentarunt, donec per *Concordatum* inter Leonem X. & Franciscum I. anno 1516. concessa Regi nominatione Episcoporum, reservata Pontifici confirmatione, aliisque articulis aut omissis, aut emendatis, sedata est controversia. Vide Petrum de Marca lib. *Concordiæ* cap. 9. Sedente itaque Julio II. atque in se prælatorum ac principum, præsertim Ludovici XII. Galliarum Regis indignationem commovente spiritualibus ac temporalibus armis; idem Ludovicus habitis apud Turones comitiis, de indicendo Concilio nationis Germanicæ & Gallicæ, haud dissentiente Maximiliano Imperatore, deliberavit, per litteras quibusdam erga Julium male affectis Cardinalibus ad hoc exequendum permotis.

Istis

Iſtis itaque auctoribus Conciliabulum Piſanum celebrandum anno 1511. Cal. Septembris indictum fuit ab Epiſcopo Gurgenſi Matthæo Lango Cæſaris in Italia Vicario : ac ſtata die Piſis convenere quatuor Cardinales, & quorumdam aliorum Procuratores, ac plures, præſertim Galliarum, Epiſcopi, necnon Maximiliani & Ludovici Oratores. Celebrata Synodus in Eccleſia S. Michaelis Camaldulenſium ; præfuitque Bernardinus *Caravaial* Card. Hiſpanus. At Julius, ut Conventiculum illum diſſolveret, Lateranenſe Concilium indixit, inchoandum proximo anno 1512. die 19. Aprilis, lata quoque in eos, qui Piſis convenerant, Bulla. Poſt tres ſeſſiones Concilium iſtud Piſanum translatum eſt Mediolanum, ibique lata in Julium depoſitionis ſententia an. 1512. die 21. Aprilis poſt ſeſſionem VIII. fuit abſolutum.

Igitur *Lateranenſe* Concilium V. ſub Julio II. inchoatum eſt anno 1512. tertia die Maji, eloquentiſſima Oratione Ægidii Viterbienſis tunc Auguſtinenſium magiſtri : abſolutum fuit autem ſub Leone X. anno 1517. die 16. Martii. Epiſcopi hujus Concilii quinquennio numerum CXX. nunquam exceſſerunt. Conciliabuli Piſani acta in eo fuerunt reſciſſa, proſcripta Sanctio Pragmatica, Cardinales Schiſmatici veniam petentes, & quæ in Piſana Synodo geſta fuerunt, damnantes, dignitati ſuæ reſtituti, montes Pietatis approbati, Electiones Pontificis Simoniacæ declaratæ irritæ & nullæ, aliaque ad fidem moresque ſpectantia ſaluberrime ſtatuta fuerunt (o).

Tri-

(o) Prior hujus Lateranenſis Concilii ſeſſio habita eſt die 10. Maji. Acta Concilii Piſani reſciſſa fuerunt Seſs. 2. habita die 17. ejusdem menſis. Pragmatica ſanctio proſcripta in Seſſione 4. decima die Decembris. Huic Synodo Generali interfuerunt initio cum Pontifice Julio Cardinales XV. Patriarchæ Alexandrinus & Antiochenus, XXII. Archiepiſcopi cum Aſſiſtentibus Pontificio Solio, & Epiſcopi alii LV. Generales Ordinum Mendicantium, & Oratores Regis Hiſpaniarum, Venete-

Tridentinum Concilium præcedentium omnium Generalium Corona, indictum a Paulo III. anno 1542. XI. Cal. Junias, celebrari cœptum est anno 1545. Idibus Decembris. Interfuerunt autem Cardinales 6. Legati 4. Patriarchæ III. Archiepiscopi 32. Episcopi 228. Abbates 5. Generales Regularium Ordinum 7. Theologi cujusque instituti quamplures. Habitæ sub Paulo III. Sessiones X. octo Tridenti, duæ vero Bononiæ, quam in urbem translatum fuit ob aeris infectionem an. 1547. Revocatum sub Julio III. Tridentum anno 1551. eodemque Pontifice sex celebratæ fuerunt Sessiones: in quarum postrema, seu Concilii XVI. habita die 28. Aprilis an. 1552., decreta fuit Concilii ob incurrentia bella suspensio. Reassumptum postea an. 1562. sub Pio IV. aliisque novem Sessionibus additis, absolutum est an. 1563. firmatum subscriptione Patrum 255. atque anno proximo 1564. constitutione ejusdem Pii IV. edita Romæ VII. Cal. Febr. confirmatum, & publicatum. Profecto quidquid inter nos, & hæreticos controvertitur, præmissis pluribus discussionibus, hæc Sacrosancta Synodus declaravit ac definivit, nimirum Canonem Divinarum Scripturarum, Apostolicas traditiones, doctrinam de peccato originali, de justificatione, & de gratia, numerum, & effectus S. Sacramentorum, partes pœnitentiæ, transsubstantiationem Eucharisticam, Sacrificium Missæ, quæ pertinent ad Matrimonium, sacrarum Imaginum & Reliquiarum

---

netorum, & Florentini Ducis. Accesserunt anno 1513. dum haberetur sessio 7. Oratores quoque Sigismundi Regis Poloniæ. Advenerunt tandem & Oratores Christianissimi Regis, quorum unus, scilicet Claudius Scrissellus, Episcopus Massilicnsis sessione 9. causam egit Antistitum Galliarum, qui accusabantur propterea, quod ad Synodum non convenerant. Sessione undecima die 19. Decembris anno 1516. promulgatum, prolatumque *Concordatum*, de quo paulo supra, cui tamen non omnes Galliarum Antistites, Procerumque Senatus statim præbuerunt assensum.

rum usum, venerationem, & cultum: iis quæ ad reformationem Episcoporum, Clericorum, Monachorum, cunctorumque fidelium videbantur necessaria, luculenter expositis & constitutis.

Præter duo Generalia Concilia, de quibus pertractatum est modo, alia complura Seculo XVI. celebrata fuere ad fidem Orthodoxam confirmandam, moresque sancte recteque instituendos, videlicet, anno 1528. *Parisiense*, ac *Bituricense*: anno 1536. *Colonienſe*: anno 1549. *Colonienſe* alterum, *Moguntinum*, ac *Trevirense*: an. 1565. *Toletanum Cameracenſe*, & *Mediolanenſe I.* S. Caroli Borromæi. Anno 1569. *Mediolanenſe II.* anno 1573. *Mediolanenſe III.* anno 1576. *Mediol. IV.* anno 1579. *Mediol V.* & anno 1582. *Mediol. VI.* Quæ *Mediolanenſes* Synodi sex celebratæ studio prælaudati sanctissimi Cardinalis & Archiepiscopi Caroli, una cum aliis diœcesanis de quibus legenda sunt *Acta Ecclesiæ Mediol.* Ecclesiastici regiminis perfectissimam normam, Sacramentorum exactam administrationem, Clericorum irreprehensibilem honestatem, Christianæ vitæ rudimenta, rationemque integerrimam, tradunt, declarant, præscribunt. His adde Concilium *Mechlinienſe* an. 1570. *Rotomagenſe* an. 1581. *Burdigalenſe*, & *Remenſe* an. 1583. *Bituricenſe* an. 1584. *Aquenſe* an. 1585. *Toloſanum* an. 1590. *Avenionenſe* anno 1594. & *Aquilejenſe* anno 1596. &c. His vero, de quibus omnes agunt Historici de Synodis pertractantes adjiciamus oportet *Diamperitanam* apud Indos, nuncupatos Christianos *S. Thomæ*, celebratam an. 1599. ab Alexio *Meneces* Augustinensi, & Romanis typis editam, notisque illustratam an. 1745. a Joanne Facundo *Raulin* ejusdem Ordinis.

CAPUT III.

IN QUO HÆRESEON MONSTRA EXPONUNTUR, ET ANGLIARUM SCHISMA DESCRIBITUR.

Nulla ætas Seculo, in quo versamur, hæreticorum hominum, errorumque fuit unquam feracior. Prodierunt enim hac tempestate Lutherus, Melanchton, Flaccus Illyricus, Carolstadius, Zwinglius, Oecolampadius, Bucerus, Petrus Martyr, Ochinus, Joannes Agricola. Osiander Stancarus, Musculus, Brentius-Smidelinus, Storkius, Munsterus, Joannes Leydensis, Calvinus, Castalion, Servetus, Blandrata, Socinus, Marotus, Theodorus Beza, Arminius, & alii.

Ac *Martinus Lutherus* cæterorum antesignanus, natus Islebii anno 1483. ingressus monasterium Erfordiense Augustinianæ Congregationis Germaniæ anno juxta Floremundum 1504. juxta Calvisium vero 1506. cœpit contra Indulgentias bacchari, anno 1517. in alia errorum portenta exinde prolapsus, maxime circa justificationem; & efficacem virtutem Sacramentorum. Ad Generale Concilium anno 1518. audacter provocavit: & anno proximo celebrem habuit Lipsiæ cum Eckio disputationem de Primatu Romanæ Ecclesiæ. Articuli ejus XLI. a Leone X. an. 1520. fuerunt damnati. (p) Addidit

(p) Cœperunt anno 1522. inter Lutheranos etiam mulieres contra monitum Pauli prædicare verbum Dei. Princeps harum mulierum Argula non obscuro exorta genere. Etiam Montanistis suas fuisse Prophetissas Priscillam, & Maximillam alibi diximus. Idem de Pepuzianis tradit S. Epiphanius h. 49. & de Collyridianis h. 79. Irrupit in hæc tempora omnium fere superiorum hæresum colluvio.

didit postmodum alios nequiores, affirmans post Adæ lapsum in hominibus extinctum esse liberum voluntatis arbitrium, impossibilia esse præcepta Dei, peccata, dum remittuntur, non deleri, sed duntaxat non imputari, omnia justorum opera esse inquinamenta, & peccata, timorem gehennæ reddere hominem magis hypocritam, & peccatorem: Romanum Pontificem esse Antichristum, in Eucharistia permanere cum domini corpore substantiam panis, Purgatorium commentum esse Papisticum, fere omnibus Wicleffi, & Hussitarum instauratis deliramentis. Quibus ab Ecclesia, & a Catholicis Universitatibus Theologorum, semel iterumque proscriptis, adeo pervicacior evasit, ut religionis pudorisque jugo prorsus excusso, an. 1525. uxorem duxerit Christo ereptam, id est, monialem Catharinam *de Borè* nuncupatam, apud Erasmum, suosque Sectarios, contemptum derisionem maximam sibi comparans. Pluribus demum accitis discipulis, qui Lutheranæ Sectæ variam formam, ac diversum nomen dedere, sceleratissimam efflavit animam Islebii an. 1546. die 18. Februarii; ejusque cadaver translatum fuit Wittembergam superioris Saxoniæ metropolim.

Philippus *Melanchthon*, quem Montacutius vocat *Theologiæ corculum reformatæ*, & litterarum ac litteratorum decus, Henricus Stephanus fuisse autem eloquentem virum & nos ingenue fatemur: natus est Solicinii (Vulgo *Bretten*) ad Rhenum anno 1497. obiitque Wittembergæ anno 1560. die 19. Aprilis. Is *Confessionem Augustanam* conscripsit, exhibitam Carolo V. in Comitiis Augustæ an. 1530. fuitque dux Lutheranorum, qui *molliores* dicuntur, propterea quod non adeo crude sentiunt de interitu liberi arbitrii, & de necessitate peccandi. Illum propterea ad Religionis ineundam concordiam Franciscus I. Rex Galliarum arbitrabatur idoneum, eumque videre optabat Henricus VIII. Anglorum Rex. At non discessit e Germania. Ibi vita functum diximus supra. Exhumatum illius cadaver, & combustum Monachii scribit Romualdus Monachus Fo-

lienſis; quem tamen falſitatis quidam redarguunt. Falſum quoque videtur quod narrant, (9) Melanchthonem morti proximum matri interroganti, quænam melior eſſet Religio, reſpondiſſe, novas eſſe plauſibiles, Catholicam tamen certam tutamque; nam Melanchthonis mater an. 1529. e vita migraverat. Ajunt denique Melanchthonem prodigiis, inſomniis, & Aſtrologorum vaticiniis nimiam fidem adhibuiſſe, atque inclinaſſe ad Pyrrhonismum, ad eorum nempe ſenſum, qui putant de qualibet re ſuſpendendum eſſe judicium. Nos hoc unum affirmamus, quod idem Melanchthon ſuum ante obitum ſcribens Epitaphium pronuntiavit de ſemetipſo,

Iſte brevis tumulus miſeri tenet oſſa Philippi,
Qui qualis fuerit, neſcio, Talis erat.

Mathias *Flaccus Illyricus* in oppido Iſtriæ Albona ortus an. 1520. obiit Francofurti ann. 1576. die XI. Martii. Venetiis litterarum poſuit tyrocinia, Egnatio tradente. Profectus inde in Germaniam, Lutheri & Melanchthonis fuit auditor. Horum vero dogmatibus addidit affine alterum Manichæismo, tradens originale peccatum eſſe animæ rationalis ſubſtantiam. Ejus propterea aſſeclæ *Subſtantialiſtæ* vocantur. Ut liberius contra doctrinam orthodoxam inſaniret, Partenopoli m, id eſt, Magdeburgum conceſſit; & an. 1557. cœpit in Jenenſi Academia palam docere. Magdeburgi moram agens *Centuriis* Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ colligendis applicuit animum: quarum priora IV. Volumnia prodiiſſe in lucem an. 1560. tradit Spondanus: at tria præcedenti an. 1559. fuerant impreſſa. Suis diplicuit magnopere, quoniam Illyricus in lucem edidit *Ordinem Miſſæ Latinæ*, quæ in uſu fuit circa annum Domini DCC. Id enim abrogantibus Miſſam opponitur. Acerrimus turbarum incentor a Thuano, furioſus Theologus a Montacutio, præjudi-

(9) Florimundus lib. 2. cap. 9.

judicatis opinionibus imbutus a Ric. Simone Illyricus nuncupatur.

Andreas *Carolstadius* cum Zwinglio & Oecolampadio *Sacramentariorum* est auctor. Fuit ille ejusdem cum Luthero ætatis, apud Francones natus. Negabat Christum in Eucharistia reperiri, irrisorie affirmans non esse quemquam fidelium *anthropophagum*. Dogmatizabat Imagines Sanctorum confringendas esse: quæ duo Luthero adversantur. Hinc inter utrumque jurgia ac dissidia. Excedere Wittemberga coactus anno 1524. Orlemundum Thuringiæ urbem se contulit: ad quam Lutherus accedens, auctiore Carolstadio, lapidibus ejectus fuit. Fertur omnium Sacerdotum primum inter Sacramentarios iniisse connubium; atque in hujus commendationem facinoris legitur apud Floremundum lib. 2. cap. 7. *Missa* ad ludibrium conficta. Cæterum Carolstadius haud fama doctrinæ apud Sacramentarios ipsos celebris fuit, sed eum longe superavit Zwinglius, a quo Zwingliani appellantur.

Huldericus *Zwinglius* in Helvetia natus anno 1487. obiit in prælio religionis causa a Tigurinis, & Bernensibus contra finitimos Catholicos inito an. 1531. Apud Tigurinos enim mos est, ut dum exigitur ad pugnam, primarius Minister simul cum milite procedat. Illius cadaver commissa pugna die XI. Octobris, inventum a Catholicis dissectum fuit & combustum. Diximus supra propugnasse in verbis, quibus conficitur Eucharistia, *Metonymiam*, illic nempe adesse autumans signum Dominici corporis, non substantiam. Negavit ulterius Originale peccatum, post Julianum, Pelagianorum deterrimus. In sua ad Francisci I. subdola *Confessione* Paganorum salutem temere asseruit. Valuit patria, id est, Helvetica eloquentia, nec non linguis Latina, Græca, Hebraica, & Germanica.

Joannes *Oecolampadius* Winspergensis, natus in Germania anno 1482. obiit Basileæ eodem, quo Zwinglius anno 1531. mense Nov. ejusque obitum

Munſterus carmine Hebraico, Beza Latino Hendecaſyllabo deplorabunt: Laudatur quoque a Paulo Jovio, ab Eraſmo, a Sadoleto ob eruditionem; in eo tamen recte dicitur perniciosiſſimus, quod Chriſtianæ Hoſtiæ repudiato Sacramento, infecit plurimos Zwinglianæ impietatis veneno.

Martinus *Bucerus* Seleſtadii in Germania natus anno 1491. in Ordine Prædicatorum vixit annos quindecim; deinde anno 1521. cum Petro Martyre, & Paulo Fagio in Angliam profectus eſt, atque an. 1549. Cantabrigiæ palam docuit. Ibidem deceſſit anno 1551. ejusque oſſa regnante Maria, cum oſſibus Fagii an. 1555. effoſſa & concremata fuerunt. Utrique tamen Eliſabetha an. 1560. monumentum erexit. Non unam, ſed tres Buzerus duxit uxores; ex priori, quæ Monialis fuerat, filios tredecim ſuſcepiſſe affirmat Melanchthon. Hermannum de Wida Archiepiſcopum Colonienſem anno 1542. pellexit in hæreſim. Ejus, & Petri Martyris opera, Anglia ferre univerſa corrupta eſt. Studuit, ſed irrito conata Sacramentarios & Lutheranos revocare ad concordiam: habuit cum Calvino epiſtolare commercium; ac videtur agnoviſſe merita bonorum operum; unde ab aliis Sectariis redarguitur, quaſi *Papiſmum* non oppugnaverit, ſed converterit in *Buceriſmum*. Poſſevinus, Prateolus, Lindanus, & Surius narrant Bucerum morti proximum dixiſſe, nondum adveniſſe Meſſiam in lege promiſſum, & obliſſe in pervicacia Judaica. Plura hac de re in Diction. P. Bayle. (*r*)

Petrus *Martyr Vermilius*, cujus ſupra meminimus, Florentiæ natus an. 1500. adoleſcens Ordini Canonicorum Regularium ſe addixit in Feſulano Cœno-

(*r*) Inſani quidam homines hac ætate inchoandum putarunt regnum Chiliarcharum a Cerintho confictum. Ita opiniati ſunt Auguſtinus Weber anno 1530. Thomas Muntzerus anno 1525. in Weſtphalia, atque Joannes a Leyden anno 1534.

Cœnobio. In Angliam transmigravit an. 1547. labente, cum antea Tigurum cum Bernardino Ochino petiisset, inde vero Argentoratum. Isthic, atque Oxonii sacras litteras tradidit; variaque fortuna, & peregrinationibus jactatus, ut inquit Thuanus, obiit Tiguri an. 1562. Idibus novembris. Lucæ cum Emmanuele Tremellio, & Hieronymo Zanchio familiariter usus, singuli consilium discedendi ex Italia cœperunt. Tremellius Ferrariæ natus erat patre Judæo: Heidelbergæ docuit Hebraicam Linguam, Syriacam N. T. Versionem latinitate donavit, & V. Testamentum cum Francisco Junio Biturigiæ, qui pestilentia obiit anno 1602. Lugduni Batavorum, Hebraicos fontes aggressus est emendare. Horum Versionem, quæ primum prodiit anno 1575. Ecclesiæ protestantium summo plausu exceperunt. At *Zanchius* Alzano-Italus paulo post Vermilii discessum, eamdem ob causam concessit Argentoratum, obiitque Heidelbergæ anno 1590.

Quid de *Bernardino Ochino?* Is Minorum, quos Observantes vocant, professus antea Institutum, Ordinem FF. Min. *Cappuccinorum* ingressus anno 1534. magna in eo vixit austeritate usque ad annum 1542. Fuit Concionator celeberrimus, ejusdemque Ordinis Generalis minister, non tamen, ut quidam dixerunt, Institutor. Ab anno enim 1525. F. Matthæus Bassius Cappuccinorum auctor extiterat. Porro Ochinus a Joanne Valdesio J. C. Hispano Neapoli seductus, & in hæresis suspicionem veniens Florentiæ cum Petro Martyre de capessenda fuga deliberavit. Genevæ mulierculam duxit uxorem, inde Augustam; hinc in Angliam anno 1547. migravit. Ex Anglia redux anno 1553. adiit Argentoratum; Argentorato Basileam, Basilea, in pagum Tigurinum concessit. Expulsus hinc est anno 1563. ob editionem *Dialogorum*, quos eodem anno typis commisit Basileæ, absque Tigurini Magistratus licentia; in quorum Dialogorum XXI. approbavit Polygamiam. Ubi ex finibus Helvetiorum excessit, Macedonii hæresim dicitur innovasse, & adhæsisse Ana-

baptiſtis. Annales Cappuccinorum, Martyrum Franciſcanorum ad diem 4. Januarii, & alii tradunt Ochinum pœnitentia ductum Genevæ Martyrem occubuiſſe. Apoſtatam nihilominus periiſſe Morerius, aliique plures teſtantur.

Joannes *Agricola* Islebii natus an. 1492. patria, ac perfidia Luthero conjunctus fuit. Falſo dicitur rediiſſe ad pontificios, quando Carolus V. *Interim* vulgavit. E Saxonia enim conceſſit Berlinum, quæ in Urbe anno 1539. Joachimus II. Elector Pſeudo-evangelicam Religionem recepit, Romana rejecta. Berlini autem obiit *Agricola* anno 1566. homini Epicureo ſimilior, quam pio Theologo, inquit ad præcit. annum Oſiander. Ab hoc Agricola diverſus *Michael Agricola* Aboenſis, qui omnium primus ad hæreſim propagandam transtulit Novum Teſtamentum in linguam Germaniæ Vernaculam. *Oſiander Andreas*, Bavarus nuper commemoratus novam circa Chriſti meditationem ac redemptionem commentus ſententiam, aſſeruit Dominum eſſe humani Generis Reparatorem, & juſtificationis noſtræ efficientem cauſam, *ſecundum ſolam divinam naturam*, humana penitus ſecluſa, & hominem juſtificari ipſa juſtitia, *qua Deus eſſentialiter juſtus eſt.*

Pugnavit adverſus Oſiandrum *Franciſcus Stancarus* Mantuanus: qui ex Italia diſcedens Hebraicas litteras tradidit in Academia Cracovienſi anno 1550. Scripſit *L. Canones*, quibus uterentur Eccleſiæ Poloniæ a Romana diſcedentes. Ut Oſiandrum refelleret, dogmatizavit primum, Chriſtum eſſe hominum redemptorem ſpectata *ſola humana natura*, nihil ad ſalutem conferente divinitate Perſonæ, tum in Arianismum prolapſus Brandratæ, aliisque Antetrinitariis, qui in Poloniam confugerant, perfidiæ ſuppeditavit munimenta. Obiit apud Polonos anno 1574 eique fuit impietatis hæres, filius, & is *Franciſcus Stancharus* nuncupatus, natus anno 1562. mortuus anno 1621.

Andreas *Muſculus*, Stancaro & Oſiandro ſe opponens, docuit ita Chriſtum eſſe Mediatorem *ſecundum*

dum humanam divinamque naturam, ut hanc in Cruce cum humana mortuam, & illam cum divina *ubique esse* contenderet. Quo in dogmate Joanni Brentio, & Jacobo Andreæ ab Hospiniano dicitur succenturiatus. Musculus in Missa ortus, Brandeburgensium Ecclesiarum Lutherana labe corruptarum rector fuit, & curator, obiitque anno 1580. Distinguendus est ab Andrea *Wolfgangus Musculus* Benedictinus excucullatus, inter Lutheranos doctissimus. Duodeciaci in Lotharingia Wolfgangus natus anno 1497. monachalem vestem induit quindennis; eaque abjecta, Margaritam *Barth*, quam & Monachus deperierat, anno 1523. Argentorati duxit uxorem. Cum elegantissime litteras pingeret, suam Bucero libros conscribendo locavit operam. Postea Theologiam docuit Bernæ, ubi decessit anno 1563. die 30. Augusti, splendido cohonestatus Epitaphio. (s) Plura edidit Patrum Græcorum Opera, & e Græca lingua vertit *Historiam Eusebii*, quam postea elegantiorem reddidit Christoforsonus. Scripsit sermones adversus *missam* Anti-Cochlæum, & in sacras litteras Commentaria permulta.

Joanni *Brentio*, & *Jacobo Andreæ* Musculum succenturiatum in doctrina *Ubiquistarum*, dixi nuper. *Brentinus* autem Wilæ in Svevia ortus, colloquiis circa fidem habitis Marburgi, Ratisbonæ, & Wormaciæ interfuit anno 1529. 1546. & 1557. Fuerat Canonicus Wittembergensis, fatisque cessit anno 1570. Filium habuit, *Joannem Brentium* pariter vocatum, professorem Tubingensem in Svevia; ac decessit is anno 1596. *Jacobus Andreas* Weiblingæ patre fabro ferrario natus, unde illi cognomen *Schmidlini* accessit, vita functus est anno 1590.

(s) Epitaph. Wolfangi Musculi.

Musculus hic situs est, doctrina clarus, & ingens
Nomen in orbe manet, Spiritus astra tenet.

Nicolaus *Storchius*, ac *Thomas Munthzerus* (*t*) una cum *Marco Stuber* instituerunt sectam *Anabaptistarum*, qui negant pueros esse baptizandos, affirmant licitum non esse jurare, & nefas Christianis subire Magistratus, & gerere bellum. Non tantum Catholicis, sed etiam hæreticis Principibus exosi, tanquam seditiosi mulctati sunt. Muntzerus audacior Storchio decolatus est anno 1525. cum in Germania truce rusticorum bellum excitasset. *Bernardus Rothmannus* post Muntzerum Anabaptismum anno 1530. Monasterii propagavit. Tam ingenti numero creverunt, ut etiam sibi Reges eligerent. Primum *Joannes Leidensis*, tum *Joannes* alter, quidam postea *Cornelius* nomine, postremus *Joannes Vilelmus* infausto potiti sunt regno. Nam Joannes Leidensis, Urbe Monasterienſi, quam Anabaptistæ occupaverant, recuperata a principe Episcopo anno 1535. ineunte anno proximo forcipibus ignitis disceptus, & adacto per pectus mucrone, miserrime interiit. Joannes alter Bruxellis, Cornelius Ultrajecti plexi sunt capite. Joannes Wilelmus in Cliviæ districtu cum primaria Uxore Elisabetha quam Reginam vocabant suorumque multitudine captus, anno 1574. lento crematus est igne. Martyrologium sectæ suæ prægrande in folio Anabaptistæ conscripserunt; cum tamen Magistratus in ipsos Anabaptistas pœna capitis animadverterint causa potissimum seditionis; propter quam Senatus quoque Tigurinus anno 1530. in illos eandem pœnam sancivit, approbato *Pædobaptismo*, atque ex Angliæ regno anno 1560. Elisabetha jussit illos excedere.

Inter Anabaptistas connumerantur *Mennonitæ*, ita a quodam Menno appellati, de quibus Georgius Cassander præf. in Tract. *de Baptismo Infantium* ait, miseratione dignos videri, quoniam Anabaptistis aliis meditantibus restitutionem regni Christi per deletionem impiorum factam vi externa, hi docebant in

(*t*) Ant. *Munearus*.

in sola Cruce consistere illius regni instaurationem & propagationem.

Joannes *Calvinus*, a quo Calvinistæ, Noviodunî in Picardia natus anno 1509. e Galliis anno 1517. discessit, & contulit se Basileam, qui hebraicas litteras didicit, ediditque annos natus 26. opus *Institutionum* Francisco I. Galliarum Regi nuncupatum. Nimis Opus illud a sectariis extollitur, (*u*) cum nihil sit aliud, quam complexio errorum Melanchthonis, Hyperii, Sarcerii, & Oecolampadii. Latina dictione Calvinus superavit Lutherum; is patria & Germanica excelluit eloquentia. Meditatus inter Argentoratum versus, & bello præpeditus Genevam divertit. *Guilelmus Farellus* illum sub Dei maledictione obtestans ne Geneva discederet, impulit ad exercendum illius Ecclesiæ ministerium. Contigit id anno 1536. *Farellus* in delphinatu natus erat anno 1489. atque ad hæreticorum castra defecerat. Proximo anno 1537. Genevensis Domini & Catholicæ Religionis jugum, solemni perjurio, penitus excusserunt posteaquam anno 1535. sese a Romani Pontificis obedientia ausu temerario, & Curiæ ænea tabula ad perpetuam infamiam appensa, (*x*) subtraxissent.

(*u*) De Calvini institut. Paulus Thurius:

Præter Apostolicas, post Christi tempora, Chartas,
Huic peperere libro secula nulla parem.

(*x*) *Cum anno Domini MDXXXV. profligata Romani Antichristi tyrannide, abrogatisque ejus superstitionibus, sacrosancta Christi Religio hic in suam puritatem, Ecclesia in meliorem ordinem singulari beneficio reposita, & simul pulsis fugatisque hostibus urbs ipsa in suam libertatem non sine insigni miraculo restituta fuerit; S. P. Q. G. monumentum hoc perpetuæ memoriæ causa fieri atque hoc loco erigi curavit, quo suam erga Deum gratitudinem testatam faceret.*

xissent. Cum Farello tamen Geneva anno 1538. Calvinus expulsus fuit, quod se opponerent Cœnæ Eucharisticæ celebrationi. Argentoratum profectus cum *Bucero* & *Capitone* familiariter vixit. De Bucero dictum supra. *Capito* unus erat Sacramentariorum. Calvinus Genevam rediit anno 1541. Magistratu, & populo plaudentibus. Obiit autem an. 1564. die 27. Maji. Calvini dogmata præter ea, quæ universis *Protestantibus* (*y*) communia sunt, nempe Canonem Scripturam corrumpere, traditiones rejicere, Papam vocare *Antichristum*, SS. imagines cultumque proscribere, justificationem in sola fide statuere, impugnare Sacramentorum numerum, & effectus, ritusque Romanæ Ecclesiæ irridere; Calvino, inquam, dogmata sunt in Eucharistia signum, non rem ac substantiam Corporis Christi contineri, & hanc sola fide apprehendi, humanam voluntatem non habere ullam boni, vel mali electionem, Deum esse auctorem peccati, gehennam Improbis, nullius culpæ intuitu decernere, Millenariorum circa dilationem beatitudinis sententiam sectari, aliaque hujus generis doctrinæ monstra, absona, nefaria, blasphema.

Sebastianus *Castalio* Lugduni Allobrogum natus anno 1515. Calvino Argentorati innotuit, cum illo Genevam venit; sed Geneva contulit se Basileam ad litteras Græcas in eadem Urbe tradendas. Ibidem extinctus est anno 1563. die 29. Decembris. Semina illum sparsisse *Arminianismi* tradit Hofmannus in Lexico. Ejus Gallicanam sacrorum Bibliorum Versionem etiam Novatorum plurimi parvipendunt. Pro lubi-

(*y*) *Protestantium* nomen inde ortum, quod in Comitiis Spiræ an. 1529. quibusdam statutis, quæ hæreticorum opponebantur libertati, illic XIV. Imperii Urbes exhibito scripto die 19. Aprilis protestatæ sunt nolle se iisdem decretis obtemperare ad Cæsarem, & ad Concilium appellantes. Deinde illud nomen ad Lutheranos & Calvinistas omnes pertransiit, ut quasi communi fœdere adversus Ecclesiam pugnarent.

lubitu eligi posse religionem, quæ arrideat cuique, autumabat.„ Castalio, ut inquit Vossium p. 2. In-„ stit. Orator.„ Pro *baptismo* substituit *lotionem*, pro „ *Angelo genium*, pro *fide confidentiam*, pro *Ecclesia Rempublicam*, pro *Synagoga collegium*. „

Unitariorum, qui unam in Deo personam agnoscunt, & individuam denegant Trinitatem, post veteres Sabellianos auctor fuit *Michael Servetus* Tarraconensis: qui variis orbis partibus peragratis, ex Anabaptista Sacramentarius, e Sacramentario Antitrinitarius evasit, conscripto editoque libro omni impietate referto. *De Trinitatis erroribus.* A Calvino hac de re accusatus, decreto Senatus Genevensis vivus combustus fuit anno 1553. die 27. (z) Octobris.

Ne eodem afficeretur supplicio, se Geneva subduxit *Georgius Blandrata*, qui & Ticino antea discesserat, S. Inquisitionis metu. In Pedemontio apud Salutias ortus fuerat. Geneva profugens in Poloniam concessit anno 1558. illic quoque Calvini Epistolis exagitatus in Transilvaniam profectus est anno 1563. invitatus a principe Joanne Sigismundo: disputavit adversus Trinitatem cum *Francisco David*, (a) Reformatæ, ut vocant, Ecclesiæ Theologo, apud Albam Juliam Urbem Transilvaniæ primariam anno 1566. Refutavit etiam scripta *Georgii Majoris* anno 1569. Vivebat adhuc anno 1585. ut constat ex Bibliotheca Antitrinitariorum. Maimburgus in Hist. *Arianismi*, in insaniam versum affirmat, atque ab uno nepotum suorum, ipsius inhiante pecuniis, fuisse interfectum. Memoratus *Franciscus David*, etsi Blandratam & Faustum Socinum passus est adversarios; tamen Christum non esse adorandum aiebat; unde tanquam Novator in carcerem conjectus fuit, ubi animam anno 1579. efflavit.

Inter

(z) Calvisius, *die* 17.

(a) Franciscus David, relictis postea aliorum Novatorum sectis, & ipse ad Unitarios pertransiit.

Inter *Unitarios* memorandus præsertim *Socinus* a quo appellatio *Socinianorum*. Ac duo fuerunt *Socini* novorum Ebionitarum parentes, *Lælius* & *Faustus*. Lælius filius Mariani celebris J. C. natus Senis anno 1525. Cœpit contra Trinitatem, & Christi satisfactionem differere in Veneta ditione circa annum 1546. sed caute interrogans scilicet, & quasi cupiens doceri. Reliquit ideam quamdam *Socinianismi* in Paraphrasi primi Capitis Evangelii S. Joannis scripta anno 1561. ediditque librum contra Calvinum *de hæreticis capitali supplicio non afficiendis*. Præconceptum tamen hæreseos systema explosit, produxitque *Faustus Socinus* filius Alexandri natus Senis an. 1539. cui Lælius patruus erat: nam & Alexandrum genuerat Marianus. Morabatur Faustus Lugduni, quando Lælius obiit Tiguri anno 1562. Rediit itaque in Etruriam: unde rursus discedens Germaniam petiit anno 1574. Basileæ explicandæ Theologiæ, quæ cum Samosatentibus negat Trinitatis mysterium, cum Ebionæis vero Christi ante Incarnationem præexistentiam, performatæ, ut diximus ab ejus patrono, totus incubuit. Edidit hunc in finem librum *de Christo Servatore*, & accerrime anno 1578. cum Francisco Pucci Florentino Tiguri disputavit. Adiit Poloniæ latebras anno 1579. Ibi plurium incurrit indignationem propter librum scriptum contra Jacobum Palæologum, *de Magistratu*. In rus itaque nono a Cracovia milliario secedens a Polono quodam patricio exceptus est, ibique obiit an. 1604. die 3. Martii.

Sociniana hæresis omnium pestilentissima est; Nam ad Pauli Samosateni, Arii, Macedonii, Photini, aliorumque Antitrinitariorum blasphemias, addit hæresim Ebionis, Christum purum hominem adstruens, & cum Novatoribus de Sacramentis, de justificatione, de Romana Ecclesia, de Originali peccato, de Gratia Christi pessime sentit. Quare apud Socinianos adagium est pervulgatum.

Tota Urbis Babylon destruxit tecta Lutherus;
Muros Calvinus, sed fundamenta Socinus.

Quanti

Quanti vero nefandæ huic hæresi adhæserint, constat ex *Bibliotheca FF. Polonorum*, & in hanc adnotationibus Joannis Fabricii (*b*)

Repetita Calvini memoria monet, ut de Maroto, ac Theodoro Beza nonnulla dicamus. *Clemens Marotus* Poeta Gallus Franciscum I. Regem suum anno 1521. in bellum secutus, & Ticini captus ob hæresis suspicionem, in carcerem conjectus fuit. Inde patrocinio Regis ereptus, modo in Gallias rediit, modo in Italiam; ac tandem Genevam se contulit. Ibi ob paratum adulterium extremo plectendum fuisse supplicio, sed intercedente Calvino flagris duntaxat vapulasse tradit Maimburgus Hist. Calviniſtarum libro 2. Sane *Marotus* Geneva in Pedemontium concessit, ibique anno 1544. (*c*) interiit. Magno illum in pretio habent Calviniani, propterea quod Psalmos Davidicos verterit rythmo Gallico, qua versione Genevenses utuntur. Omnes ante se Poetas superasse felicitate ingenii, sed omnis scientiæ & cognitionis litterarum fuisse expertem, testatur Beza.

Theodorus *Beza* Vezeliaci in Burgundia natus anno 1519. Aureliæ sub disciplina Melchioris Wolmar litteris operam dedit. Genevam fugit an. 1548. proxi-

---

(*b*) Hæc FF. Polonorum Bibliotheca prodiit anno 1656. Irenopoli, fictitio nomine Amstelodami. Comprehendit opera Fausti Socini, Jonæ Slichtingii, Joannis Crellii, & Joannis Ludovici Wolzogenii. Plurimum illic inserta sunt scripta eorum, qui Socinianis adhæserunt, inter quos Fraucisci Puccii nobilis Florentini, qui ad Anabaptistas transiens cum Socino postea pugnavit. Cum pestilentissima ila Bibliotheca connexionem habent Tractatus Samuelis Przipcovii Equitis Poloni, Hieronymus Moscorovius, Petrus Statorius, Stanislaus Lubieniezius, item Poloni, necnon Franciscus Davidis Hungarus, Joachimus Stegmanus Transilvanus, Michael Gittichius Venetus, aliique compiures pro Socinianorum & Unitariorum secta pertinacissime decertarunt.

(*c*) Augustæ Taurinorum.

Proximo anno cœpit Lausonii (*d*) Græcas litteras palam docere; & nondum exacto decenio, aut vix exacto, rediit Genevam. Calvino anno 1559. insolubili amicitiæ nexu copulatus, ejusdemque collega effectus in satanæ ministerio, concionibus scriptisque illius errores propagavit. Cum Jacobo Andrea, cujus supra meminimus, gravissimam anno 1586. *de Eucharistia* habuit disceptationem. Triumphum tam Lutherani, quam Calvinistæ jactant; habitamque contentionem illam aliquot dierum intervallo *absque ullo prorsus fructu*, fatetur in Vita Bezæ Antonius Fayus. Tres Bezam duxisse uxores inquit Stephanus Pasquier, de illo festivum pangens epigramma (*e*) sed habuisse duas tantum scribunt alii. Decessit anno 1605. dum præsentium memoriam, debilitata mente evanidam amisisset, ut inquit libro 125. Historiarum Thuanus.

Pugnavit adversus Bezam circa divinam prædestinationem *Jacobus Arminius*: nam Arminius nullam aliam Dei electionem agnovit, præter illam, quæ pendet a voluntate obtemperantium divinæ vocationi. Hanc Arminius stabilire conatus est, hortante *Martino Lydio*, præveniente gratia rejecta. Theologicam Cathedram Lugduni Batavorum (Leyden vocant) ab anno 1603. exercuit, post *Franciscum Junium*, qui pestilentia decesserat anno 1602. Eadem in Urbe Arminius occubuit anno 1609. ætatis suæ 49. natus enim erat in oppidio Hollandiæ Oude-Watter anno 1560.

Dixi

(*d*) Id est, *Lausana.*

(*e*) Steph. Pasquier:

Uxores ego tres vario sum tempore nactus,
Cum juvenis, tum vir, factus & inde senex.
Propter opus prima est validis mihi juncta sub annis
Altera propter opes, tertia propter opem.

Dixi de hæreticis, quos initio hujus tertii capitis memoravi: sed plures alios hoc in seculo affirmavi extitisse. Hujus sunt generis *Hadrianus Junius* Belga, Medicus, Historicus & Poeta, qui obiit in Zelandia anno 1575. *Sebastianus Munsterus* Germanus, Apostata Ord. S. Francisci, in Hebraica lingua & matheſi doctissimus; qui peste correptus periit anno 1552. *Joachimus Camerarius* ob eloquentiam a Turnebo, a Lipsio, a Casaubono laudatus, & mortuus anno 1574. *Georgius Buchanus* J. C. Hist ricus & Poeta, qui obiit Edimburgi an. 1582. *Conradus Gesnerus* Tigurinus Polyhistor, qui fato cessit anno 1565. *Joannes Balæus* Anglus Romanorum Pont ficum impudentissimus insectator, (*f*) extinctus anno 1563. *Joannes Mercerus* Uticensis in Academia Parisiensi post Vatablum professor litterarum hebraicarum mortuus anno 1570. *Martinus Chemnitius* auditor Melanchthonis, qui scripsit adversus Concilium Tridentinum, & excessit e vivis Brunsvicæ anno 1586. Mitto *Joannem Paulum Alciatum* Mediolanensem ex Antitrinitario Mahumetanum, *Valentium Gentilem*, Calabrum ob denegatam Trinitatem in Helvetia capite plexum, cæterosque a fide extorres, ac tanto digniores vituperatione, quanto præditi fuerunt, ac multiplici litterarum notitia. (*g*) Con-

(*f*) De Balæo Laurentius Humfredus:
Plurima Lutherus patefecit, Platina *multa*.
Quædam Vergerius, *cuncta* Balæus *habet*.

(*g*) Complurium hæreticorum obitum Seculo XVI. ita recenset Calvisius: Bruxellis duo monachi Lutheri assecłæ, martyrum suorum primitiæ a Sectariis vocati, flammis anno 1523. exusti fuerunt. *Leonardus Renser* in Bavaria anno 1527. die 16. Augusti crematus igne. *Joannes* Elector Saxoniæ eorum caput, qui anno 1529. die 16 Aprilis solemniter protestati fuerunt adversus Conventum Spirensem, unde *Protestantium* exortum est nomen, decessit anno 1530. die 22. Septembris. *Zwinglius* anno ætatis

Constat autem ex dictis præcipuas seculi XVI. hæreses esse *Lutheranorum*, *Sacramentariorum* sive *Zwinglianorum*, *Anabaptistarum*, *Ubiquistarum*, *Calvinistarum*, *Antitrinitariorum*, *Novorum Ebionitarum*, scilicet *Socinianorum*, & *Arminianorum*, seu *Remonstrantium*, novorumque *Pelagianorum*. Hisce autem Sectis singuli fere, quos commemoravimus, peculiarem aliquem addiderunt errorem, ut facile ex dictis eruitur. Semel enim vera fidei regula contempta, privatoque probato spiritu, nullum hæreseon illuvioni poterit adinveniri remedium.

Non recensuimus in serie hæreticorum *Huguenotos*: sunt enim hi Galliarum Calviniani. Derivatum hoc nomen *Huguenot* ab *Eignot*, quod idem significat, ac *fœdere junctus*. Nam Genevæ anno 1518. orto dissidio, an Duci Sabaudiæ subjecta deberet esse, an libera & sui juris Civitas, qui pro libertate steterunt, appellati sunt Alemanniæ lingua *Eignots*, nempe *Confœderati*, ob fœdus initum cum Friburgensibus. Cæteri Sabaudiæ Duci addicti *Mamelùs* vocati fuerunt, quo nomine appellabantur populi subjecti Sultano Ægypti. *Eignoti*

ætatis suæ 44. cecidit in bello Tigurino, anno 1531. die 11. Octobris, eodemque anno Cal. Decembris obiit *Oecolampadius* annos natus 49. *Petrus Brulius* Tornaci lento igne consumtus fuit anno 1545. die 19. Februarii. *Martinus Lutherus* vita functus Islebii anno 1546. die 18. Februarii, humatus autem Wittembergæ. *Michael Servetus* exustus Genevæ an. 1553. die 17. Octobris. *Annas Burgius* crematus Lutetiæ anno 1559. die 20. Decembris. *David Georgius*, anno post obitum tertio, exustus Basileæ eodem an. 1559. die 3. Maji. Obiit *Philippus Melanchthon* anno dieque præcitatis: *Sebastianus Castalio* anno 1563. die 29. Decembris: *Conradus Gesnerus* anno 1565. die 13. Decembris. *Joannes Brentius* anno 1570. die 11. Septembris; *Jacobus Andreas* anno 1590. die 7. Januarii. *Hieronymus Mencelius* eodem anno die 15. Februarii, atque *Joannes Avenarius* die 30. Octobris. Hæc ex Sethi Galvisii *Chronologia* usque ad annum 1602. obitumque *Friderici Wilhelmi* Saxoniæ Ducis, producta.

gnoti ſuperarunt adverſantes ſibi *Mamelus*; erant enim tum omnes Catholicæ Religionis ſequaces. Etiam Helvetii Nobilium excuſſo principatu nuncupati ſunt *Eignots*. Ita hoc nomen vindicatæ libertatis, fœderisque ab initio teſſera videbatur, non hæreſis. At ubi *Zwingliani* Geneva Catholicos ejecere, retinuerunt *des Eignots* appellationem, honeſtumque olim nomen factum eſt turpe Calvinianorum ſignaculum. Quos autem Genevenſes *Eignots*, hos Galli pronuntiatione paululum immutata dixere *Huguenots*.

Contulit plurimum ad hæreſis incrementa Schiſma Anglicanum. Indulſerat Julius II. poſt matutam diſcuſſionem, ut Henricus VIII. ſibi in matrimonium copularet Catharinam filiam Ferdinandi, & Eliſabethæ Regum Hiſpaniarum, viduam Arthuri fratris ſui. Hanc Julii diſpenſationem non adverſari legi naturæ demonſtrant Scripturarum ſanctarum præcepta, & exempla. Vide Gen. 38. Deut. 25. Ruth. 4. Accedit, quod Arthurum inter, & Catharinam nullum interceſſerat carnale commercium. Celebratæ fuerunt Henrici & Catharinæ nuptiæ an. 1509. die 3. Junii. Tres Henricus e Catharina mares ſuſcepit, duasque femellas; omnesque acerbo extincti ſunt fato, præter Mariam an. 1515. in lucem editam. Henricus ob morum diſparitatem animo ab uxore alienus, facto præter fas, jusque divortio duxit *Annam de Boulen*, cujus etiam matrem deperierat. Incertæ & ſacrilegæ nuptiæ ſolemni apparatu celebratæ fuerunt anno 1533. Illas eodem anno Clemens VII. cauſa Romæ diſcuſſa, damnavit. Henricus pervicacior factus adduci non potuit, ut Annam dimitteret atque in omnes matrimonium illud improbantes crudeliſſime ſæviit. Horum aliquos capite 5. laudabimus. Nata ex Anna præcitato anno 1533. *Eliſabetha* die 7. Septembris, poſt nuptiarum celebrationem menſe quinto. Hæc regiis excepta cunabulis: Maria Catharinæ filia annum 18. tunc agens habita tanquam ſpuria. Eo deinde proceſſit Henricus, ut ſe *Anglicanæ Eccleſiæ Caput* conſti-

tueret, & *Papæ* nomen sibimet arrogaret. At *Anna Bolena* non tantum Regis, sed & aliorum pellex, an. 1535. die 9. Maji capite truncata est. Duxit Henricus proxima die *Joannam Seimer*, ex qua an. 1537. natus est *Eduardus*, difficili partu, qui mortem attulit matri. Alias quoque Henricus habuit uxores, quæ misere perierunt. Ipse decessit Londini die 28. Januar. anno 1546. eodem quo Lutherus, & Franciscus I. Rex Galliarum.

Henrico VIII. regnante plura fidei dogmata retenta sunt, *Missæ* celebritas, *Transubstantiationis* fides, unius speciei in communione perceptio, cœlibatus sacrorum ministrorum, & Sacramentalis ad aurem Sacerdotis confessio. Rex tamen, tanquam foret Ecclesiæ caput, omnia beneficia conferendi, & Ecclesiasticos distribuendi redditus usurpavit auctoritatem. Hujus violentia diruta sunt Templorum decem millia, & monasteria 366. cum bonis omnibus uno tantum an. 1538. addicta regio Fisco; inter quæ amplum Londini Augustinensium Thomæ Cromuelio pessimo Regis Consiliario cum omni sacra suppellectili dono datum. Tanta vero conculcatus est Apostolicæ Sedis primatus impietate ac perfidia, ut in publicis precibus hæc funderetur oratio. *Ab Episcopi Romani tyrannide, & detestandis enormitatibus libera nos, Domine.* In hanc prolapsus est iniquitatem Rex ille, quem Leo X. Pontif. Max. *Defensorem Fidei* vocaverat.

In deterius abierunt sub *Eduardo VI.* (*h*) Henrici, & Joannæ Seimer filio, res Ecclesiæ. Auspi-

(*h*) Revera inter Angliæ Reges hujus nominis *Octavus*. At *Sextus* dicitur, quoniam *Eduardus* hujus nominis *Quartus*, qui regnum consecutus est anno 1273. obiitque anno 1308. cum fuerit primus, qui ex Familia Comitum Andegavensium appellatus est Eduardus, dicitur *Eduardus I.* non *Eduardus IV.* Atque ita *Eduardus* inter Reges hujus nominis *Octavus*, (imo *Nonus*, si nominetur quoque Eduardus filius Eduardi VII. qui duobus mensibus

Auſpicatus eſt ille Regnum ſub tutela *Eduardi Seimer* avunculi ſui, & coronatus die 27. Februarii an. 1546. Eduardus Seimer Zwingliana hæreſi infectus, Sanctorum reliquiis, imaginibus, ædibus, ſacris vaſis, myſteriisque, quibus Henricus peperat, indixit bellum. Hoc Regni moderatore, *Thomas Cramnerus* Archiepiſcopus Cantuariæ in matrimonium duxit concubinam, quod auſus non fuerat vivente Henrico, qui Clericorum ſtatuerat cœlibatum. Hugoni Latimero, alteri Luciano, & ſacra quæque irridenti, quem *primum Anglorum Apoſtolum* vocant hæretici, facta hæreſim promulgandi poteſtas. Vocati e Germania & Helvetia *Joannes Hopper*, *Milo Coverdal*, præter Bucerum, Ochinum, Vermilium, de quibus ſupra. Novum editum eſt rituale, nova Bibliorum Latinorum peracta verſio, ubique Eccleſiæ, Presbyterorum, Sacramentorum, & Catholicorum abraſis nominibus. Ita prævalere apud Anglos cœpit ſecta Zwinglii, ſcilicet *Sacramentariorum*. Iſtorum opera an. 1549. combuſti fuere *Georgius Pareſius* Arianiſmi innovator, & puella *Joanna Boucher*, Valentinianorum ſimul, & Lutheranorum imbuta hæreſibus. Talis erat Religionis in Anglia ſtatus ſub Eduardo: is *Caput Eccleſiæ* ſimul & Regni: corrupta Biblia, Sanctorum cultus ſublatus, abrogata Miſſa, novi ritus inducti, liturgia vernaculo idiomate peracta, Cœna indicta ſub ſpecie utraque, omnes demum receptæ Novatorum Conſuetudines. Malorum cauſa *Eduardus Seimer* ſuorum ſcelerum luit pœnam, capite ob aſſaſſinii ſuſpicionem amputato, anno 1552. Rex autem Eduardus ſeptimo Regni anno, ætatis ſuæ XVI. mortem obiit, an. 1553. menſe Julio.

ibus regnavit cum patre) vocatur paſſim *Eduardus* VI. non vero *Eduardus* VIII. quamquam hoc etiam numero in quibusdam Tabulis Chronologicis adnotetur.

Reviviſcere viſa eſt Catholica religio apud Anglos ſub *Maria* Regina, filia Henrici VIII. & Catharinæ. Hanc, quam pater connubio ſibi jungens *Bolenam* declaraverat illegitimo thoro natam, proximus morti debito decoravit honore, eique ante Eliſabetham filiam *Bolenæ* jus ad Regnum competere declaravit. Vita itaque functo Eduardo, Maria Angliæ Regno potita eſt, atque ut cuſtos ſemper fuerat religionis atque pietatis, princeps illi cura fidem Catholicam reſtituere, inſtaurare templa, ritus omnes hæreticos abolere. Ambitioſum *Capitis Anglicanæ Eccleſiæ* nomen ſibi convenire negavit. Verbi Dei præcones, perperam furentibus hæreticis, ſelegit: reditum Reginaldi Cardinalis Poli cum munere Legati a Latere a Julio III. impetravit: ſua religioſis viris reſtituit cœnobia: pulſis heterodoxis, Theologos incorruptæ doctrinæ, inter quos doctiſſimum Petrum Soto Ordin. Prædicat., Academiæ Oxonii præfecit; Buceri, & Fagii, ut ſupra diximus, exhumari juſſit flammisque abſumi cadavera, oſſibus item conjugis Petri Martyris in agrum projectis. Ut fideles validiori fruerentur præſidio, cum Philippo filio Caroli V. contraxit conjugium. Verum in tanta Chriſtianæ felicitatis ſpe, Regina absque prole anno 1558. die 17. Nov. migravit e vita. Eodem die poſt paucas horas mortem obiit prælaudatus Cardinalis Polus, eximia virtute, & ſingulari doctrina exornatus.

Eliſabetha, Annæ Bolenæ filia, Mariæ in Angliæ Regno ſucceſſit: tametſi Henricus II. Rex Galliarum proclamaſſet Anglorum Reginam *Mariam Stuartm* Franciſco II. filio ſuo nuptam eodem anno 1558. Aprili menſe. Ad Mariam quippe Stuartam Regnum illud ſpectabat, poſteaquam bullis Pontificum, & decreto Parlamenti adjudicatum fuerat Eliſabethæ procreatæ inceſtis irritisque connubiis. Erat enim Maria filia Margaritæ Sororis Henrici IV. & Jacobi IV. Regis Scotorum, ideoque Henrico proximior, & regni utriusque, Angliæ nimirum, & Scotiæ, hæres legitima. Maria tamen

tamen in Scotia morante, insidiisque Darlæi ad thronum adspirantis circumventa Elisabetha, plaudentibus hæreticis, Anglicanum solium conscenderat. Spreto juramento quod emiserat, servandi religionem Catholicam, statim se *Anglicanæ Ecclesiæ caput* nominavit: Prædicatores Orthodoxos ad silentium coegit, omnes occupavit Ecclesiarum redditus, Sanctorum imagines & cultum inhibuit, abolevit incruentum Missæ Sacrificium, deposuit Episcopos, Presbyteros mancipavit carceribus, Ecclesiasticos omnes subjecit Laicorum judicio, novam instituit hierarchiam, novosque ritus, Martyrologia item, & Calendaria; in quibus in Martyrum numero recensentur Joannes Hus, Wiclefus, Cramnerus, Cromelius, atque in sanctorum Confessorum albo Lutherus, Petrus Martyr, Henricus VIII. Eduardus VI. Erasmus: dicam verbo, quidquid detrimenti inferri poterat, id Catholicæ religioni ab Elisabetha illatum est. Nulli Catholicorum immanitas ejus pepercit, nec Mariæ Scotorum Reginæ, quæ in Angliam an. 1567. confugerat. De hac iterum quinto capite. Merito idcirco Pius V. an. 1570. diris Elisabetham devovit. Periit tandem an. 1603. die tertia Aprilis. (*i*) Hæc de Hæresibus Seculi XVI. & de Schismate Anglicano fusiori fortasse stylo; quoniam adhuc perseverant descripta Fidei contagia: (*k*) sed revoco nunc me ad institutum.

(*i*) Obiit Elisabeth anno ætatis suæ 69. Græcis litteris operam dederat, & quasdam tragœdias Sophoclis, duasque Demosthenis orationes latinitate donavit. Fertur etiam Græca scripsisse Epigrammata.

(*k*) De insanissimo ac superbissimo homine, qui serio affirmabat futurum se Regem, & Pontificem Maximum, necnon mundi Redemptorem, ut ajebat, *quoad efficaciam*, tradebatque Apostolicam Sedem in Peruense Regnum transferendam, abrogandum ordinem Ecclesiasticum, aliaque absurda numero cuncta 110. in Quitensi urbe combusto, historiam narrat lib. 2. *de Tim. noviss. cap.* 11. Joseph. Acosta Soc. Jesu.

CAPUT IV.

SCRIPTORES SECULI XVI. PER-CELEBRES.

Si aliud unquam, ſane XVI. Seculum ſcriptores habuit præſtantiſſimos. Inter Theologos recenſentibus nobis celebriores occurrit 1. *Thomas Card. Cajetanus* Ord. Præd. creatus S. R. E. Card. a Leone X. & vita functus anno 1534. Quibus præter Philoſophicas lucubrationes, habentur in *Summam* Doctoris Angelici, atque in N. T. Commentaria, atque Theologici Tract. permulti. Sequitur *Joannes Driedo* Doctor Lovanienſis, moderatus Lutheri inſectator, & in Fidei Controverſiis uſus validioribus armis, e ſacris Litteris, & PP. auctoritate depromptis, atque in iis, quæ ſpectant ad gratiam, & liberum arbitrium magnopere commendatus: qui obiit Lovanii an. 1535. *Ægidius Witerbienſis* commemoratus 2. cap. Magiſter Ord. Auguſtinenſis, & S. R. E. Cardinalis, vir eloquentiſſimus, & Græcarum litterarum ſcientiſſimus, præter XII. Seculorum Hiſtoriam perpolito ſtylo Theologiam exornavit, & naturæ conceſſit anno 1532. *Dominicus Soto* Segovienſis Ord. Prædicat. primus Caroli V. in Concilio Tridentino Theologus electus an. 1545. & Academiæ Salmanticenſis Inſtitutor præclarus, de omnibus Theologiæ partibus, præſertim de natura & gratia, ac de juſtitia & jure diſſeruit. *Petrus* item *Soto*, & ejusdem Ord. Prædicat. primus, qui Theologiam tradidit in Univerſitate Dilingæ, inſtituta an. 1549. profligator hæreticorum, & Auguſtinianæ ac Thomiſticæ ſententiæ propugnator acerrimus, inique *a Duchesne* inſimulatus, quaſi in litteris ad Ruardum Tapperum Baji & Janſenii errorum ovum ac ſemen emiſerit. *Nicolaus Eymericus* edidit Directorium Inquiſit. primo in lucem editum Barcinone an. 1503. deinde Romæ an. 1578. & 1585. Auctor tamen videtur antiquior, vixitque Seculo XIV. Nec a Theologorum cœtu expungendus eſt idem *Bajus*, qui

qui cum *Joanne Hesselio* anno 1563. missus fuit ad prædictam Synodum Tridentinam; quamquam illius articuli fuerint ab Apostolica Sede proscripti. Inter Tridentinos Theologos doctrina & eloquentia enituit *Melchior Canus* Episcopus (*l*) Canariensis, cuius mors contigit anno 1560. Toleti, testaturque Viri eruditionem & facundiam Opus *de locis Theologicis*, quod omnium teritur manibus. (*m*) Sed nequeunt in brevi Epitome vel sola Theologorum hujus Seculi nomina recenseri. Quare silentio præterimus *Ambrosium Catharinum*, *Franciscum a Victoria*, *Bartholomæum Medinam*, *Dominicum Bannes* Ordinis Prædicatorum: *Aloysium Legionensem*, *Ægidium* Lusitanum, *Basilium Poncium*, *Casparum Casalium* Augustinenses: (*n*) *Cornelium Mussum*, *Andream Vegam*, *Franciscum Titelmannum*, *Franciscum Fevardentium* Ord. Minor. *Ludovicum Molinam*, *Joannem Hamelium*, *Leonardum Lessium* (*o*) *Franciscum Turrianum* Societatis

(*l*) Ord. Prædicat.

(*m*) Bartholomæum Carranzem Ord. Præd. quem nonnulli hæresis accusarunt in Catholica fide, & religiosissime obiisse Romæ anno 1576. narrant Historici. Fuit Archiepiscopus Toletanus, scripsitque *Summam Conciliorum*. De ipso & infra.

(*n*) Obiit anno 1569. vir præstantissimus *Christophorus* Batavinus FF. Augustinensium Magister. Angelus Portenari, eiusdem Ordinis primus omnium Regularium in Batavino Lycæo anno 1595. cœpit palam tradere physiologiam. Augustinum Musæum Tarvisinum, cæterosque eiusdem Ordinis Scriptores brevitatis item causa præterimus.

(*o*) Leonardi Lessii 34. propositiones, quarum præcipuæ pertinent ad *Prædestinationem*, & ad *Christi Gratiam*, Lovanii expositas an. 1586. censura sacra ibidem Facultas perstrinxit proximo anno 1587. die 9. Septembris. Idem præstitit sequenti an. 1588. die 20. Januarii sacra Facultas Duacensis. Cum Lessius respondisset Lovaniensibus Theologis; hi anno ipso 1588. die 3 Septembris Censuram suam confirmarunt, addideruntque illius

tis Jesu : *Augustinum Steuchum*, & *Basilium Zanchium* Canonicos Regulares ; atque ex Secularium cœtu *Thomam Stapletonum*, *Wilelmum*, *Estium*, *Joannem Driedonem*, cæterosque quamplurimos.

Verum prætermittendi non sunt, qui data opera hæreses hoc Seculo exortas exagitarunt ; præsertim Augustinenses duo, qui omnium primi confutarunt Lutherum *Ambrosius Flandinus*, & *Joannes Hoffmeisterus*, Italus unus, Germanus alter. Adde *Clichtoveum* Parisiensem, & *Echium* Svecum, utrumque anno 1543. defunctum. Quid de *Joanne Cochlæo* Nerobergensi, cujus opera, quo rariora, eo pretiosiora sunt æstimanda ? Nec *Alberti Pighii* (p) Campensis Controversiarum librum, nec

---

illius *justificationem*. Doctrinam illic expositam esse eam, quam majores sui constantissime propugnaverant, iidem Theologi declararunt an. 1613. 1648. 1649. 1679. 1690.

Sedente quoque Innocentio XI. an. prædicto 1679. & sub Innocentio XII. anno 1691., eadem Censura suam nacta est firmitatem. Videatur Historia *de Auxiliis* lib. IV. cap. 6. & seqq. Complures Belgii Episcopos reprobasse Lessii doctrinam tanquam Pelagianis cohærentem, fatentur PP. Societatis Jesu *in Imagine I. Seculi* lib. 6. cap. 4. pag. 448. Idem fatetur P. *Le Tellier* in suo Opere inscripto *Défense des noveaux Chretiens*, damnato tamen a prælaudato Pontifice Maximo Innocentio XII. anno 1694. die vigesima tertia Martii. Falsissimum est itaque Censuras Lovanienſem & Duacensem fuisse damnatas, & Lessii propositiones approbatas ab Apostolica Sede, quemadmodum publicis Thesibus Rothomagi asseruerunt anno 1598. die 10. Januarii Patres Societatis Jesu religiosissimi. De Censura autem Duacensi postrema, & opposita præcedenti, vide adnotationem (2) ad cap. 6. Seculi Decimi Octavi.

(p) *Pighium* mortuum Bononiæ anno 1530. fortuita pontis ruina, scribit in descriptione Belgii Ludovicus Guicciardinus: Sed obiit Ultrajecti anno 1542. die 26. Decembris.

nec non Panopliam Evangelicam *Guilelmi Lindani* Ruremandenſis ignorant ſtudioſi. Quantum inſuper verbis ſcriptisque pro eliminandis erroribus inſudarunt tres S. R. E. Cardinales ampliſſimi, *Stanislaus Hoſius* Polonus, & *Hieronymus Seripandus* Auguſtinenſis, ambo Tridentini Concilii Præſides, atque *Reginaldus Polus*, quem laudavimus ſupra de Anglicano ſchismate pertractantes. Jure his conjungimus *Franciſcum Card. Toletum* S. J. & *Alphonſum Salmeronem* ejusdem Societatis, viros ſummos ac ſapientiſſimos. Inſudavit præterea in componendis circa Religionem diſſidiis *Georgius Caſſander* Burgenſis, podagra extinctus anno 1566. & in refellenda Judæorum pervicacia *Joannes Reuchlin* mortuus Tubingæ anno 1522. doctiſſimus utique, & eloquentiſſimus, quamvis ob *Epiſtolas obſcurorum virorum* ſcholaſticis parum acceptus. Adverſus autem omnes hæreſes acuit ſtylum *Alphonſus a Caſtro* Ordin. Minorum, electus Epiſcopus Crigantii, vulgo Compoſtellæ. Judæos confutavit Petrus Galatinus ejusdem Ordinis Reuchlini Apologiſta.

De ſacris Litteris optime meriti ſunt *Franciſcus Vatablus* Ambianenſis peritiſſimus Hebraicæ linguæ; cujus tamen in V. T. notæ a *Roberto Stephano* editæ anno 1545. ob inſertas ab eodem Roberto Calviniana infecto labe notas alias hæreticas, perniciosæ ſunt, ac prohibitæ: *Felix* Pratenſis Aug. a quo ſacri Libri ex hebræa in latinam linguam converſi ſunt: *Sanctes Pagninus* Lucenſis, Ord. Prædic. qui idem præſtitit plenius & accuratius, *Theſauro* linguæ ſanctæ adjecto: *Iſidorus Clarius* Benedictinus, qui in ſacris Bibliis ſupra octo millia loca emendavit, & explanavit: *Arias Montanus* omnium fere linguarum ſcientiſſimus, in Bibliis Polyglottis juſſu Philippi II. exornandis diligens, aſſiduus, eximius: *Franciſcus* Card. *Ximenius* Ord. Minorum Biblia Complutenſia Polyglotta in lucem ſub auſpiciis Leonis X. emiſit, ſexcentis millenis millibus

Daca-

Ducatorum impensis : (q) *Flaminius Nobilius* in edendis Sixti V. Bibliis, & Vulgata Versione ad testimonia PP. & LXX. Interpretum corrigenda laboriosissimus Operarius.

Quinam vero in sacras Litteras Commentaria præter laudatos Scriptores ediderunt ? *Sixtus Senensis* Ord. Præd. in sua *Bibliotheca sancta* Protocanonicos, Deuterocanonicos, Apocryphosque libros distinguit, Biblicum exhibet Dictionarium, regulas tradidit interpretandi Scripturas, per majorum Commentaria & explicationes discurrit. *Cornelius Jansenius* Gandavensis Episcopus scripsit *Concordiam* Evangelicam. *Joannes Maldonatus* Jesuita doctissimus, quem anno 1583. Romæ in lecto mortuum adinvenere in IV. Evangelia præclaros exaravit Commentarios. Idem agit in sacros Libros notis in quinque columnas distributis *Jacobus Faber* Stabulensis suspectæ tamen fidei, & a *Natali Beda* Parisiensi Theologo exagitatus ob dissertationem *de Tribus Magdalenis*. (r) *Jacobus* Card. *Sadoletus* Mutinensis elegantis orationis Tullii imitator ad reliqua scripta purioris latinitatis addi-

---

(q) Epitaphium Card. Franc. Ximenii in Academia Complutensi :

Condideram Musis Franciscus grande Lycæum;
Condor in exiguo nunc ego Sarcophago.
Prætextam junxi Sacco, galeamque Galero,
Frater, Dux, Præsul, Cardineusque Pater.
Quin virtute mea junctum est Diadema Cucullo,
Cum mihi regnanti paruit Hesperia.

(r) Ipsi Jacobo Fabro istud Epitaphium Georgius Buchananus inscripsit :

Qui studiis primus lucem intulit omnibus, artes
Edoctum cunctas hæc tegit urna Fabrum.
Heu tenebræ tantum potuere extinguere lumen?
Si non in tenebris lux tamen ista micet.

addidit *Dialogum* in Epistolam Pauli ad Romanos. De Sadoleti tamen sententia circa Christi Gratiam, & bonæ voluntatis initium, legendus est Norisius cap. 5. §. 1. *Vindiciarum*. *Joannes Mercerus* Uticensis, Vatabli in Parisiensi Academia successor, Commentariis suis, quamquam lue infectis Calviniana, nomen sibi apud Christianos Judæosque haud vulgare comparavit. Sed omnes, aut saltem permultos, eloquentia, eruditione, & doctrina superavit *Desiderius Erasmus* Roterodamus; cujus præter omnigenæ sapientiæ scripta, habentur in N. T. paraphrases & adnotationes. Quamvis illum in suas partes trahere studeant novatores aliqui; non possumus non celebrare Virum maximum, quam scimus summo fuisse in pretio apud Romanos Pontifices Paulum III. & Clementem VII. nec non apud Carolum V. Imperatorem, Franciscum I. Regem Galliarum, Sigismundum Regem Poloniæ, cæterosque hujus Seculi Principes: Fuit tamen in vellicandis adversariorum scriptis aliquantulum asper; (s) unde post illius obitum, qui contigit an. 1536. Cal. Julii Basileæ, hoc lepidulum Epitaphium finxit Stephanus Paschasius:

Hic jacet Erasmus, qui quondam bonus erat Mus,
Rodere qui solitus, roditur a vermibus.

Ecclesiasticam illustrarunt Historiam, Romanorum Fastorum Conditor, & Antiquitatum solertissimus indagator *Onuphrius Panvinius* Augustinianus Veronensis, immaturo fato raptus Panormi anno 1568. ætatis suæ 39. *Joannes Philippus Bergomas* ejusdem instituti, qui Chronicon *supplementi* nomine inscriptum perduxit ad annum 1503. *Laurentius Surius* Carthusianus, qui obiit Coloniæ anno 1578. & acta Sanctorum magno labore collegit: *Nico-*

(s) De Erasmo vide acre Petri Canisii judicium in Præfatione ad Epistolas Selectas S. Hieronymi.

Nicolaus Sanderus Anglus, qui ſchismatis Anglicani ſcripſit Hiſtoriam : *Joannes Molanus* doctor Lovanienſis, a quo Martyrologium Uſuardi adnotationibus adauctum eſt : *Adrichomius* Batavus Hiſtoriæ Biblicæ, ac Palæſtinæ accuratus deſcriptor : *Sigonius* Mutinenſis, qui de Regno Italiæ, de Judæorum Republica, & de Epiſcopis Bononienſibus docte, eleganterque pertractavit : *Gaeſinius* Martyrologii, Hiſtoriæ Severi Sulpitii, Actorumque Eccleſiæ Mediolanenſis, & *Theatri* Pontificalis (*t*) promulgator : *Petrus Pithæus* Trecenſis, a quo Auctores Verſionum ſacrorum Bibliorum, Hiſtoriam Controverſiæ *de Proceſſione Spiritus ſancti*, ſcriptaque plura Eccleſiaſticorum virorum habemus emendata, & illuſtrata : *Gilbertus* denique *Genebrardus* Alvernus Liturgiarum, & Sacræ Chronologiæ exactioris, quam antea, auctor percelebris.

Ne per Bibliothecas vagemur omnes ; hoc unum affirmamus, nullam eſſe diſciplinam, & ſacræ eruditionis partem nullam, quam Viri clariſſimi hoc vertente Seculo non reddiderint ſplendidiorem. Quosdam, non tamen cunctos, ex Theologiæ Scholaſticæ & Polemicæ Tractatoribus, ex ſacrarum Litterarum Interpretibus, atque ex Chronologis & Hiſtoricis commemoravimus. Quid modo de reliquis? Concilia in ſummam redegit *Bartholomæus de Caranza* Archiepiſcopus Toletanus. In libros Auguſtini *de Civitate Dei* Commentarios, & pleraque exactæ critices munimenta nobis reliquit *Ludovicus Vives* Valentinus : Excelluit Græcorum litteris & phyſiologia *Auguſtinus Steuchus* Eugubinus auctor Cosmopœjæ, & Hebraice doctiſſimus fuit *Marcus Marinus* Brixianus, uterque Canonicus Regularis : Sanctorum Faſtos, & ſacra Carmina plurima concinuit *Joannes Baptiſta* Mantuanus Carmelita, cognomen-

(*t*) Comprehendit Vitas Pontificum Romanorum.

gnomento *Hiſpaniolus*: (u) De Ritibus Eccleſiæ diſſeruit *Joannes Stephanus Durant* Tholoſanus. In Græcorum Patrum Operibus latine vertendis navavit operam *Jacobus Billius*: in rarioribus libris prælo committendis *Ciaconius* Toletanus: in Græcis itidem traducendis *Gentianus Hervetus*: in Tertulliani & Cypriani libris exornandis *Jacobus Pamelius* Brugenſis: in emendando Gratiani *Decreto*, Jure Canonico in Compendium redigendo, antiquioribus Decretalibus colligendis, & Canonibus Pœnitentialibus explanandis *Antonius Auguſtinus* J. C. nobiliſſimus, & Archiepiſcopus Tarraconenſis; in doctrina morum & canonum *Martinus Navarrus*.

Chriſtianæ, & Aſceticæ vitæ præceptiones tradidere *Joannes Avila*, vir inſignis probitatis ac ſapientiæ: *Ludovicus Granatenſis* cujuslibet honoris contemptor egregius: *Carolus Borromæus*, *S. Thomas a Villanova*, *Ignatius Loyola*, *S. Thereſia*, *S. Joannes a Cruce*, quorum diem emortualem capite, quod proxime conſequitur, recenſebo.

(u) Natus anno 1442. ut adnotatur diſticho:

NaſCItVr In terris MonaChVs BaptIſta, ſVosqVe
VatICIna VerſVs e genItriCe bIbIt.

CA-

CAPUT V.

AUGUSTI CÆSARES, ET REGNANTES IN COELIS.

Imperatori Maximiliano, extincto anno 1519. duodecima die Januarii, succeſſit ejus nepos *Carolus V.* filius Archiducis Auſtriæ Philippi, atque in lucem editus anno 1500. die 24. Febr. Electus fuit anno cit. 1519. Francofurti die 28. Junii, & primum coronam imperii accepit Aquisgrani an. 1520. die 13. Octobr. deinde Bononiæ a Clemente VII. anno 1530. ipſo die ſuo natalitio. Nullus ab eo tempore Imperator coronatus eſt a Rom. Pontifice. Regnum quoque Hiſpaniarum obtinuit; nam Joanna filia Ferdinandi V. Iſabellæ Regum anno 1496. connubio juncta fuerat *Philippo Auſtriaco* F. Maximiliani, & patri ipſius Caroli: atque idem Philippus & Joanna Reges declarati ſunt anno 1505. quo deceſſit Regina Iſabella. Ferdinandus tamen usque ad annum 1516. ſuperſtes fuit: eodemque anno Carolus V. conſecutus eſt regimen Hiſpaniarum, *Carolus I.* in ſerie Regum nuncupatus. Diuturnum illi bellum fuit cum Franciſco I. Rege Galliarum: quem in pugna Ticinenſi anno 1525. ſuperavit, captumque in Hiſpanias abduxit. Proximo tamen an. 1526. formula pacis conſcripta die 14. Januarii, Franciſcus rediit in Gallias. Religionis cauſa Carolus V. Proteſtantes bello laceſſivit, anno præſertim 1547. & ſeq. ediditque an. 1548. Formularium Eccleſiaſticæ diſciplinæ, appellatum *Interim*, quoniam interim, ſeu donec in Tridentina Synodo compoſitæ res forent, illud ſervari mandavit. Quod tamen æque Catholicis, & Lutheranis diſplicuit. Anno 1550. flammis addixit libros hæreticorum, quos item edictis coercuit ſeverioribus. Regni pertæſus coronam deponere ſtatuit anno 1555. die 24. Februarii, qua die diademate redimitus fuerat Imperii, & anno proximo 1556. regnum Hiſpaniæ conſecutus eſt Philippus II. ejus Filius. Conceſſit eodem anno Ca-

Carolus in monasterium Hieronymianorum S. Justi in Vetonia, quam Hispani *Estremaduram* appellant. In favorem quoque Ferdinandi fratris suis Austriaci sese abdicavit Imperio : & ex hac vita migravit anno 1558. XI. Calendas Octobris. (x)

Itaque post Carolum V. Imperium gubernarunt Ferdinandus I. Maximilianus II. & Rodulphus II. Ac *Ferdinandus* Caroli V. Frater, qui anno 1527. electus fuerat Rex Bohemiæ, & Hungariæ, anno autem 1531. Rex Romanorum, inauguratus fuit Imperator in Comitiis Francofurti eodem anno 1558. die 14. Martii, dum ageret ætatis suæ annum 55. Etsi vero affirmarunt Pontifices, non potuisse Carolum V. deponere Imperium absque Sedis Apostolicæ indulto, & Electores hæreticos jure eligendi non frui, atque omni dignitate excidisse ; Pius tamen IV. anno 1560. electionem Ferdinandi ratum habuit, ut tradunt Pallavicinus, Thuanus, & Bzovius. Magna æquitate ac moderatione Ferdinandus rexit imperium sexennio : obiit enim anno 1564. die 25. Julii : eique successit filius *Maximilianus II.* qui anno 1576. morte sublatus est Ratisbonæ duodecima die Octobris. Frustra hi duo Imperatores a Pio IV. impetrare curarunt presbyteris conjugia, quæ per-

(x) Tenuit Carolus V. hæreditaria regna annis 40. & Romanum Imperium annis 38. mensibus 7. Pie decessit, cique a Poeta quodam concinnatum est Epitaphium :

Carolus ut victo discessit victor ab orbe,
Ulterius tendens regna beata tenet.

Legitur, & aliud :

Pro tumulo ponas orbem, pro tegmine cœlum,
Sidera pro facibus, pro lacrymis maria.

pervetustæ Romanæ Ecclesiæ consuetudini, & legibus Ecclesiasticis opponuntur. (y)

Rudolphus II. Filius Maximiliani II. creatus est Imperator anno 1576. in Comitiis Ratisbonensibus, cum antea a patre declaratus fuisset Rex Hungariæ, & Bohemiæ, & præcedenti anno Rex Romanorum electus esset Augustæ Vindelicorum. Annis XVII. cum Turcis vario exitu bellum gessit; pepegitque anno 1606. cum hostibus vicennales inducias. Nullam duxit Uxorem, absque liberis vita functus an. 1612. IV. Idus Januarii. (z)

Ad Superos migrarunt hoc XVI. Seculo viri sanctissimi, & Fastis cœlestis Jerusalem deinde fuerunt adscripti solemni ritu, Institutores Religionum S. Cajetanus Thienæus Vicetinus anno 1547. VII. Idus Augusti: S. Joannes de Deo Lusitanus anno 1550. VIII. Idus Martias: S. Ignatius Loyola Cantaber an. 1556. die Julii postrema. S. Theresia Avilensis anno 1582. die 14. Octobris: eodem an. 1582. Thomas a *Jesu* Lusitanus Augustinensis, Aloysii de Montoja viri Cl. discipulus, & Saracenorum captivus; inter quos tetro inclusus carceri, ferreisque catenis devinctus, absque libris, & qualibet re destitutus, patria lingua egregium Opus edidit, *de' Travagli di Gesù.* S. Philippus Nerius Florentinus

---

(y) Maximiliani II. Epitaphium demonstrans annum ejus emortualem:

ALta qVIes præLVstre CapVt, qVoD præfVIt orbI:
SVbrVIt, eXCeLLens VIX, tegIt Vrna DeCVS.

(z) Rudolphi II. Epitaphium Chronologicum:

DVX, aC LVX gentIs FabIanI heV LVCe RoDoLphVs
CæsarIo genItVs sangVIne Cæsar obIt.

nus deceſſit anno 1595. VIII. Calendas Junias. Adde ſanctiſſimos Epiſcopos, Thomam a Villanova Patrem pauperum, & Carolum Borromæum decus Purpuratorum Patrum, ac Præſulum. (*a*) Adde Societatis Jeſu alumnos præclaros Franciſcum Borgiam Miraculum Principum, Franciſcum Xaverium Indorum Apoſtolum, Stanislaum Koſcam victimam Charitatis, Aloyſium Gonzagam, Angelicum Juvenem nuncupatum. (*b*) Simplicitatem, atque innocentiam in Felice a Cantalicio Ord. FF. Min. quos *Cappuccinos* vocamus, ſpiritualis Vitæ magiſterium in Joanne *a Cruce* Carmelita Excalceato, pœnitentiæ auſteritatem, in Petro de Alcantara Ord. Min. Obſervantiæ, Angeli Florentini Monachi Valliſumbroſæ, Michaelis Eremitæ Camal ulenſis, Joſephi a S. Geminiano Auguſtiniani Eremitæ, aliorumque ſplendidiſſimas egregiasque virtutes nemo non celebrat, non miratur. Bartholomæi de Martyribus Archiepiſcopi Bracarenſis, Alphonſi de Orozco Auguſtiniani, Didaci Protomartyris Peruani ejusdem Ordinis; deceſſit Alphonſus anno 1591. & Didacus martyr occubuit anno 1586. & Joannis Avilæ Apoſtoli Vandalitiæ, glorioſa nomina nondum ſunt Catalogis Sanctorum inſerta. In ſe tamen cunctorum admirationem, atque celebritatem convertunt. Poſtremo hujus ſeculi anno evolavit ad Sponſum Roſalia nobiliſſima virgo Panormitana.

Qui in Anglicano interfecti ſunt ſchiſmate, non videntur penitus omittendi. Exceſſo enim Catholicæ religionis jugo, *Henricus VIII.* martyrio affecit anno 1535. præſtantes viros, qui vel ejus a Catharina divortium improbabant, vel nolebant eum

(*a*) S. Thomas migravit ad ſuperos anno 1555. VI. Idus Septembris, & S. Carolus anno 1584. III. Nonas Novembris. S. Joannes a Cruce anno 1591. &c.

(*b*) Jeſuitas Martyres LXIX. ad annum 1570. Brietius, aliique recenſent. Spondanus num. 25. LXVII. enumerat.

tanquam Caput Anglicanæ Ecclesiæ cognoscere. Inter quos die 4. Maji necati sunt Carthusiani tres Monasteriorum præfecti, *Rynaldus* Ord. S. Birgittæ Doctor præclarus, & *Joannes Hail* pastor animarum. Martyribus accensendos esse non dubito *Joannem* Cardinalem Roffensem, ac *Thomam Morum* Angliæ Cancellarium virumque clarissimum, qui eodem anno 1535. data constanter cervice occubuerunt. Plexi capite post varia supplicia Carthusiani alii. Anno 1538. *Joannes Forestus* Ord. Min. Confessarius Reginæ Catharinæ ab Henrico repudiatæ, patibulo appensus, & lento igne combustus fuit: ejusque sortem assecuti sunt Fratres ejusdem Ordinis LVI. Regi monachismum damnanti, & Monasteriorum usurpanti bona, alii non obtemperantes supplicium capitis subierunt anno 1539. inter quos Abbates Benedictini, *Richardus Hugo*, *Joannes*. Prope finem libri 1. de Schismate Anglic. Sanderus enumerat sub Henrico interfectos XIII. monasteriorum Rectores, & Sacerdotes vel Monachos, vel Presbyteros seculares LXXVII. Regnante autem *Eduardo Seimero* Episcopi omnes, qui Regis in Ecclesia primatum negarunt, dejecti fuerunt e Sede; Catholici innumeri carceribus, & exilio mulctati. Denique Elisabetha regnante martyrio coronati sunt, anno 1577. *Cuthertus Mayno* Sacerdos, anno 1581. *Edmundus Campianus* S. Jesu, (c) & Presbyteri duo: septem alii anno proximo: item sex alii Eboraci; Vintoniæ civis laicus; Londini impref-

(c) In Indice Martyrum Soc. Jesu ad calcem Bibliothecæ Script. ejusdem Soc. legitur.

En & Garnetos geminos, laqueoque decorum
Edmundum, terras inter, cœlumque nefanda
De trabe sublimem.

At de Henrici Garneti supplicio, ejusque imagine formata sanguinis gutta, diversa a P. Jovenci alii tradunt. Sinistro judicio abripi nolumus.

impressor librorum Catholicorum; Longovici *Jacobus Labournæ* vir nobilis, aliique tam multi, ut anno 1583. omnes Londinenses carceres pleni essent Catholicæ fidei confessoribus.

His adnumerandum esse *Mariam* Scotorum Reginam, nullus dubito. De hujus jure ad regnum Angliæ, dixi capite tertio. Hæc anno 1558. nuptui tradita Francisco filio Henrici II. Galliarum Regis, orbata post biennium viro rediit in Scotiam, regnum Angliæ defuncto Henrico VIII. consecutura; sed pro regno invenit bipennem. Posteaquam enim *Henrico Stuarto* patrueli juncta fuerat connubio, ac ex eo pepererat filium, qui fuit *Jacobus VI.* Rex Scotiæ, secundo viro anno 1567. a parricidis occiso, opera hæreticorum Comiti Bethuelio, nefarii parricidii auctori, iterum nupsit, atque ab iisdem hæreticis, tanquam in mariti necem conspirasset, traducta, in Angliam confugit: ac sententia Judicum: manu Elisabethæ firmata, prætextu illius cædis, & pro Angliæ regno occupando moliminis, revera autem causa Romanæ, & orthodoxæ Religionis, securi percussa fuit anno 1587. die 18. Februarii. (*d*) Hinc in *Theatro crudelitatis hæreticorum* scriptum legimus:

Post varias clades miserorum, & cædis acervos
Insontum, comes exornat spectacula Mater
Supplicio, & Regum Soror, & fidissima Conjux.

(*d*) Ferunt, Mariam proximam morti, quam invicto animo subiit, verbis perstrinxisse immanitatem Anglorum in Reges suos sævientium. Sane Bodinus in *Meth. Hist.* cap. 5. & 6. *de replica* lib. 2. cap. 5. & lib. 4. cap. 7. refert, ex Regibus Anglis XL. civili conspiratione duodecim periisse; & spatio annorum 36. quibus civilia bella exarserunt, supra octoginta Regiæ stirpis homines fuisse interfectos. Contra Principem suum

CAPUT VI.

QUÆ PERTINENT AD SECULI XVI. DOCTRINAM, ET DISCIPLINAM.

Pro doctrina, & disciplina hujus Seculi deprehendenda, sat est in Tridentinæ Synodi decreta oculos conjicere. Apparebit illico dogmata Fidei, quæ ex inveterata traditione profitetur Romana Ecclesia, fuisse irreformabili definitione confirmata. Inter quæ in canone retinendos esse didicimus libros, de

---

suam venali calamo, ut supremo afficeretur supplicio, scripsit Georgius Buchananus, Calviniſta, Historiæ Scoticæ, aliorumque Operum auctor, sed Mariæ infensissimus hostis. A Jacobo enim Rege Mariæ patre ob hæresim in exilium pulsus fuerat, & a Moravio consecuturum se sperabat Scotiæ patriarchatum. At morti proximus dicta scriptaque sua retractavit, testatus a se tantum vitæ spiritusque exoptari, ut maculas Mariæ falso adspersas, proprio etiam sanguine, deleret. Buchanani solius meminimus; *reliqui enim ex hoc luculento fonte turbidum hausere*, inquit Famianus Strada. Maphæus Barberinus, tunc magni ingenii adolescens, postea Urbanus VIII. Pontifex Max, piissimæ Reginæ exequias hoc epitaphio exornavit:

Te quamquam immeritum ferit, o Regina, securis,
Regalique tuum funus honore caret;
Sorte tua gaude, mœrens neque Scotia ploret:
En tibi pompa, tuas quæ decet exequias.
Nam tibi non paries atro velatur amictu,
Sed terras circum nox tenebrosa tegit.
Non tibi contextis lucent funalia lignis,
Sed cœli Stellæ: Nœnia tristis abest;
Sed canit ad feretrum Superum Chorus aliger, & me,
Cœlesti incipiens voce, silere jubet.

de quorum auctoritate nonnulli hæsitarunt, cujusmodi sunt liber Sapientiæ, duo Machabæorum, Apostoli ad Hebræos Epistola, Catholica Jacobi, cæterique, de quibus differunt Polemicæ Theologiæ Tractatores. Rejicienda autem esse inter Apocrypha, quæ in eodem Canone non recensentur; cujusmodi sunt in Vet. Testamento liber Henoch, Testamenta XII. Patriarcharum, Genealogia Job, Oratio Manassis, & Esdræ liber III. & IV. in Novo autem Pseudoevangelia inscripta nominibus Apostolorum, Acta Theclæ & Pauli, octo libri Itinerarii Clementis, & alii, de quibus Romana LXX. Episcoporum Synodus anno 494. Explicatum uberius est dogma *Justificationis*, quæ fit justitia inhærente, non sola extrinseca condonatione, sive non imputati ne peccati; & quæ Novatores ajunt esse Ecclesiæ Antichristi characteres, videlicet, Sacrificium Missæ, cultus Eucharistiæ, auricularis confessio, Chrismatis unctio, Sacrorum infirmorum Oleum, defunctorum suffragia, exhibita Sanctorum imaginibus & Reliquiis veneratio, Indulgentiarum largitio, sacrorumque rituum observantia, ad Fidei integritatem, & Ecclesiæ decorem pertinent, nullo Catholicorum dissentiente.

Ad Ecclesiasticam politiam spectant statuta Episcoporum residentia, Seminariorum erectio, celebrandæ quolibet triennio Synodi Provinciales, prohibita Curatorum Beneficiorum pluralitas, unius tantum, si ad vitam honeste sustentandam sufficiat approbata collatio, dispensationes hac in re absque legitima causa prorsus inhibitæ, lites inter Ecclesiasticos ab Episcopis componendæ, a Clericis forensia jurgia vitanda, horum Ordinationes a proprio tantum Episcopo, nec sine illius permissu peragendæ. Huc spectat Presbyterorum cœlibatus, disciplina Monachorum, potestas absolvendi a peccatis concedenda ab Ordinariis, Casuum reservatio iisdem competens, atque ad nuptiarum sanctitatem custodiendam Impedimentorum Matrimonii distincta explicatio, & clandestinorum conjugiorum contractus inhibitus.

Temporalibus pœnis, extremoque supplicio animadversum hoc præsertim seculo in hæreticos. *Edmundus Fossæus* ob fractam Eucharistiam anno 1503. combustus Parisiis. Quidam Ordinis Prædicatorum anno 1509. ob imposturas, Langio ac Trithemio testantibus, concremati: *Hermannus Ryswick* in hæresim iterum lapsus anno 1512. Hagæ Comitum: Hebræus quidam baptizatus, qui per annos 26. Sacerdotio fungebatur non initiatus anno 1514. apud Saxones: Duo Augustiniani Ordinis Apostatæ Bruxellis anno 1523. Proximo anno 1524. *Henricus* quidam *Zutphaniæ* in Belgio: *Balthasar* Friburgensis anno 1528. Viennæ in Austria: *Rupertus Baro* anno 1539. in Anglia: Viator quidam Statuæ B. V. anno 1550. Lutetiæ Parisiorum: (e) Eadem in Urbe anno 1559. Calvinistæ permulti, atque in Hispaniis quamplurimi: Romæ *Aonius Palearius* anno 1566. eodemque anno Bernæ *Valentinus Gentilis* Tritheita: In Belgio anno 1580. *Joannes Guilelmus* Anabaptista: In Anglia demum anno 1590. *Guilelmus* Puritanus. Asserentibus modo hæreticis, nefas esse animadvertere in hæreticos pœna capitis, reponendum est, quo ergo jure Genevenses Servetum & Gentilem incendio necarunt? quo jure Angli Puritanos, & sub Henrico VIII. an. 1538. *Lambertum* Zwinglianum? Imo quo jure causa Religionis interfecti sunt ab iisdem hæreticis Martyres, quorum multos superiori capite laudavimus? Verum non egent aperta mendacia confutatione.

Crevit in tanta hæresum illuvione decor & gloria Romanæ Ecclesiæ, tum Sanctorum, quos cap. superiori memoravimus, consummata virtute, tum decreto aliis solemni Canonizatione specialis cultus honore. Leo enim X. anno 1514. *Brunonem* Patriarcham

(e) De Serveto combusto Genevæ anno 1553. diximus supra cap. 3. Romæ item ultricibus flammis absumptus anno 1000. Jordanus Bruno Nolanus, de quo Caspar Scioppius.

cham Carthusianorum, & anno 1519. Franciscum a Paulo Minimorum Parentem retulit inter Sanctos. *Casimiro* F. Casimiri Regis Poloniæ anno 1521. eumdem detulit honorem. Hadrianus VI. adscripsit an. 1523. Sanctorum Fastis *Benonem* Misniæ, & *Antoninum* Florentiæ Antistitem. *Laurentium Justinianum* primum Patriarcham Venetum anno 1524. Clemens VII. *Gundisalvum* Lusitanum Ord. Prædicat. Julius III. anno 1551. *Didacum* diœcesis Hispalensis Ord. Min. 1588. Sixtus V. & *Hyacinthum* Polonum Ord. S. Dominici anno 1594. Clemens VIII.

Religiosarum quoque Familiarum plurimum adauctus est numerus. Primo enim institutus fuit, & a Clemente VII. approbatus an. 1514. Ordo *Clericorum Regularium*, quos *Theatinos* vocant ab Episcopo Theatino Joanne Petro Carafa, postmodum Paulo IV. de quo cap. 1. eumdemque Ordinem confirmavit an. 1567. S. Pius V. Tum *Capucinorum* auctor fuit anno 1525. Matthæus Bassius Ord. Minorum de Observantia. Atque hoc institutum Clemens VII. an. 1528. & Paulus III. an. 1535. approbarunt. Tertio exorti sunt an. 1532. & ab eodem Pontifice Clemente VII. atque an. 1606. a Paulo V. confirmati *Fratres Minores* strictioris observantiæ, quos vocant *Recollectos*. Approbatus insuper ab ipso Clemente anno 1528. & rursus a Paulo III. an. 1535. Ordo *Clericorum Regularium S. Pauli*, quos ab Ecclesia Mediolanensi S. Barnabæ eis primum concessa *Barnabitas* vocant. Istorum vero Auctores fuere an. 1526. Antonius Morigia, & Bartholomæus Ferrarius Mediolanenses, atque Franciscus Maria Zacharia Cremonensis. Prodiit circa annum 1531. Congregatio *Clericorum*, quos vocant *Sommaschos*, auctore B. Hieronymo Æmiliano Patritio Veneto, ad Orphanorum curam gerendam: eamdemque Congregationem an. 1540. Paulus III., anno 1568. S. Pius V., & anno 1585. Sixtus V. confirmaverunt. Sequitur *Societas Jesu*, an. 1534. instituta Parisiis a S. Ignatio Loyola, a Paulo III. anno 1539. vivæ vocis Oraculo, & an. 1540. & 1543. Apostolicis Constitutionibus con-

firmata, a Julio III. an. 1550. privilegiis condecorata, a S. Pio V. anno 1571. inter Ordines Mendicantium adscripta, & a Gregorio XIV. anno 1591. ampliſſimis laudibus jure ac merito celebrata, Sanctorum, Scriptorum, Virorumque Apoſtolicorum Parens ſecunda. Circa annum 1568. (f) *Carmelitæ Diſcalceati* a S. Matre Thereſia habuerunt originem, quorum inſtitutum confirmarunt an. 1580. Gregorius XIII. & an. 1593. Clemens VIII. *Ordo Charitatis*, curæ infirmorum addictus, quem S. Joannes de Deo inſtituerat anno 1538., confirmatus fuit a S. Pio V. anno 1572. & rurſus a Sixto V. an. 1586. *Clerici Regulares Doctrinæ Chriſtianæ*, quorum inſtitutum confirmavit an. 1650. Innocentius X., a Cæſare *de Bus* an. 1570. duxerunt originem. Qui vero titulo *Matris Dei* ſecernuntur, Lucæ anno 1574. primam habuerunt inſtitutionem, confirmationem vero a Clemente VIII. anno 1604. & titulum, quo fruuntur, anno 1614., a Paulo V. *Congregationem Oratorii*, quam an. 1575. inſtituit S. Philippus Nerius Florentinus, Paulus V. anno 1612. cum ſuis Conſtitutionibus confirmavit. *Monachi Fulienſes* a Joanne Barreira Ciſtercienſi trahentes ab anno 1577. primordia, a Sixto V. anno 1586. approbati, atque a Clemente VIII. an. 1592. a Ciſtercienſium jurisdictione fuerunt exempti. Qui dicuntur *Miniſtri Infirmorum* inſtituti ſunt anno 1585. a S. Cammillo de Lellis, (g) & proximo anno a Sixto V., atque a Gregorio XIV. anno 1591. confirmati. *Clerici Regulares*, *Minores* nuncupati, ab Auguſtino Adorni Genuenſi inſtituti an. 1588., & a Sixto V. approbati privilegia Theatinorum an. 1592. conſecuti ſunt a Gregorio XIV. Anno demum 1595. in Hiſpania duæ Congregationes Diſcalceatorum, approbante Clemente VIII.

ſunt

(f) Juxta Spondanum, Graveſon, &c. At juxta alios, anno 1561.

(g) Obiit proximo ſeculo, anno ſcilicet 1614. die 14. Julii.

sunt institutæ, una Augustinensium, & altera SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum. (*h*)

Addendi sunt Equestres Ordines, *Sanctorum Ap. Petri & Pauli* an. 1540. institutus a Paulo III. *Sancti Stephani* Papæ ac Martyris an. 1560. institutus a Cosmo I. Mediceo Florentinorum Duce. & an. 1562. confirmatus a S. Pio V. Denique *Spiritus sancti*, sive *Equitum Torquatorum* institutus ab Henrico III. Rege Galliarum postrema die anni 1578.

APPENDIX.

CÆTERARUM RERUM ACCESSIO.

Galliarum Regi Ludovico XII. successit an. 1515. *Franciscus I.* Huic anno 1547. *Henricus II.* Isti autem an. 1559. *Franciscus II.* An. 1560. regnare cœpit *Carolus IX.* & an. 1574. *Henricus III.* postremus stirpis Valesiorum. Successit an. 1589. *Henricus IV. Borbonius*; (*i*) In Hispaniis vero post Catholicos Reges Ferdinandum V. & Isabellam, cœpit an. 1505. administrare Regnum *Joanna*, quæ nupsit *Philippo* Austriaco. An. 1516. *Carolus I.* inter Imperatores V. anno 1556. *Philippus II.* (*k*) & an. 1598. *Philippus III.* qui obiit anno

(*h*) Congregatio *Coloritana* instituta sub Pio IV. & approbata a S. Pio V., quæ anno 1606. subjecta fuit Priori Generali Augustinensium, anno 1749. variis difficilis exagitata & paulo post extincta fuit.

(*i*) Occisus anno 1610. ut dicetur Seculo proximo. Henricus autem III. prædicto anno 1589. Cal. Aug. a F. Jacobo Clemente confossus, proxima die obiit annos natus 38.

(*k*) Ingenti sumptu XX. decies centenorum millium aureorum Philippus II. extruxit *Escuriale* S. Laurentii monasterium

7. a

no 1621. Lusitaniæ Regnum post Emmanuelem I. gubernare cœpit *Joannes III.* an. 1521. *Sebastianus* anno 1557. *Henricus* Cardinalis & Archiepiscopus Bracarensis an. 1578. *Philippus I.* inter Reges Hispaniarum II. an. 1580. & *Philippus II.* inter Reges Catholicos III. an. 1598. In Hispaniis itaque, & in Lusitania duo postremi Reges tenuerunt imperium. (*l*)

Sultanorum autem Series hæc est: Postquam an. 1512. Bajazethes II. periit veneno, Imperium occœpit parricida *Selimus.* (*m*) Is pestilentia sublatus est anno 1520. & regnavit postmodum spatio annorum 46. *Solimanus II.* Huic extincto anno 1566. successit *Selimus II.* qui subitanea morte interiit anno 1574. Imperavit tum *Amurathes III.* usque ad annum 1595. Huic vita functo suffectus est *Mahumetes III.* qui e vivis excessit anno 1603.

Infausta

---

7. a Matrito leucis, ob victoriam e Gallis relatam anno 1557. ad Fanum sancti Quintini. Extat in Escuriali Regum Hispanorum, qui postea decessere, mausolæum.

(*l*) Anno 1509. cœpit in Anglia regnare *Henricus VIII.* An. 1546. *Eduardus VIII.* Anno 1553. *Joannes*, cui præcisum fuit caput. Anno 1553. *Maria*, & anno 1558. *Elisabetha.* In Polonia cœpit Regnum administrare an. 1501. Alexander. Anno 1506. *Sigismundus I.* Anno 1548. *Sigismundus II.* Augustus. Anno 1572. *Henricus.* Anno 1576. *Stephanus.* Anno 1587. *Maximilianus*, eodemque anno *Sigismundus III.*

(*m*) *Selimus* anno 1517. delevit Sectam *Mamalucorum.* Significatur hoc nomine *Stipendiarii ac ministri.* Instituti fuerant Seculo XII. a Saladino, & erant ex Christianis Mahumetani, ad bellum instructi, & aliquando ad *Sultanorum* dignitatem evecti. Veneno opera Judæi medici patrem sustulit, duos necavit fratres, ac septem ex eis prognatos nepotes. Judæo patris interfectori, loco præmii, jussit caput præcidi. Pestilenti carbunculo eodem in loco anno 1520. extinctus est, in quo Bajazethi parenti suo jusserat propinari venenum.

Infausta bella Christianis, aliisque hostibus intulere prædicti Turcarum Imperatores. Etenim Selimus anno 1516. Memphim, quam Alcairum dicunt Sedem Sultanorum Ægypti, urbesque, & arces finitimas occupavit; subjecit sibi Damascum, obsedit Gazam, in sui potestatem redactis universa Syria, & Judæa. Solimanus vero an. 1521. expugnavit Albam Græcam, id est, Belgradum, propugnaculum Hungariæ, & Rhodum cinxit obsidione: quam insulam proximo anno 1522. cœpit post miram defensionem Equitum S. Joannis, qui supra an. 212. (n) eamdem tenuerant. Per idem temporis Bassa *Ferrat* subegit Armeniam, Cappadociam, & Galatiam. Idem Solimanus an. 1526. superavit Ludovicum Regem Hungariæ prælio, quo cum ipso Rege occubuerunt XV. millia Christianorum. Budam expugnavit anno 1529. Viennam diebus 18. frustra obsidione cinxit; amisitque in hac expeditione milites 80000. Irrupit tamen rursus in Hungariam an. 1532. cum exercitu armatorum 300000. Regnumque illud longe lateque vastavit. Contra Tamasum *Sophim* Persarum an. 1534. tetendit, exciditque Taurestum, urbem Persidis olim amplissimam. Venetis an. 1537. eripuit insulam Corcyram, multis captivorum millibus Constantinopolim abductis. In Hungariam iterum irruit anno 1541. & 43. atque anno 1551. Tripolim in Africa invasit. Deleta an. 1560. a Turcis Classis Hispanica, superiori anno comparata ad Tripolim recuperandam: triremes in illa 27., naves onerariæ 14. cum XVIII. millibus armatorum. Atque hoc Solimano imperante, a quo tres quoque filii interempti, & Achomati Bassæ primario guttur elisum fuit. Regnante Selimo II. Bellum Cyprium efferbuit: capta anno 1570. metropolis Cypri Nicosia: sequenti an. 1571. ditissima civitas Famaugusta, antiquis Arsinoe. Illic violata fide, Præfecto Veneto nares auresque præcisæ, & vivo detracta est pellis. (o)

Classe

(n) Occupaverunt enim anno 1310.

(o) *Brugadinus*, de quo Thuanus libro Histor. 49.

Classe tamen a Venetis instaurata, hujusque regimine commisso Joanni Austriaco filio noto Caroli V., Christiani insignem illam victoriam ad Naupactum sinum Corinthiacum (p) prope Echinadas insulas reportarunt, qua trucidati dicuntur XXX. millia Turcarum, captæ CXXX. triremes, præter reliquas partim illisas littoribus, partim absumptas flammis, aut fluctibus haustas; liberati vero a captivitate Christianorum XIV. millia. (q) Valachia an. 1574. in Turcarum potestatem venit; & anno insequenti Amurathes Russiam vastavit. Ab ipso Amurathe anno 1582. rebellarunt Tartari. Album regalem urbem superioris Pannoniæ, vulgo *Stulweissenburg*, an. 1583. Turcæ expugnarunt; quam urbem Christiani tentantes anno 1593. trucida unt octo millia Turcarum, cessitque nostris Novigradum, & Fillecum munitum Hungariæ oppidum, Ibrahim *Bassa* an. 1600. expugnavit Sanisiæ arcem in finibus Hungariæ, & Stiriæ (r)

Ad bella modo, quæ Occidentem vexarunt convertitur historica Epitomes. Anno 1507. exortum est bellum inter Maximilianum Imp. & Venetos: anno proximo initum fœdus contra eosd. Venetos, inter ipsum Maximilianum, Ludovicum XII. Galliarum Regem, & Julium II. Romanum Pontificem; atque an. 1509. Rex Ludovicus Venetos ad Abduam Insubriæ fluvium ingenti clade prostravit, eisque finitimas urbes eripuit. Pugnatum ad Ravennam an. 1512. inter Ludovicum XII, & Julium II. cæ-

(p) Vulgo sinus *Lepanti*, & insulæ *Curzulari*, maris Jonii.

(q) Additum tunc Litaniis, *Auxilium Christianorum*, & celebratum Festum *S. Mariæ de Victoria* die 7. Octobris.

(r) Prætermisimus immane monstrum, cornua gerens in capite, oculum in mento, alas pro brachiis, rapacium ferarum ungues in pede, figuram crucis in pectore, natum Ravennæ anno 1512. Pestilentiam, qua Tornaci consumptæ sunt 34000. hominum anno 1514.

II. cæſæ Pontificis copiæ, & civitas capta; ſed paulo poſt reſtituta advenientibus auxiliariis copiis Helveticorum. Bellum inter Carolum V. Imp. & Franciſcum I. Regem Galliæ exortum eſt an. 1522. Franciſcus ad Ticinum captus an. 1525., dimiſſus an. 1526. ubi pervenit in Gallias, fœdus iniit adverſus Cæſarem cum Venetis, & Clemente VII. Rom. Pontifice. At Roma an. 1527. ab Exercitu Caroli V. capta, & direpta fuit anno 1581. poſteaquam Pontificatum gerente Sergio II. vaſtata fuit a Saracenis: Quod contigit an. 846. (*s*) Dux militum Carolus Borbonius muros civitatis Leoninæ aſcendens occiſus fuit, eique ſuffectus Philibertus Princeps Arauſicanus. Pontifex captus 6. Junii poſt menſes ſeptem mutata veſte Urbem Veterem confugit. (*t*) Anno autem 1529. amicitia cum Carolo V. redintegrata, Italis pax affulſit, rediit Florentiam Alexander Medices Clemenis pronepos, anno 1531. Florentinorum Dux conſtitutus.

An.

(*s*) In ea Urbis direptione *Chriſtophorus Marcellus* Venetus, electus Archiepiſcopus Corcyrenſis, eloquentiſſimus piiſſimusque Scriptor, ut demonſtrant illius *Exercitationes* in Pſalmos editæ in lucem Romanis typis anno 1525. maximis affectus contumeliis, & ad arborem alligatus fuit, obiitque ex animi triſtitia, corporis afflictatione, aerisque inclementia prope Cajetam: dignus ſane, quem Pierius Valerianus inſereret priori libro *de Litteratorum Infelicitate.*

(*t*) Colligitur ex hoc quoque *Breviario* Romam ſexies ab hoſtibus fuiſſe direptam, ut Hiſtorici tradunt complures. Contigit id itaque.

I. Sedente *Innocentio I.* anno 410.
II. Sedente *Leone Magno* anno 455.
III. Sedente *Vigilio* anno 546.
IV. Sedente *Stephano II.* anno 753.
V. Sedente *Sergio II.* anno 846.
VI. Sedente *Clemente VII.* anno 1527.

Quis vero in Urbem ſingulis hiſce annis hoſtili irruperit incurſione, propriis in locis adnotavimus.

An. 1535. Carolus V. trajiciens in Africam expugnavit Tunetem, Regemque Muleaſſem, ejectum a Turcis, Regno reſtituit, ſibique reddidit vectigalem. In Africam an. 1541. idem Carolus V. cum magno exercitu trajiciens Algeriam, olim Juliam Cæſaream Mauritaniæ, appulit; ſed claſſe tempeſtatibus jactata rediit re infecta, dicens, malle ſe unum Chriſtianum ſervare, quam perdere mille Mauros. (u) Mauritius Elector Saxoniæ an. 1550. Magdeburgum obſedit: anno 1552. cum Carolo V. geſſit bellum; & anno 1553. pugnans adverſus Albertum Brandeburgicum accepto vulnere interiit. Inchoatum eſt anno 1567. bellum Belgicum, quod perduravit circa annos 41. Claſſis Hiſpanicorum anno 1588. partim ab Anglis, partim tempeſtatibus disjecta fuit, ac diſſoluta.

Bellorum incurſionibus addenda ſunt fata Principum. Annam Bolenam, & Mariam Scotorum Reginam ſecuri percuſſas, & Ludovicum Hungariæ Regem interfectum in bello, narravimus ſupra. Eliſum guttur anno 1517. Alphonſo Cardinali Petrutio, inſidias contra Pontificem molienti. Chriſternus Rex Daniæ cum optima conjuge Eliſabetha Caroli V. Sorore, anno 1523. a patruo ſuo Friderico dejectus regno, & fugere coactus fuit. Henricus II. Rex Galliarum obiit anno 1559. ex vulnere accepto in equeſtri ludo; & Henricus III. anno 1589. inflicto vulnere a Jacobo Clemente. Henricus Stuartus Scotorum Rex, ut diximus, a Bothuelo anno 1567. necatus eſt dormiens: Carolus Hiſpaniarum princeps ſequenti anno 1568. jubente Philippo Patre, ut fertur, extinctus veneno; & Rex Poloniæ Philippus, qui anno 1594. declaratus fuerat Rex Sveciæ, præſtito juramento non mutandi religionem, anno 1599. ob violatum jusjurandum regno prædicto Svecorum excidit.

Non

(u) Anno 1546. inchoatum a Carolo V. bellum Smalcadicum adverſus Proteſtantes.

Non unam, sed plures calamitates senserunt Pisani, qui anno 1509. fame compulsi, & a sociis derelicti dederunt se Florentinis: Galliæ, & Navarræ regna anno 1512. subjecta fuerunt *Interdicto*, & hujus occasione irruptionibus hostium; (x) Constantinopolitana civitas, orta, ob indictum novum tributum, seditione, ubi facto incendio consumpta est magna pars Urbis, domorum nempe quindecim millia, septem templa & hospitalia vigintiquinque. Saxones demum, inter quos anno 1598. pestilentia desæviit.

Institutæ hoc Seculo permultæ Academiæ, ut in Galliis anno 1564 *Vesuntina* a Ferdinando I. Imp. In Germania *Wittembergensis* anno 1502. *Argentoratensis* anno 1538. ac, *Trevirensis* anno 1558. In Hispania *Complutensis* (y) anno 1517. a Francisco Card. Ximenio, & *Granatensis* anno 1537. a Carolo V. Imperatore. In Belgio *Duacensis* a Philippo II. Rege Hispaniæ anno 1562. & *Lugduni Batavorum* (z) ab Ordinibus Hollandiæ anno 1575. In Polonia *Elbingensis* anno 1542. & *Regiomontana* an. 1544. ab Alberto Borussiæ (a) Duce. In America quoque *Mexicana* anno 1551. a Carolo V. *S. Dominici* anno 1558. & *Quitensis* Peruana anno 1586. a Philippo II. Hispaniarum Rege.

Non eam modo provinciam assumo Viros litteris ornatos celebresque cunctos commemorandi. (b) Quis enim eloquentior, & de latina lingua magis bene-

neme-

(x) Tornaci anno 1514. triginta quatuor millia hominum sæva pestis absumpsit. Proximo anno 1515. maximam, & inauditam exundationem aquarum Chronica commemorant Germanorum.

(y) Alcala.

(z) Leyden.

(a) Prussiæ.

(b) Quidam in Philosophia plura phantastica, & rationi dissona commenti, (ut *Cardanus* Mediolanensis ortus anno 1501.) licet

nemeritus Purpuratis Patribus *Petro Bembo* Veneto, & *Jacobo Sadoleto* Mutinensi? Quis orationis copia, & delectu eruditione uberior, *Petro Victorio* Florentino, *Latino Latinio* Viterbiensi, *Adriano Turnebo* Normanno, *Raphaele* Volaterrano, *Nobilio* Lucensi? Quis litterarum humaniorum libros illustravit melioribus notis, *Dionysio Lambino* Gallo, *Georgio Fabricio* Germano, *Paulo Manutio* Veneto? Si quis deambulet pulcherrima Sapientum Viridaria, plures mirabitur in omnium scientiarum genere sata ibidem sua coluisse. Elegantissimæ, plurimæque orationes elaboratæ fuerunt a *Guilelmo Buldæo* Parisiensi, a *Marco Antonio Mureto* Lemovicensi; & Thusca politiori lingua *Joannes Casa* Florent. Archiepiscopus Beneventanus cæteris pure ornateque dicendi reliquit exemplar. (c) In *Justo Lipsio* Belga, in *Fulvio Ursino* Romano, in *Petro Pithœo* Trecensi

---

licet inter Philosophos clari, silentio sunt omittendi. Idem judicium ferendum de *Petro Pomponatio* Mantuano, qui natus anno 1462. obiit hoc secuso senio confectus, ideoque post annum 1522. quo anno decessisse putat Morerius. Audiit *Pomponatius* tanquam atheus ob librum de *Immortalitate animæ*: sed ante extremum halitum respuisse testatur Helidius Forolivienſis ejus discipulus, ac sunt etiam, qui scripserunt ejusdem apologiam. Haud secus asserendum de *Petro* Aretino maledico, & impuro scriptore, qui vixit hoc seculo XVI. cujus legitur Latinum, & Italicum Epitaphium. Latinum quidem:

Condit Aretini cineres lapis iste sepultus,
Mortales atro qui sale perfricuit.
Intactus Deus est illi, causamque rogatus
Hanc dedit: Ille, inquit, non mihi notus erat.

Italicum vero: „ Qui giace l'Aretin Poeta Tosco,
„ Che d'ognum disse mal, fuorche di Dio,
„ Scusandosi col dir, lo no'l conosco.„

Non fuit tamen Aretinus auctor libri *de Tribus Impostoribus*; qui liber nuspiam fortassis extitit.

(c) *Joannes Casa natus est Florentiæ anno 1503. obiitque Romæ anno 1556. die 14. Novembris 1559. ut ait Hughellus,*

censi habes omnis liberalis eruditionis ornatum. Quæris historias conscribendi methodum? *Franciscus Guicciardini* Florentinus, *Joseph Acosta* S. J. Hispanus, *Carolus Sigonius* Mutinensis facem præseferent. (*d*) Peroptas in poesi venustos? Lege Virgiliana carmina *Hieronymi Vidæ* Cremonensis Canonici Regularis, Itala, *Torquati Tossi* Bergomensis, Latina, & vernacula *Actii Sinceri*, seu *Jacobi Sannazarii*, Neapolitani: Geographiam universam tradidit *Abrahamus Ortelius* Philippi II. Regis Hispaniarum Cosmographus: Rationem temporum *Joseph Justus Scaliger* Julii Filius Gallus: astrorum aspectum *Nicolaus Copernicus* Borussus; Cometarum, stellarumque inerrantium Progymnasmata *Tycho Brahe* Danus: Euclidis Matheſim *Christophorus Clavius* Jesuita Bambergensis: Platonicam Philosophiam *Franciscus Patricius* Venetus: Medicinæ arcana *Hieronymus Mercurialis* Forolivienſis. (*e*) Rerum publicarum politicam *Joannes Bodinus* Andegavensis. Si Jureconsultos quoque clarissimos laudare velimus, profert Italia *Laurentium Campegium*, *Andream Alciatum*, *Joannem Paulum Lancillottum*: (*f*) Hispani. *Didacum*, & *Antonium Covarruvias*, *Antonium Augustinum*, *Franciscum Vargam*; & Gallia *Andream Tiraquellum*, *Barnabam Brissonium*, *Jacobum Cujacium*. Huic Tolosæ, ubi decessit anno 1590. erectum monumentum, in quo legitur:

T 2 CVIA-

(*d*) Viris omnigenæ doctrinæ adnumerandus *Cœlius Richierius Rhodinus*.

Excelluit item in Historia *Paulus Jovius* Novocomensis, Episcopus Nucerinus. De *Polydoro Virgilio* Urbinate, qui Anglicanam scripsit Historiam, & librum *de Inventoribus rerum*, notum illud Oweni:

Virgilii *duo sunt*, *alter* Maro, *tu* Polydore
Alter: *Tu mendax*, *ille Poeta fuit*.

(*e*) Docuit Pisis annuo 2000. aureorum stipendio.

(*f*) Non videtur prætermittendus *Guidus Pancirolus* Rhegiensis, neque *Georgius Buchananus* Scotus, &c.

CVIACI, THEMIDISQVE *vides commune sepulcrum;*
Conduntur simul hic, qui periere simul.

Hæc exscribentes laudibus cæterorum, qui aut commemorati sunt, aut brevitatis causa prætermissi silentio, noluimus quidquam detrahi. (g)

DECI-

(g) Claruerunt hoc quoque Seculo Typographi accuratissimi, *Sebastianus Gryphius*, *Simeon de Colines*, & *Henricus Stephanus*: Extat de his Epigr.

Inter tot norunt libros qui cudere, tres sunt
Insignes: languet cætera turba fame.
Castigat Stephanus, sculpit Colinæus, utrumque
Gryphius docta mente manuque facit.

Sebastianum patrem Lugduni imitatus est *Antonius Gryphius*, Alterius generis fuit *Joannes Gryphius* Venetus. Laudandi & *Aldi*, *Joliti*, *Juntæ*, alii.

Alii floruerunt Seculo XVI. viri percelebres. Inter quos *Joannes Auratus*, in Græcis maxime litteris excultus, sed quem inveniendi in *Homero* sacra Biblia universa, insana incendit cupido. Quare etsi natus ad omnes optimos auctores restituendos visus fuerit Scaligero; de eo tamen distichon profert Hotmannus:

E solido esse prius vulgus, quem credidit auro,
Extrorsum auratus, plumbeus intus erat.

Obiit Parisiis anno 1588. Accedunt *Flaminii* duo: unus Romæ litterarum humaniorum Professor, sempiterno somno humi oppressus inter libros, ut narrat de *Infelicitate Litteratorum* Pierius Valerianus. Alter haud vulgaris Poeta, Longolii quoque, Morerii, Menagii, aliorumque elogio celebris; ac primus natione Siculus, alter Italus, & patria Imolensis. Audiit iste tanquam erroribus Protestantium adhærens. In Galliarum lingua claruerunt *Joannes*, & *Clemens Marot* Poetæ, quorum unius anno 1523. alter anno 1544. naturæ concessit. *Joannes Salmon* cognomiatus *Horatius Gallicus* obiit an. 1555.

DECIMUM SEPTIMUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

SECULI XVII. PONTIFICES MAXIMI.

Contigisse Clementis VIII. obitum anno 1605. diximus præcedentis Seculi conscribentes historiam capite primo. Post Clementem vero Petri cathedram tenuit *Leo XI. Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. Innocentius X. Alexander VII. Clemens IX. Clemens X. Innocentius XI. Alexander VIII. Innocentius XII. Clemens XI.*

CCXXXIV. Leo XI. Mediceus, vocatus antea Alexander Octavianus, creatus Calend. Apr. anno 1605. quoniam accelerata morte post dies 26. nempe die V. ante Calendas Majas mortem obiit, quæ conceperat animo, cunctique a Viro summa prudentia prædito expectabant, complere non potuit.

CCXXXV. At Leonis successor *Paulus V.* id est, Camillus Card. Burghesius origine Senensis, electus eodem anno 1605. XVII. Calendas Junias, statim dirimendæ controversiæ *de auxiliis* applicuit animum. Ob violatam Ecclesiasticam Immunitatem, de qua tamen Senatus Venetus statuta ad Reipublicæ suæ utilitatem sancita anno 1536. servavit, in Venetam ditionem Ecclesiasticum interdictum an. 1606. die 17. Aprilis promulgavit. Opera Christianissimi

nissimi Regis dissidium, & interdictum sublatum est anno proximo. Ut regem Angliæ Jacobum I. ad Romæ Ecclesiæ sinum revocaret, ad eum direxit Marcum Antonium de Dominis Ex-Jesuitam, & Archiepiscopum Spalatensem, qui contra hæreticis adhæsit. Plures Nestoriani Chaldæi Ecclesiæ uniti fuerunt anno 1617. Urbem Aquæductibus, Vaticano porticu, aliisque magnificis ædificiis Paulus V. ornavit. Prædictæ controversiæ de auxiliis finem imposuit, indicto utrique parti silentio, & Apostolicæ Sedi reservato judicio. Impostor quidam se filium Pauli V. appellans, Parisiis affectus est supremo supplicio. (a) Studuit Burgheſiam gentem honoribus, divitiis cumulare, (b) & obiit XVI. Pontificatus anno, id est, 1621. die 28. Januarii.

CCXXXVI. Suffectus Paulo V. Alexander Ludovisius Bononiensis, electus V. Idus Februarias eodem anno 1621. cui impositum nomen *Gregorii XV.*

(a) Bartholomæus Lancei Alchimista, de quo in *Amœnit. Litter.* Epigramma.

Pendeo. Dic, quis sis? Pater est mihi Papa. Quis ille?
Romanus. Quonam nomine? Burgheſius.
Qui factum? Me non agnovit. Quid? Nothus ergo es?
Imo legitima conjuge Papa caret.
Sed cur conflagras flammis? Id mortis habetur,
Ut quem Papa negat noscere, flamma voret.

(b) Emisse fertur Nepotibus dominium Rignani scutis 353000. Civitatis Sulmonis in Regno Neapolitano 150000. Quatuor in Romam Territorio Rura Scutis 700000. Insumpta in ædificio Palatii Burgheſii, cujus fundamenta Paulo V. vivente jacta fuerunt, scuta 300000. Dono suis data, non semel, sed viginti vicibus, scuta centum millia. Solus pluteus Cardinalis ejus nepotis æstimatus Scutis. 600000. Vide *Hiſtoire de Papes* tom. 5. pag. 170. Impendisse in exornanda Mitra septuaginta millia aureorum scribit in Addit. ad Ciacconium Oldoinus.

XV. Instituta Congregatione de *Propaganda fide*, præscripto Festo SS. Annæ, & Joachim Genitorum B. M. V. bello lacessitis hæreticis, compositis circa Volturrenam tractum Rhetiæ, sive, ut ajunt, Vallem-Telinam dissidiis, atque addita Vaticanæ Bibliothecæ magna librorum copia Bibliothecæ Palatinæ, sibi dono datæ anno 1623. a Maximiliano duce Bavariæ, eodem anno 8. die Julii cessit e vita.

CCXXXVII. Maffeius *Barberinus* Florentiæ nobili genere natus, (c) poeta in utraque lingua Etrusca, & Latina præclarus, idem in *Argenide* Barclay anagrammatico vocabulo dicitur *Iburranes*, successit Gregorio prædicto anno 1623. VIII. Idus Augusti, nomine sibi collato *Urbani VIII.* Sedit vero annis 21. nempe usque ad annum 1644. quo mors illum rapuit IV. Calendas Augusti. Urbani munificentiæ debet Roma mœnia Leoninæ civitatis, æream templi Vaticani tribunam, (d) Græcos proximæ Bibliothecæ Codices, Collegium de Propaganda Fide, ampliores Sapientiæ ædes, Pontificalis, Breviarii, Ritualis, & Martyrologii emendationem, Arcem in finibus Bononiensium, *Urbanam* ab ejus nomine dictam, aliaque plura liberalitatis, doctrinæ, pietatisque munimenta. In familia sua decoranda Urbanus imitatus est Paulum V. (e) Cum palam, fortassis incaute, de Hispanis oblo-

(c) Familiæ nomen ortum ex *Barberino* oppidulo, sito in agro Florentino supra collem, Senas versus.

(d) Cum ad Absidem illam construendam *Urbanus* jusserit conflari trabes æneas ablatas ex atrio *Pantheon*, quas nec Vandali, nec Ostrogothi abstulerant; natum vulgare illud effatum, *Quod non fecerunt Barbari, fecere Barberini.* Cedit illud propterea in laudem *Urbani*, non autem in dedecus.

(e) Quamquam *Urbanus* amplissimas ædes Nepotibus ædificaverit, eorum duobus, Francisco, & Antonio, cum Purpura redditus summos contulerit, oppida dederit, vetustamque Latii urbem

cutus foret, plures exacerbavit, vulgatusque Hexameter Gentilitio Stemmati alludens.

Mella dabit Gallis, Hiſpanis ſpicula figet.

CCXXXVIII. An. 1644. XVIII. Cal. Octobris inauguratus eſt pontifex Jo. Baptiſta Pamphilius Romanus, appellatus *Innocentius X.* Caſtrum Invi Rutulorum oppidum, ob cædem Epiſcopi ſolo æquavit, ſede Aculam, id eſt, Aquipendium translata. Quinque Janſenianas proſcripſit propoſitiones: *(f)* parvaque Religioſorum cœnobia Epiſcopis per Italiam ſubjecit, ſuppreſſitque. Adverſus *Pacem* initam Haſeburgi in Weſtphalia anno 1648. die 6. Auguſti, firmatamque Monaſterii die 26. Octobris, inter Imperatorem Ferdinandum & Ludovicum Chriſtianiſſimum Regem, Innocentius edidit Conſtitutionem eodem anno VI. Calend. Decembris; quoniam in illa permittebatur hæreticis liberum religionis ſuæ exercitium, pluraque illis Eccleſiarum Bona dignitatum titulo in feudum conferebantur. Suprema Innocentio dies fuit ſeptima Januarii an. 1655. *(g)*

CCXXXIX.

---

urbem Præneſtem; in hoc tamen eſt magnopere commendandus, quod vita functo Franciſco Maria Urbini duce, dominium illud, necnon Piſauri, Senogalliæ, Eugubii, & Montis Feretrani, non ſuis, ſed ditioni Eccleſiaſticæ addixit.

(f) Anno 1653. die 31. Maji.

(g) Orta, ſedente *Innocentio X.* quæſtio de duplici in Eccleſia Capite, plerisque conſtituentibus unum tantummodo, ſcilicet Petrum Apoſtolum, quibusdam vero aſſerentibus cum Petro fuiſſe Eccleſiæ Caput etiam Coapoſtolum ejus Paulum. Verum cum hæc quæſtio in partes diſtraheret eruditorum virorum ingenia, atque per eam impeti videretur dignitas ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedis; prudentia, & ſolicitudine Summi Pontificis Innocentii, anno 1647. compoſita eſt, & dirempta.

Aperto poſt obitum Innocentii corpore a chirurgo Nicolao Larchi, ſeptem aquæ œnophora, & unum in capite fuerunt inventa; in ciſta autem fellis duo lapides unciarum ſex. Pondus aquæ fuit librarum 15.

CCXXXIX. Præfuit deinde Romanæ Ecclesiæ *Alexander III.* Senensis, id est, Fabrius Chisius, creatus præcitato anno 1655. die 7. Aprilis, mortuus anno 1667. die 22. Maji, Egit cum Venetis ut Jesuitas recipe ent, quod Senatus indulsit ea conditione, ut publicis processionibus interessent incedentes inter Confratres S. Marci, & S. Theodori. (*h*) Damnavit rursus propositiones Jansenii *in sensu ab auctore intento.* (*i*) Vetuit anno 1667. ne Theologi in quæstione de sufficientia attritionis se mutuo proscinderent, Christianam Reginam Svecorum ejurata hæresi Romam advenientem debito excepit honore. Exorta cum Galliarum Rege dissidia propter Corsicorum militum licentiam, proprio servato jure composuit. Exornavit Urbem amplissimis beneficiis; & ipse post obitum magnifico monumento reconditus. Nec ipsi tamen pepercit, fratrique suo Mario Chisio, procacitas obtrectatorum. (*k*)

CCXL. Rexit deinde Ecclesiam *Clemens IX.* Pistorienſis, electus anno 1667. XII. Calendas Julias vita functus anno 1669. (*l*) V. Idus decembris. Vocabatur antea Julius Cardinalis Rospigliosi. Uti

(*h*) Videtur ad ignominiam; nam & rei inter columnas plectuntur, quibus idem est nomen, sive, ut ajunt Veneti, *Tra Marco e Todoro.*

(*i*) Proscriptio, & celebris *Formularii* constitutio edita ab Alexandro VII. anno 1656. die 16. Octobris.

(*k*) Tum Historia Margaritæ Marsiliæ, quæ capta a piratis Turcis anno 1525. fuit uxor Solimani, & mater Selimi II. Tum Satirica tabella, cum inscriptione, *Qui crucifixus es pro nobis* de qua nefandum Opus *Tableau de Papes*, pag. 252.

(*l*) Ante obitum *Clemens IX.* in Ecclesiæ communionem recepit Episcopos, qui anno 1668. *Formulario* Alexandri VII., quod facere diu detrectaverant, subscripsere, exhibito exterius obsequio. Firmata pax, quæ vulgo dicitur *Pax Clementis IX.*, proximo anno 1669. promulgata.

in pauperes liberaliſſime, ita in ſuos parciſſime ſe geſſit. Exorta inter Janſenianos quæſtione de Jure a Facto ſecernendo, controverſias, quæ rurſus emerſerunt, caute prudenterque ſopivit. Judæos ejecit ex Urbe. Ludovicum XIV. bellum adverſus Hiſpanos parantem ſtuduit legatione miſſa pacare. Nimio dolore fertur extinctus, quoniam Veneti, quibus pecunia & milite ſuppeditaverat auxilia, eodem an. 1669. coacti fuerant Turcis cedere regnum Cretenſe. Dignus, qui diutius Chriſtianam moderaretur Rempublicam.

CCXLI. Æmilius Altierius Romanus poſt menſes Comitiorum quinque ſucceſſit Clementi IX. idem nomen elegit, ſcilicet, *Clementis X.* Hoc ſedente, Ludovicus XIV. Rex Galliarum anno 1674. *Regaliam* juris eſſe ſui Edicto ſancivit; quod pluribus diſſidiis aperuit aditum. Luſitano Regi, ut Oratorem haberet in Urbe, ut Monarchæ reliqui, primus indulſit. (*m*) Moſcoviæ Regi, qui Romam legatum miſerat, ut contra Turcas Chriſtiani Principes fœdus inirent Pontifice ſuadente, negavit ambitum Cæſaris nomen. Ait Sandinus, fuiſſe Clementem in omnes liberalem, præterquam in nepotes. Verum non habuit Familiæ propriæ nepotes, natis vero e Laura nepte ſua dedit cum inſignibus, & cognomine proprio paterna bona, ampliores contulit dignitates, ac tres principatus. (*n*) Obiit anno 1676. die 22. Quinctilis.

CCXLII. In locum Clementis X. omnium ſuffragio ſubſtitutus fuit XI. Calend. Octobris Benedictus Odeſchalchi Cremenſis, id eſt, *Innocentius XI.* hoc quidem nomine ob vitæ probitatem & caſtimoniam digniſſimus. Pro libertate & immunitate Eccleſiaſtica

(*m*) Primus Orator, ſeu Nuntius Luſitanus poſtquam Luſitania ſubtracta fuit a dominatu Regis Hiſpaniarum, fuit Comes *De Prado.*

(*n*) *Hiſt. des Familles de Rome*, pag. 241.

ſtica Apoſtolicas litteras dedit ad Chriſtianiſſimum Regem anno 1679. & provinciam de hac materia ſcribendi commiſit Chriſtiano Lupo, Viro Inſtituti noſtri, Canonum ſcientiſſimo. Firmatis anno 1682. a Clero Gallicano quatuor articulis, quibus Concilium Oecumenicum præfertur Papæ, hujusque auctoritas circumſcribitur, judicium errori non obnoxium elevatur, & in regna temporalia denegatur poteſtas: ſuas Cleri Comitijs ſignificavit querimonias, repetens verba Cant. 1. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Caroli Henrici Lavardini Legati extra ordinem Galliarum ſprevit & cohibuit inſultus: turpia Molinoſii delevit conventicula: morum laxitates perſtrinxit: a laſciviori cultu femineum ſexum amovit; nempe parvo in Eccleſiæ commodum relicto theſauro, (*o*) proximus morti, quæ contigit anno 1689. pridie Idus Auguſti, ab Ordinum Mendicantium magiſtris, cæterisque religioſis viris humillime petiit benedictionem.

CCLIII. In locum Innocentii XI. ſubſtitutus eſt eodem anno 1689. die 6. Octobris Petrus Octoboni Venetus, nomine ſibi impoſito *Alexandri VIII.* Huic Galliarum Rex reddidit Avenionem. Plures damnavit propoſitiones ad morum doctrinam ſpectantes, inter quas peccatum philoſophicum, rectæ rationi contrarium, non tamen offenſam Dei; quod utique eſt commentitium. (*p*) Cleri etiam Gallicani theſes proſcripſit anno 1690. die 4. Auguſti. Eccleſiaſticis redditibus Nepotes ſuos cumulavit. (*q*) Deceſſit ſenex anno 1691. Calendis Februarii.

CCXLIV. Alexandro ſucceſſor datus eſt *Innocentius XII.* vocatus antea Antoninus *Pignatelli* Archiepiſcopus Neapolitanus. Pleniſſimis ſuffragiis electus fuit IV. Idus Julias. Beneficentiſſimus fuit in

(*o*) Scutorum quindecim centena millia.
(*p*) Peccatum *Philoſophicum* damnatum anno 1690.
(*q*) Horum minimo, quem Purpura ornavit, dedit annuos Eccleſiaſticos redditus Scutorum LXXX. Millia.

in pauperes; justitiæ ministris, ne quid acciperent districte mandavit; nulli, nisi digno contulit Ecclesiasticas dignitates, omnia alia, etiam Sanguinis, ratione posthabita. Cum magna esset latronum, & nefariorum hominum copia (nam tempore præcedentis Conclavis occisi fuerant 182.) severitatem legum indixit. Nec nobilissimis matronis ob interdictum ludum alearum pepercit. Clericis comas inhibuit fictitias: Nepotismum eliminavit; concordiam Principum, Monachorum disciplinam, Concionatorum exemplarem vitam promovit quam maxime. Ne invidioso Jansenistarum nomine traducatur, qui vel omnes, vel aliquam ex quinque propositionibus Jansenii propugnasse convictus non fuerit, præcepit Brevi edito anno 1694. die 6. Februarii. Aluit in uno hospitio pauperum, quos nepotes appellabat, quingentos; ac pro iis fundum statuit scutorum CCCM. Post varium incolumitatis statum, extinctus est, cum omnium mœrore, anno 1700. V. Calendas Octobris.

CCXLV. Eodem anno 1700. IX. Calendas Decembris ad summi Sacerdotii fastigium evectus fuit *Clemens XI.* Urbinas, vocatus antea Joannes Franciscus Cardinalis Albani. De quo capite 1. proximi seculi.

CAPUT II.

DE SECULI XVII. CONCILIIS, ET QUIBUSDAM CLERI GALLICANI COMITIIS.

Nullum Generale Concilium XVII. novimus celebratum. Provincialia autem, & diœcesana fere singulis annis alicubi inveniuntur coacta. Quæ cum ad reformandam juxta Canones Tridentinos Ecclesiasticam disciplinam fuerint præsertim indicta, neces-

neceſſum non eſt cuncta ſingillatim enumerare. Ad errores igitur eliminandos hæc tantum celebrata fuere; Petricovienſe in Polonia anno 1607. præſide Bernardo Cardinali Macieoviſcki, adverſus Socinianos Arianorum, & Ebionitarum pollutos hæreſibus: Pariſienſe anni 1612. appellatum quoque Senonenſe, quoniam illi præfuit Cardinalis Perronius Senonenſis Epiſcopus; in quo proſcriptus fuit liber Edmundi Richerii *De Eccleſiaſtica & Politica Poteſtate*, ea adjecta clauſula, *Salvis tamen juribus Regis, & Eccleſiæ Gallicanæ*: Ad Aquas Sextias eodem anno, & contra præfatum Richerii librum; & Conſtantinopolitanum anno 1638. 1642. & 1672. præſidibus Patriarchis Cyrillo, & Dionyſio, contra Calvinianam hæreſim, eique affinem Confeſſionem Fidei a Cyrillo, Lucare editam, & proſcriptam quoque eodem anno a Doſitheo Patriarcha Hieroſolymitano.

Inter Synodos itaque ad diſciplinam ſervandam inſtaurandamque celebratas, quarum ſingulas recenſere, ut diximus, videtur ſupervacaneum, connumerantur Florentinæ anno 1619. 1637. 1645. 1681. & 1691. quarum primam indixit Archiepiſcopus Alexander Martius Mediceus, ſecundam ac tertiam Archiepiſcopus Petrus Nicolini, quartam Franciſcus Nerli, poſtea S. R. E. Cardinalis, & quintam Jacobus Antonius Morigia, ad Purpuram item promotus. Lucæ anno 1661. Cardinalis Bonviſius, & anno 1681. Julius Cardinalis Spinula Synodos celebrarunt. Omittimus Senenſem coactam a Franciſco Maria Cardinali Taruſio, Sarzanenſem a Benedicto Cardinali Lomellino, Montis Faliſci a Marco Antonio Card. Barbadico, Mediolanenſem a Friderico Cardinali Borromæo, in exemplis litterisque promovenda Eccleſiæ diſciplina, S. Caroli, cuius nepos erat, imitatore vigilantiſſimo. Quinque ſaltem Synodos celebravit Viterbii Cardinalis Franciſcus Maria Brancacci, triginta quatuor Vicentius Maria Card. Urſinus Ord. Præd. Archiepiſcopus Beneventanus, & poſtea pontifex maximus. Veliternam Franciſcus Cardinal. Barberinus anno 1678.

Subla-

Sublacenſem Cardinalis Carolus illius Frater anno proximo, Auximanam Antonius Card. Spinola anno 1677. Neapolitanam Cardinalis Junicus Caraccioli anno 1680. pro optimo ſuarum diœceſeon regimine celebrarunt. Atque ita alii per Italiam conſtituti Epiſcopi ſe geſſerunt, ſervantes Tridentini Concilii decreta, & munere fungentes ſuo. Quasnam vero iſtarum, aliarumque ſynodorum definitiones proferam cap. 6. pertractans de ſeculi XVII. diſciplina.

Si extra Italiam vagari velimus, recenſenda nobis erunt Concilium Mechlinienſe in Belgio celebratum anno 1607. (r) Narbonenſe in Galliis an. 1609. Burdigalenſe anno 1624. de quibus in ſua *Notitia Eccleſ.* prope fidem Joannes Cabaſſutius. Inveniemus in extremis quoque mundi plagis Synodos ad inſtruendos neophytos, & Chriſtianæ religionis rudimenta tradenda opportune, ſalubriterque coactas, ac tres præſertim a B. Toribio in civitate Liniæ, Americæ meridionalis metropoli, emporioque percelebri, id eſt, anno 1601. 1602. & 1603. de quibus tom. 4. Conciliorum Hiſpaniæ Cardinalis de Aguirre.

Etſi vero abſtinuimus a commemorandis hæreticorum Conciliis, utpote quæ nil ſunt aliud, quam Satanæ congregationes; quædam tamen hoc in loco adnotantur, quibus inter denſas tenebrarum caligines effulſit aliqua lux veritatis. Nam in Anglia in conventu Miniſtrorum, qui Regem *Eccleſiæ caput* appellant, anno 1603. damnati fuerunt Puritani, de quibus infra. Synodus Calviniſtarum Roterodami anno 1621. damnavit Judaicam ſuperſtitionem in obſervantia Feſtorum. Iidem Calviniſtæ Amſtelodami anno 1604. Socinianos damnarunt. Huguenoti in Synodo habita in oppido Carentonii 1644. exagitare cœperunt Calvinianam prædeſtinationem ad malum, opera præſertim Benjamin Baſnage. Fuerant tamen Arminiani, qui prædeſtinationem illam rejiciunt, & declinant ad Pelagianos, anno 1618. in Synodo Dordra-

(r) Mulines.

Dordracenſi rejecti atque oppreſſi a Gomariſtis. Nomen hi trahunt a Franciſco Gomaro, ſtrenuo Jacobi Arminii adverſario. Diſceptantibus inſuper Joanne Hoornbeck & Joanne Coccejo circa tertium præceptum Decalogi, pro hujus obſervatione Calviniani anno 1657. Synodum habuerunt Condomi. (s) Amſtelodami aliam Synodum congregarunt an. 1690. contra aſſerentes non poſſe Magiſtratus vim adhibere ad hæreſes, & ad Gentium eliminandas ſuperſtitiones. Quod mirum eſt, iidem Calviniſtæ in Synodo Carentonii anno 1631. aliique, ſtatuerunt communionem ſervandam cum Proteſtantibus Confeſſionis Auguſtanæ; quamvis illi præfracte negent, & iſti propugnent præſentiam Dominici Corporis in Euchariſtia.

Addamus nonnulla de Cleri Gallicani Comitiis, quæ Nationalibus Synodis æquiparantur. Antonii librum de frequenti Communione, ubi in lucem prodiit anno 1643. ſuffragiis 24. Doctorum, XVI. Epiſcopi approbarunt, quod & anno 1645. fecerunt Comitia Auxitana Aquitaniæ, Metropolita, & decem Epiſcopis aſſidentibus. Reprobavit tamen librum illum anno 1648. Synodus Veſuntina, ut referunt ad eumdem annum Acta Eruditorum Lipſiæ. Comitia Luparæ (Regium eſt Galliæ Palatium) anno 1654. egerunt contentioſe de *Auguſtino* Janſenii, quem poſtea proſcripſere; atque ad Epiſcopos officioſas litteras dedit Innocentius X. eodem anno; die 27. Sept. quas litteras in aliis Comitiis ſequentis anni 1655. gratanter exceptas, ad omnes Galliarum Eccleſias transmitti curarunt. Horum Comitiorum acta confirmarunt Generalia Comitia Pariſiis an. 1656. celebrata: in quibus exhibitum, probatumque *Formularium*, quo obedientia præſtatur Conſtitutioni prælaudati Innocentii X. latæ anno 1653. die 13. Martii, atque in proprio, & intento ab Auctore ſenſu damnantur quinque propoſitiones Janſenii. In Comitiis anni 1657. recepta fuit Bulla Alexandri VII. emana-

(s) Goada.

emanata ſuperiori anno 1656. die 16. Octobris, qua Prædeceſſorum Pontificum adverſus Janſenium Conſtitutiones confirmantur & roborantur. De extinguendis omnino Janſenianis erroribus actum rurſus in Comitiis anno 1682. & de articulis ibidem definitis, controverſiis tamen rectisque a Theologis Romanenſibus pugnantibus pro ampliori Sedis Apoſtolicæ poteſtate, diximus præcedenti capite in *Innocentio XI.*

CAPUT III.

HÆRESES, ERRORESQUE SECULI XVII.

Ex quo in Angliam elapſo Seculo irrupit turbulenta hæreſeon illuvio, famoſa evaſit ſecta *Puritanorum*, ſeu *Presbyterianorum*, quam ſciſſi in partes Anglicani Miniſtri an. 1603. & 1610. acerrime inſectabantur. At celebrem nacta eſt propugnatorem *Guillelmum Ameſium*, qui cœpit an. 1622. Franequeræ docere Theologiam, *Davidem Blondellum* Cabilonenſem, qui librum inſcriptum, *Apologia pro ſententia Hieronymi de Epiſcopis & Presbyteris*, in lucem edidit Amſtelodami an. 1646. & *Claudium Salmaſium* Divinionenſem, qui inter doctiores an. 1640. habebatur. Originem tamen ſuam Puritani receperunt a *Joanne Knox* Scoto, vita functo ſuperiori Seculo, anno ſcilicet 1572. Hinc in Scotia iſta vegetior; ibique anno 1637. ſpreta Regis auctoritate, inierunt fœdus contra *Epiſcopales*, eos nempe, qui Epiſcopos ſegregant a Presbyteris. Confirmarunt conventionem illam, ex quo eis *Convenientium* acceſſit nomenclatura, ſequenti anno 1638. celebratis Comitiis in urbe Scotorum Glasquo. Noſtrates ajunt *Puritanos* dici, quod purum putum profiteantur Calviniſmum: At Ameſius cujus ſupra meminimus, Grevinchovius, & alii, hoc illis nomen inditum aſſerunt a *Scelerifugio*, id eſt,

ex

ex repudio chorearum, ſpectaculorum, alearum, & commeſſationum, quibus cæteri indulgent. Ita quilibet nomen cohoneſtare ſtudet ſuum. Puritani ergo præter reliqua Calvini dogmata, negant, Presbyteros inter, ac Epiſcopos aliquod Ordinis intereſſe diſcrimen.

Jacobi *Arminii*, & *Franciſci Gomari* mentionem fecimus paulo ſupra. Et *Arminius* quidem cœpit ſuperiori Seculo dogmata recoquere Pelagianorum: verum vita ceſſit anno 1609. De illo plura Morerius, Wolfangus, & Jurieu. *Gomarus* autem obiit an. 1641. A Gomariſtis vero rejectos Arminianos in Synodo Dordracenſi, anno 1618. dictum eſt ſupra; neque opus eſt repetere, Gomarum pro Calviniana prædeſtinatione, Arminium pro dogmate Pelagiano pugnaſſe.

Arminianis adhæſit celebris *Hugo Grotius* natus in urbe Delphis Batavorum anno 1583. mortuus Roſtochii ad oram maris Baltici, an. 1645. Cum Grotius autem eſſet an. 1618. Aſſeſſor civitatis Roterodami, gliſcentibus indies ſuper diverſitate dogmatum controverſiis, ab Hollandiæ Proceribus perpetuo carceri damnatus eſt, ſumpto de Oldenbarneveldio, in eamdem ſententiam conſpirante, capitali ſupplicio. Novem menſibus Grotius detentus eſt in cuſtodia Hagæ Comitum, atque an. 1619. bonis omnibus publicatis rurſus damnatus. Inde an. 1620. deductus Lupeſteynium (*t*) Hollandicæ ditionis caſtrum inter flumina Vahalim, & Moſam, ut miſerrime in pedore carceris extingueretur. Induſtria tamen lectiſſimæ conjugis Mariæ Reygersbergiæ, incluſus ciſtæ adſportandis libris inſervienti, anno 1621. die 22. Martii, priſtinæ redditus eſt libertati. Porro Grotii mentem oſtendunt Opuſcula Theologica quarto inſerta Volumini pag. 351. & ſequentibus.

Pro

(*t*) Louvenſtein.

Pro Arminianiſmo quoque pugnarunt *Simon Epiſcopius*, & *Stephanus Courcellejus*. Epiſcopius, qui mortalium lucem adſpexit an. 1583. clauſit oculos Amſtelodámi anno 1642. Hujus *Inſtitutiones* pluris æſtimabat prælaudatus Grotius, quam illarum pretium poſtularet. Opera autem cuncta in lucem edidit Courcellæus. Is Genevæ ortus, & Reformatæ, ut vocant, Eccleſiæ Paſtor in Galliis, ob Arminii ſententias a munere depoſitus fuit, ſed in locum Epiſcopii aſſumptus a Remonſtrantibus. Pugnavitque acriter pro Arminio cum Molinæo, Amyraldo, & Mareſio. Abiit autem ad plures anno 1659. Pro eodem Arminio ſteterunt quoque *Philippus a Limborch*, & *Joannes Clericus*: de quibus proximo Seculo; nam Philippus Limborchius vitam protraxit uſque ad an. 1712. & Clericus uſque ad annum 1736. (*u*)

Quos memoravi, Molinæus, Amyraldus, Mareſius, nec non Voſſius, & Dallæus addicti Novatorum deliramentis, hæc quidem corroborare ſtuduerunt, ſed ſectam non inſtituerunt peculiarem. Ac *Petrus Molinæus* Eccleſiæ Calviniſtæ Aurelianenſis miniſter, & Academiæ Lugduno-Batavæ doctor; mortuus Sedani in Campania an. 1658. adverſus Romanum Pontificem, Purgatorium, Indulgentias, Peregrinationes, & altaria ſtylum intemperanter exercuit. Samuel autem *Mareſius* Picardus

(*u*) Arianiſmum inſtaurare, & ab Eccleſiæ incunabulis propagatum, traditumque fuiſſe a PP. Antenicænis aſſeruit in Nucleo Hiſt. Eccl. Chriſtophorus Sandius. Fidem tamen Antenicænorum PP. non tantum vindicarunt Communionis noſtræ Theologi, ſed etiam Samuel Gardinerus, & Georgius Bullus Angli, aliique. Præexiſtentiam quoque animorum cum Platone, & Origine aſſeruit Sandius in libro de Origine Animæ edito anno 1671. Sunt hæc heterodoxis aliis communia. Proprior videtur Sandii error, Spiritus ſancti in *Problemate Paradoxon* anno 1678. Illum vero refutavit Chriſtophorus Vittichius Lugdunenſis.

dus auditor Ludovici Cappelli, & Franciſci Gomari, a Grotio vocatus *Borborita*, id eſt, cœnoſus, deceſſit an. 1675. & contra Volchelium, Blondellum, Dallæum, aliosque geſſit litteraria certamina. *Joannes Volchelius* adhæſit Socinianis, ejusque Opus *De vera religione* jubente Magiſtratu an. 1642. Amſtelodami flammis addictum fuit. In eum *Samuel Mareſius* anno 1651. edidit Groeningæ opus inſcriptum, *Hydra Socinianiſmi expugnata.* De Blondello Presbyteriano jam diximus. *Joannes Dallæus* Calviniſtarum, qui Carentone cœtus agebant, in Galliis Paſtor, ad evertendas Veterum traditiones, & Sacramenta Chriſmatis & Unctionis extremæ oppugnanda ſcripſit *de uſu Patrum*, & *de Latinorum Unctione.* Natus eſt an. 1594. & mortuus Lutetiæ an. 1670. *Joannes Gerardus Voſſius*, magnum in litteraria Republica nomen, Dordraci natus anno 1577. & defunctus anno 1650. quam mordicus hæreret Calvini placitis, commonſtrat ſextum Operum ejus Volumen edit. Amſtelodami anno 1701.

Inter Calvinianos *Conradus Worſtius*, tam Arminianis, quam Gomariſtis oppoſitus, indigna de Deo protulit, affirmans, mutationi obnoxium eſſe, & immenſitate carere, nimirum non eſſe ubique. Fuit autem Worſtius Colonienſis, natus anno 1569. mortuus Toningæ in Dania an. 1622. Ejus cadaver Fridericoſtadium urbem Norvegiæ translatum, magna pompa funeris ab Arminianis, quibus in cæteris conſenſerat, elatum fuit. Filium habuit Guilelmum Henricum Worſtium, & hunc miniſtrum Arminianæ Sectæ in oppido Hollandiæ Warmundo.

Gomariſtarum, ſive Calviniſtarum rigidiorum anteſignanus dicitur *Joannes Piſcator* Argentoratenſis, qui ob hæreſim exulare coactus Herbornam in Naſſovia migravit, obiitque an. 1626. Gomariſta item fuit pervicax, & acerrimus *Sibrandus Lubbertus* Friſius profeſſor Franequeræ (*Franeker*) qui ſcripſit plura contra Arminium, Worſtium, & Grotium; interfuit Synodo Dordacenſi, obiitque an-

no 1625. Quantum vero Sibrandus vapulat ab Episcopio, cæterisque Arminianis: tantum celebratur a Sixtino Amama, cæterisque Calvinianis.

Isaac *Peyrerius* Calvinista fabulam invexit *Præadamitarum*, commentus ante Adam alios extitisse homines a Deo conditos. Illius duntaxat in Veteri Testamento narrari generationes, non præexistentium: quos in ejus systemate nec Adæ prævaricatio perdidit, nec delevit universale Diluvium. In hanc opinionem descendit Peyrerius, quoniam Traditione contempta videbatur sibi consentanea rationi, nec repugnans Scripturis. Sed error ei veritatis viam patefecit: cum enim æque a Calvinistis, & a Catholicis revinceretur falsitatis ducto a constanti Traditione argumento; cognita ejusdem traditionis auctoritate, sedente Alexandro VII. una cum systemate Præadamitico ejuravit hæresim Calvini Traditiones majorum rejicientis. *Peyrerius* fuit Aquitanus genere, patria Burdigalensis, ejusque Tractatus *de Præadamitis* prodiit in lucem in Hollandia anno 1655. Antequam vulgaretur, ipse Peyrerius impressum librum misit ad Amicum cum versu Ovidii mutata voce *Urbem* in Ignem.

Vade, nec invideo, sine me liber ibis in ignem.

Obscuræ, atque in suis incunabulis præfocatæ fuerunt hæreses, quarum sectatores dicti sunt Metaphoristæ, Illuminati, & Pelagini. *Illuminati*, etiamsi exorti dicantur anno 1575. imo a nonnullis anno 1524. & statim extincti, germinarunt tamen rursus anno 1623. in diœcesi Hispalensi. At rursus septem eorum concrematis eodem anno, reliquis in exilium pulsis, evanuerunt. Hispani dixere hujus furfuris homines *los Alumbrados*. In hoc situm istorum deliramentum, quod meditationum suarum vanitatem præferebant divinorum Sacramentorum virtuti. *Metaphoristæ* Calvinistarum furculus autumarunt, Dominum Jesum non fuisse revera Verbum Dei, sed Verbi symbolum, & Metaphoricam quamdam Imaginem. Horum antesignanus Daniel Sciamier,

nier, qui an. 1604. (Spondanus ait 1603.) præfuit Synodo Huguenotorum Vapinci in Delphinatu, finibusque Provinciæ. *Gap* Galli urbem istam appellant. *Pelagini* nomen habent a quodam Jacobo Philippo directore Oratorii S. *Pelagiæ* in urbe Mediolani. Prodierunt circa annum 1650. Jactabant hi, omnes gregarios suos esse prædestinatos, reprobos alios cunctos: orationem mente peractam lucidiorem inspiratione sacrorum Librorum, digniorem Eucharistia, nec non præferendam Redemptioni: etiam peccata recto patrata fine, esse Deo accepta, ac salutaria; damnandam carnis mortificationem, quando subjicitur spiritui; aliaque pernicioſissimæ Mysticæ tradebant rudimenta. Hos damnavit Petrus Card. Ottoboni postea Pontifex Maximus, dum administraret Episcopatum Brixiensem. Tarvisii anno 1659. die 19. Sept. eamdem hæresim ejuravit Joannes Augustinus Recaldinius e valle Camonica Brixiensis diœceseos.

Agentes superiori capite de Conciliis damnatum diximus librum de Ecclesiastica & Politica potestate *Edmundi Richerii*. Lingonibus in Gallia Celtica Richerius humili loco natus fuit anno 1560. & vita functus Parisiis anno 1630. A defensoribus Pontificiæ auctoritatis vehementes pertulit persecutiones Magistratui, quem *Parlamentum* vocant, summopere acceptus. Cum vero exortis inter Venetorum Rempublicam & Paulum V. dissidiis, quidam Joannis Gersonis Tractatus recusi essent Venetiis, refutati a Ven. Bellarmino; Richerius ardenti animo scripsit Gersonis *Apologiam*, ediditque ulterius an. 1611. librum superius laudatum. In quo docuit, Ecclesiam præcipue Conciliorum canone gubernari; Romanum Pontificem nihil quidquid absque aliis Episcopis in rebus magni momenti posse decernere; beneficia quælibet Ecclesiastica spatio 1400. annorum communi jure sacris electionibus collata, habere a lege naturali, & Divina confirmationem. Sua tamen declaratione an. 1629. judicio S. R. Ecclesiæ, quidquid scripserat, subjecit, tradiditque *declarationem* illam proprio obsignatam

charactere Armando Cardinali Richelio. (x) Factum id præsertim opera F. Joseph Ord. Min. Capucinorum, viri in Galliis percelebris, & Institutoris Monialium *Calvarii*.

Per idem ferme tempus *M. Antonius de Dominis* Ex-Jesuita, Archiepiscopus Spalatensis, in Anglia, quo anno 1616. se contulit, edidit *de Republica Christiana* Opus virulentum. In hoc dejiciens Romani Pontificis primatum, commentus est unam sanam & orthodoxam fidem conflari posse ex Romana, Calviniistica, Lutherana & Anabaptistica. Romam rediens anno 1622. errores suos abjuravit; sed rediens anno 1624. ad ingenium, in Hadriani arce mancipatus carceri, subita raptus est morte: & quamquam resipiscentiæ signa dedisset; illius tamen Cadaver una cum scriptis traditum fuit flammis in *Campo Floræ* eodem anno 1624.

Jansseniana hæresis a *Cornelio Jansenio* Episcopo Iprensi denominata, magnum Seculo XVII. excitavit incendium. Jansenius apud Batavos natus an. 1585. Lovanii Doctoris lauream consecutus an. 1617. Iprensem Cathedram anno 1635. obiit in Ecclesiæ communione anno 1638. scripta sua, etiam extremis tabulis, judicio subjiciens Romanæ Ecclesiæ. In Opere tamen, quod inscripsit *Augustinus*, ad tenebras ab Urbano VIII. damnato, quinque hæreticæ propositiones notatæ sunt, atque anno 1650. a plurimis Galliarum Episcopis delatæ ad Innocentium X. Per biennium hac controversia exagitata, & discussa, idem Innocentius prædictas propositiones Const. *Cum occasione impressionis libri*, &c. tanquam falsas hæreticasque damnavit. Proscripsit illas iterum Alexander VII. anno 1664. & rursus Innocentius XII. anno 1694. declarans damnatas *in sensu obvio, quem verba præseferunt*, ac semper inconcussa manente SS. Augustini ac Thomæ sententia. In illis vero Jansenianis propositionibus enuntiatur, aliqua

(x) Richelieu.

qua Dei præcepta hominibus juſtis conantibus & volentibus aliquando eſſe impoſſibilia, eosque gratia deſtitui, qua fiant poſſibilia: omnem gratiam eſſe in hoc infirmitatis ſtatu effectricem, & illi nunquam reſiſti: non requiri modo ad merendum, vel demerendum libertatem *indifferentiæ*; & hanc pertinere ad Semipelagianorum damnatam hæreſim; & Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus.

Exorta ulterius hoc ſeculo, prætextu elevandi animas ad ſpiritualis & myſticæ vitæ perfectionem, Secta *Quietiſtarum* perniciosiſſima. Hujus princeps *Michael Molinos* Hiſpanus diœceſis Cæſarauguſtanæ in Aragonia, Romæ vivens magna apparentia probitatis. Turpiſſimæ hujus myſtices elementa ſunt, ad nihilum redigi oportere potentias animæ; hanc non debere in aliquo opere active ſe gerere, & ſeſe regendam committere divinæ voluntati: omnem deponendam eſſe ſolicitudinem, ſpem, timorem, & deſideria quæque virtutum abjicienda: animam omni affectione ita exſpoliatam *in ſua quiete* orare etiam, dum abripitur ſomno; atque ita ſuperiori parte Deo conjuncta, quidquid in inferiori occurrat (videſis ad omnem turpitudinem aditum pateſactum) nullam ei, qui ſemel Deo ſubjecit arbitrium, inferre maculam, nec ſuperiorem animæ partem vitiare. *Molinos* ſacræ inquiſitionis juſſu in carcerem injectus eſt anno 1685. Ejus aſſerta ab Innocentio XI. damnata Conſt. *Cœleſtis Paſtor* an. 1687. In carcere obiit anno 1696.

Sectatores Michael Molinos complures habuit: celebriores tamen fuere *Franciſcus Malavallius* (y) Maſſilienſis, *P. Guillore* Jeſuita, P. *Le Combe* Barnabita *Gujonia* matrona, & Franciſcus *de Fenelon* Archiepiſcopus Cameracenſis. De iſtorum libris, confutatione, & reſipiſcentia Auctor Hiſtoriæ Eccleſ. Impreſſæ Coloniæ anno 1754. art. 34. Seculi XVII.

(y) Malaval.

Circa hujus Seculi medietatem cœpit in Anglia Secta Fanaticorum, quos vocant *Tremblantes*, seu *Qua-Keros*. Hoc eis nomen acceſſit, quoniam revelationes ſuas jactantes, magna corporis agitatione, monent unumquemque verbis Apoſtoli, ut ſalutem ſuam operetur *cum timore, & tremore*. Principio quidem induti tantum induſio, plebemque Londinenſem in triviis, compitisque commoventes, tanquam inſani cæſi ſunt flagris, ipſorumque duci *Jacobo Nailor*, qui fuerat caſtrorum metator, lingua ferro ignito fuit perforata. Non fuerunt tamen extincti; ſed vigent etiamnum, & aliqui extra Italiam vagantur. Dogmatizant, cunctos homines eſſe conditione pares; neminem eſſe dominum, neminem ſervum alterius: urbanitatem aſpernantur, nec ſalutem alicui dicunt, neque caput aperiunt: interpretationis Scripturarum munus cuique indiſcriminatim concedi autumant: cæterum jus ſuum quibuslibet in reliquo tribuunt.

Vixerunt præterea Sęculo XVII. perditiſſimi Athei, quorum princeps fuit *Benedictus de Spinoſa* Amſtelodami Judaico genere natus, ſed & Judaicæ, & Chriſtianæ religionis deſertor. Nova methodo & Geometras imitatus inſtaurare auſus eſt atheiſmum emiſſo in lucem anno 1670. Amſtelodami, non ut fert titulus, Hamburgi, *Tractatu Theologico-Politico*: in quo tradit Deum non eſſe, niſi materiam ubique diffuſam, vim naturæ in omni re diſſeminatam, quæ vegetior fuerit in Prophetis, quorum oracula a vividiori & ſubtiliori materia fluxerint, imaginationem excitante acriorem, & nihil referre, utrum uni, vel alteri religioni quis interius adhæreat, modo exteriori cultu eam profiteatur, quæ obtinet, vel exigit politia. Non eſt novum Syſtema Spinoſæ. Plures illi præluſerunt Epicurei, (z) & qui cum Lucano in libro 9. Pharſaliæ ajunt.

Eſt

(z) Alexander quidam Epicureus, de quo Albertus Magnus in Phyſ. Almaricus memoratus a Prateolo in Catalogo Hær. redactus

Eſt ne Dei ſedes niſi terra, & pontus, & aer,
Et cœlum, & virtus? Superos quid quærimus ultra?
Jupiter eſt quodcunque vides, quocunque moveris.

Obiit Spinoſa Hagæ Comitis in Hollandia an. 1677. exacto vix anno ætatis ſuæ 44.

Pari cum Spinoſa impietate Deum eſſe negavit *Lucilius Vanini* Neapolitanus, vivus exuſtus Toloſæ. (a) Etiam in Pruſſia circa 1673. quædam Atheiſmi ſemina ſpargebat *Mathias Kunzen.*

Reliquos breviter percurramus. Anno 1614. in Thuringia *Ezechiel Meden* ſe nunc Dei Verbum, nunc Michaelem Archangelum nominabat. Similia effutiebant *Antonius Zinganella*, *Maria* Soror tertii Ordinis S. Franciſci, & *F. Vincentius* Auguſtin. excalceatus combuſti anno 1621. Panormi. Romæ in campo Floræ igni tradita anno 1661. imago *Franciſci Borri*, dogmatizantis Mariam eſſe Deam, & in ejus utero humanam aſſumpſiſſe carnem Spiritum ſanctum. Eodem anno Londini ſuſpenſus eſt *Venerius* quidam doliarius, qui erecto Vexillo cum inſcriptione, *Vivat Dominus Jeſus*, monarchias omnes evertere ſtulte, ac impie meditabatur. Combuſtus Pariſiis anno 1662. *Simon Morinus*, jactans venturum quam cito Chriſtum in gloria, ſibimet corporaliter conjunctum. Flammis item traditus in

---

dactus anno 1208. in cineres. Hujus diſcipulus David de Dinant. Quidam etiam Mahumethani, qui appellantur *Ehl Eltabkik*, aliique dicti *Zindikites*, fortaſſis nomine Sadducæorum, qui dicebant non *eſſe reſurrectionem*, *neque angelum*, neque *Spiritum*, ut legitur Act. Apoſt. cap. 23. 8.

(a) Anno 1619. natus erat Taurisani in Apulia. Spinoſiſis quoque adnumeratur Andreas Ciſalpinus Aretinus, qui obiit Romæ anno 1603. Medicus Clementis VIII.

Moſcovia anno 1674. *Quirinus Kuhlmannus*, pſeudopropheta impudentiſſimus. Riſu digna tanquam ſibi divinitus revelata tradidit *Antoniola Bourignonia* orta Lilloæ in Belgio, & defuncta Franequeræ anno 1680. Ajebat enim, Adam ante lapſum fuiſſe utriusque ſexus, & filios pariturum absque muliebri concubitu, ipſumque revera hoc pacto genuiſſe humanam Chriſti naturam.

Inter errores ab Alexandro VII. damnatos anno 1690. connumerantur 31. propoſitiones Janſeniſtarum. At damnavit quoque *Peccatum Philoſophicum*, quod propugnari cœperat Divioni circa annum 1686. auctore *P. Meunier*, Jeſuita. Permultas propoſitiones ad laxitatem morum tendentes proſcripſit an. 1679. Innocentius XI. Apologiam Caſuiſtarum an. 1658. Præſules Galliarum. *Antonii Sanctarelli* Jeſuitæ Doctrina anno 1627. damnata eſt a Theologis Pariſienſibus, (*b*) tanquam patrocinaretur molientibus vitæ Regum inſidias: ſed eodem tempore Richerianos deprimentes Eccleſiaſticam poteſtatem cohibuerunt Cardinales Rupefucaldius, & Richelius. Cœperat autem ſuperiori ſeculo exagitari quæſtio, an Rex tyrannus, vel hæreticus licite poſſit occidi. Quæ cum nimia libertate tractaretur; Henricus III. Rex Galliarum a Jacobo Clemente gladio confoſſus eſt anno 1589. audaci facinore. Illius exemplum ſecutus Joannes *Chaſtel*, juvenis improbus, ac ſuper ætatem facinoroſus, anno 1594. pugione Henricum IV. tentavit confodere. (*c*) Et quoniam inter-

(*b*) Ejusdem Sanctarelli Scripta anno 1626. die 14. Martii Pariſiis fuerunt combuſta. Subierunt idem fatum anno 1757. Opera PP. Buſembaum & La-Croix ob factam cuique poteſtatem occidendi tyrannos, flammis tradita Toloſæ, & Burdigalæ; necnon Pariſiis anno 1758. die 17. Martii *Epiſtola NN.* Coſmopoli, verius Lucæ, ſuperiori anno labente in eorumdem Operum defenſionem procuſa.

(*c*) A quo Henricus IV. occiſus fuit, dicetur inferius in Appendice.

interrogatus, ubinam tantum sibi licere crimen didicisset, respondit edoctum se in Schola Jesuitarum; in scriptis *Joannis Guignard* ejusdem Societatis in Collegio Claromontano S. Theologiæ Professoris repertis ejusdem perversitatis munimentis, Joannes *Chastel* prædicto anno 1594. die 29. Decembris, & *Guignardus* proximo anno 1595. die septima Januarii extremo supplicio puniti sunt, in exilium pulsis Jesuitis omnibus in Galliis commorantibus. Vide Thuanum libro 112. Davilam lib. 14. & Hist. Soc. Jesu P. Juvenci tom. 2. p. 5. qui Guignardum martyrio coronatum affirmat.

Erroribus æquiparantur excedentes laudes Sanctorum; V. G. si præferatur S. Ignatii nomen in charta scriptum nomini Dei (*d*) prolato a Moyse, hujusque virgæ in signis patratis; atque his similia censuris inusta Parisiis anno 1611. de quibus *Abregée de l'Histoire Eccles.* tom. X. pag. 244. præcitatæ editionis Colonienſis. (*e*)

CAPUT IV.

RECENSENTUR SCRIPTORES ECCLESIASTICI PRÆSTANTIORES SECULI DECIMI SEPTIMI.

Quanti Seculo XVII. floruerint Viri litteris, & doctrina conspicui, ex tabulis Chronologicis Gravesonii, aliorumque potest deprehendi. Apud Gra-

(*d*) Tetragrammato *Jehova*.

(*e*) Vertente Seculo XVII. exorta est apud Anglos novu quædam Secta *Rationalistarum*, seu *Latitudinariorum*, cujus anno 1663.

Graveſonium nempe recenſentur ex Scriptoribus Galliarum nullo Regularium Ordinum voto obſtrictis XI. Eccleſiaſtica Dignitate inſigniti, Theologi ex Clero Seculari plusquam XX. Interpretes Scripturarum XII. Hiſtorici XXIV. Aſcetici VI. Jureconſulti XIV. In patria lingua expolienda exercitatiſſimi VII. Calvinianis XI. prætermiſſis. Ex Italis ſacræ, & profanæ eruditionis, & antiquitatis ſtudioſi XIX. Alii exteri quidem, ſed in Italia commorati Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cultores eximii V. & utriusque Juris ſcientiſſimi III. Ex Germanis Hiſtorici, Antiquarii & Orientalium Linguarum Cultores XII. Ex Belgicis in vario diſciplinarum genere celeberrimi XXII. Ex Hiſpanis VI. Ex Anglis XI. Quid vero de Monachis, & Ordinum Regularium Viris conſpicuis? Enumerat idem Graveſon Ordinis S. Benedicti Scriptores præſtantiſſimos XVIII. Ciſtercienſes III. Carthuſianum unum, alterum Camaldulenſem: Ordinis Prædicatorum LXXIV. Ordinis S. Franciſci XVII. Auguſtinenſem IX. Canonicorum Regularium V. Carmelitarum II. Carmelitarum Excalceatorum VIII. Societatis Jeſu XCI. Congregationis Oratorii Jeſu XV. Oratorii S. Philippi IV. Ordinis B. M. de Mercede I. Clericorum Regularium S. Pauli item I. Theatinorum pariter I. Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ II. Ordinis denique Minimorum, ſive Sancti Franciſci de Paula VIII. Horum vero ſi vel ſolum nomen velimus exſcribere, ultra fines Compendii Hiſtorici progredi neceſſum erit. Quamobrem præſtantiores tantummodo recenſebimus.

Æquum eſt, ut initio laudetur nomen celeberrimum *S. Franciſci Saleſii*: qui natus in diœceſi Genevenſi

---

1663. fundamenta jecit Eduardus Baro Herbert in Tractatu *de Religione Gentilium*, Amſtelodami procuſo. Hujus Sectæ doctrina eſt, nihil fide tenendum eſſe, quod naturali rationi non ſit conſentaneum, nec tantum non repugnans, verum etiam accommodatum ac pervium.

nevensi anno 1567. initio hujus Seculi, nempe anno 1602. consecratus est Episcopus, anno 1622. castissimam animam Deo reddidit, & anno 1695. Sanctorum Fastis adscriptus fuit. Ille enim pietatis iter calcantibus institutiones tradidit saluberrimas, & Sanctimonialibus devotionis, charitatis, fidei, & perfectionis semitas exemplis scriptisque monstravit.

Ludovici *Molinæ* Societatis Jesu Theologi, cujus superiori seculo mentionem fecimus, obitus contigit anno 1601. Hujus doctrina circa Concordiam libertatis & gratiæ a FF. Prædicatoribus impugnata, plurimorum Theologorum exercuit ingenia. Illam enim *Dominicus Bannes*, & *Franciscus Zumel* tanquam Semipelagianis affinem traduxerant, & hi vicissim doctrinæ proximæ Calvini erroribus fuerunt insimulati. Illam Hispaniarum Universitates anno 1595. & 96. proscripserant: atque anno 1597. adversus eam Philippo II. Hispaniarum Regi eruditissimum libellum obtulit celebris Dominicanus *Lanuza*. Is obiit anno 1625. Lobeti in Aragonia. (*f*) Hinc exortæ *Congregationes de Auxiliis* sub Clemente VIII. & Paulo V. inceptæ anno 1598. absolutæ an. 1607. Bulla tamen contra Molinæ errores conscripta & Consultorum manu signata suspensa est, & salva charitate potest propugnari Molinistarum atque Thomistarum sententia. (*g*)

Pugna-

(*f*) Albarazin.

(*g*) Neque Ludovicus Molina, neque illius discipuli docent, tam prædestinationem ad gloriam, quam prædestinationem ad gratiam esse ex præscientia meritorum. De prædestinatione ad gloriam id quidem tenent complures, sed loquuntur de præscientia meritorum, quæ cum gratiæ adjutorio comparantur. Prædestinationem vero ad gratiam esse ex præviisis meritis, est Pelagiana hæresis, ipsis Molinistis fatentibus. Horum itaque sententiam non recte quidam describunt, ut fecit in Historia Italo Sermone conscripta Franciscus Maria Ottieri, Volumine 6. lib. 17. ad an. 1713. pag. editæ Romanæ 314.

Pugnarunt pro Gratia efficaci præ cæteris *Thomas de Lemos* & *Didacus Alvarez* Ord. Præd. *Jacobus de Boſſu* Monachus S. Benedicti, & *Gregorius Nunnius* Coronellus noſtri Auguſtiniani Inſtituti. Thomas de Lemos naturæ conceſſit anno 1629. ejusque *Panoplia* typis edita fuit anno 1676. Alvarez, qui de auxiliis ſpiſſum conſcripſit volumen, obiit Archiepiſcopus Tranenſis 1640. Nunnius Coronellus Luſitanicus Congregationum *de Auxiliis* a Secretis tanta adverſus Molinam ipſe ſcripſit, & ab aliis ſcripta collegit, ut nihil ad controverſiam illam pertinens poſſit deſiderari; inedita ſunt tamen, & in Romano S. Auguſtini Archivio recondita. De Jacobo le Boſſù vide Hiſtoriam P. Serry prope finem.

Decem Jeſuitæ ſententiam de Efficacitate Divinæ gratiæ oppugnare ſtuduerunt occaſione prædictorum diſſidiorum, videlicet, *Michael Vaſquez*, *Petrus Arrubal*, *Benedictus Perrorius*, *Mutius Vitelleſchus*, *Chriſtophorus Cobos*, *Bernardinus Roſignolius*, *Bartholomæus Peres*, *Joannes Azorius*, *Gregorius de Valentia*, & *Benedictus Juſtinianus*. Hi ſubſcripſerunt libro, cui tituius; *Confutatio cujusdam ſententiæ falſæ de efficacitate Divinæ gratiæ:* eumdemque librum a ſeptem Germaniæ Univerſitatibus, & una Lotharingiæ approbari curarunt. In quinto Doctrinæ Moliniſticæ examine, quod cœpit ſub Clemente VIII. anno 1602. die 20. Martii, prælaudatus *Gregorius* de Valentia quædam S. P. Auguſtini verba ex libro 19. de Civit. Dei corrumpens, atque a Pontifice reprehenſus, deliquio corruit, & Neapolim concedens brevi tempore ſupervixit.

At quoniam aliquos nunc Theologos memoravi, nefas eſt alios quosdam præclariſſimos præterire. Quis enim vel a limine Theologiam ſalutavit, cui ignota ſint *Franciſci Suareſii*, & *Gabrielis Vaſquez* nomina celeberrima? Suareſio quidem nullum legimus modeſtiorem & doctiorem, atque nullum liberiorem acrioremque Vaſqueſio. Suarez autem obiit an. 1615. Vaſquez an. 1604. Protulit iſtos fecunda doctiſſimorum virorum parens Societas Jeſu; quæ ulterius genuit Cardinalem *de Lugo*,

go, *fonſecam*, *Gabrielem Henno*, *Thyrſum Gonzales*, atque iis clariores paulopoſt enumerandos. Nunc enim nobis quosdam e ſchola Theologos commemorantibus, occurrunt Thomiſtæ doctiſſimi *Joannes a S. Thoma*, *Petrus Ledeſma*, *Joannes Baptiſta Gonet*, *Antonius Reginaldus*, *Gonzales duo*, *Vincentius Contenſonus*, *&c.* Sapientiſſimi item inter Theologos hujus Seculi XVII. habentur *Franciſcus Sylvius*, *Guillelmus Eſtius*, & *Gummarus Huygeus* inter ſcriptores Belgas celebratiſſimi. Floruerunt in Auguſtiniana Familia *Angelus Rocca*, *Auguſtinus Gibbon*, *Lambertus le Drou*, *Auguſtinus Lubinus*, *Nicolaus Gavardi*, *Chriſtianus Lupus*. In Seraphico Ordine *Claudius Fraſſen*, *Franciſcus Macedo*, *M. Antonius Cappellus*, *&c.*

Inter Purpuratos Patres immortalitatem famæ conſecuti ſunt *Cæſar Baronius*, *Robertus Bellarminus*, *Jacobus David Perronius*, *Joannes Bona*, *Laurentius Brancatus de Lauræa*, & *Henricus Noriſius*. Cæſar Baronius Congreg. Oratorii S. Philippi Soræ natus anno 1538. obiit an. 1607. & magnum Opus Eccleſiaſticorum Annalium improbo labore ad an. 1198. perduxit, & Martyrologium Romanum perpetuis notis illuſtravit. Robertus Bellarminus Politianus Societatis Jeſu, nepos, e ſorore Marcelli II. natus anno 1542. vita functus an. 1621. præter alia permulta inſigne Controverſiarum Opus deſcripſit, a *Jacobo Gretſero* viro ejusdem Societatis doctiſſimo, & *a Viro Erbemanro* adverſus hæreticos vindicatum. In illud quippe Junius, Danæus Hunnicus, Joannes Gerardus, Ameſius, aliique heterodoxi ſcripſere. Carpitur quoque alicubi a Launojo, de quo infra; & quantum ſpectat ad Pontificum poteſtatem *in Temporalibus* ſupra Reges, *a Joanne Barclaio*, qui deceſſit eodem anno 1621. Ut idem Bellarminus Faſtis Beatorum adſcriberetur, non tantum ſuperioribus annis ſedente Benedicto XIV. verum etiam an. 1677. ſub Innocentio XI. & anno 1711. ſub Clemente XI. Jeſuitæ irrito conatu tentarunt. Cardinalis *Perronius* Bernæ in Helvetia natus an. 1556. & vita functus Pariſiis an. 1618.

fidem

fidem Eucharistiæ adversus Mornæum luculentissime propugnavit, diluitque omnes Regis Anglorum oppositiones, cum Musis quoque interdum versatus. *Joannes Bona* Cistercienſis in Urbe Pedemontii Montis Regalis ortus anno 1609. & Romæ tranquilla morte ſublatus an. 1674. de rebus Liturgicis, de Divina Pſalmodia, de Sacrificio Miſſæ, & aliis ad vitam Aſceticam pertinentibus pie, ſapienterque tractavit. Laurentius de Lauræa Ord. Nin. Convent. Theologiam Aſceticam, & S. Patris Auguſtini doctrinam de Prædeſtinatione, & Gratia plurimum illuſtravit: atque is eſt, qui magno adjumento eſſe ſolet Theologis Congregationis Sacrorum Rituum. *Henricus Noris* Auguſtinianus tanto celebrior evaſit, quantum illum tanquam Janſenii aſſeclam adverſarii ſtuduerunt traducere. (*h*) Immortale ſibi nomen comparavit Hiſtoria Pelagiana, Vindiciis Auguſtinianis, pluribusque Hiſtoricis, Theologicis, & Chronologicis diſſertationibus. Veronæ natus fuerat an. 1631. & obiit Romæ anno 1704.

Neque hi tantum, ſed alii ſapientes viri Vaticanam Purpuram decorarunt, ut *Joſephus de Aguirre* Ord. S. Benedicti Clarus Theologiæ S. Anſelmi Commentator, omniumque Conciliorum Hiſpaniæ Collector: *Joſeph Maria Thomaſius*, Clericus Regularis Theatinus, non tam vitæ integritate, quam ſtudio antiquitatis Eccleſiaſticæ, linguarum peritia, editisque libris conſpicuus, & *Cœleſtinus Sfondratus*

(*h*) Legantur Noriſii Opuſcula. Illius Hiſtoria Pelagiana cum Vindiciis Auguſtinianis, absque prævio decreto, aut malignantium fraude, aut nimia oſcitantia Indici Expurgatorio S. Inquiſitionis Hiſpaniarum inſerta, illinc delata eſt mandato Inquiſitoris Generalis Emmanuelis Archiepiſcopi Pharſaliæ: adeo, ut Cl. Noriſii Opera ab erudito auctore Litterariarum Ephemeridum, quæ Florentiæ prodeunt in lucem, recte dicantur, *Argentum igne examinatum, purgatum terræ, purgatum ſeptuplum.* Pſ. 11. 7. Prælaudatum Decretum Hiſpanicum emanatum fuit anno 1758. die 28. Januarii.

tus Galliæ vindicatæ auctor, *Modi* tamen Prædestinationis intricator potius, quam extricator.

Tanta fuit omnigenæ eruditionis in aliquibus copia, ut ad miraculum videantur exculti. In horum classe haud hæsitanter locamus *Jacobum Sirmondum*, & *Dionysium Petavium* Soc. Jesu Presbyteros, quibus addendus est, *Jacobus Benignus Bossuet*. Sirmondus Ricomagi in Arvenia natus an. 1559. vixit annis 92. atque ab ineunte ætate latina, & græca MSS. pervolutavit, Bibliothecas excussit, numismata, & vetustas inscriptiones inspexit, nobisque plura occulta antea, vel inedita reservavit. Petavius Aurelianensis hanc lucem anno 1585. adspexit, obiitque anno 1652. Hunc inter Jesuitas Aquilam vocant. Edidit Synesium, Epiphanium illustravit, tempora digessit, exagitavit Scaligerum, Themistii & Juliani orationes notis locupletavit, Poemata, & Epistolas concinnavit, & dogmata Patrum amplissimis voluminibus explanavit. (i) *Bossuetius* Meldensis Episcopus, Divioni in Burgundia natus anno 1627. decessit anno 1704. Quæ autem is conscripsit in libris Variationum adversus hæreticos, in Isaiam de Vaticinio Partus Virginei contra revivisentem sua ætate Quietismum; Compendium universalis Historiæ, de gratia ac libertate juxta Augustini doctrinam, funebres Orationes, aliaque moralia, & Polemica bene multa, missa *Defensione* prolixa propositionum Cleri Gallicani an. 1682. hæc, inquam, admiratione potius digna censentur, quam laude.

In Historia illustranda sedulam impenderunt operam *Henricus Spondanus* Episcopus Appamiensis, qui

(i) *Petavius* posteaquam lib. 9. Theolog. Dogmatum S. P. Aug. Doctrinam de Prædestinatione docte exposuerat, & vindicaverat, addidit librum 10. cujus priori capiti titulum fecit. *Retractatur Augustini Sententia &c.* Causam puto omnibus esse compertam. Vide *Abreg.* Hist. Eccl. edit. anno 1754. pag. 283. *Berti, Breviarium.*

qui scripsit Annales sacros a creatione mundi ad hujus reparationem, Cardinalis Baronii Opus in Epitomen redegit, & usque ad an. 1640. deduxit. Quamquam in Annalium Baronii prosecutione insudarunt plurimum *Odoricus Raynaldus*, & *Jacobus Laderchius*, ejusdem cum Baronio Congregationis. In prædictos autem Annales Baronii eruditas Historicas, Criticasque animadversiones edidit *Antonius Pagius* Ord. Min. Conventualium natus in Provincia loco humili, & vita functus anno 1699. Hujus postrema Scripta perpolivit complevitque *Franciscus Pagius* ejus nepos de historia Romanorum Pontificum optime meritus. Acta Sanctorum colligere & in lucem edere cœpit *Joannes Bollandus* Soc. Jesu, executus consilium, quod concepe-rat P. Heribertus Rosweidus ejusdem Societatis. Prodierunt ingentis Operis duo priora volumina anno 1643. Huic admovere deinde manus viri docti, laborumque patientissimi Henschenius Papebrochius, Beartius, Janninghus, Sollierius, Pineus, Cuper Boschius, Stiltingus, Suyschen, & Perierius. Tridentini Concilii Historiam conscripsit *Sforzia Card. Pallavicinus* (*k*) ejusdem Soc. Jesu, eamque latinitate donavit consocius Joannes *Baptista Giattinus*. Obiit Card. Pallavicinus anno 1667. ejusque scopus fuit refutare Historiam *Pauli Sarpi* Ord. Serv. Theologi Reipublicæ Venetæ, viri præditi felici, & præcoci ingenio, & quamvis a Theologis multis dissentiat, procul dubio doctissimi. Decessit Sarpius an. 1623. Historiam, & Annales Ordinum Regularium plures scripserunt, ut FF. Prædicat. *Thomas Malvenda*, Ord. Minorum *Lucas Waldingus*, Cappuccinorum *Zacharias Boverius*, Augustinensium Eremitarum *Aloysius Torelli*, Societatis

(*k*) Scripserunt Jesuitæ quidam, videlicet PP. *Conti*, & *Gobien*, de ceremoniis, & religione Sinensium, tam immodica Confucii, ejusque virtutum laudatione, ut quinque famosæ propositiones ex illorum libris depromtæ a sacra facultate Parisiensi proscriptæ fuerint anno 1700. die 18. Octobris.

cietatis Jesu *Maffæus Orlandinus*, &c. Italiam sacram *Ferdinandus Ughelli* Cistercienſis.

Eccleſiaſticæ Antiquitatis, quæ hiſtoriæ anima dici poteſt, ſtudioſiſſimi fuerunt, & præclara edidere monumenta, *Antonius Gallonius* Congreg. Oratorii S. Philippi, qui ſcripſit de SS. Martyrum cruciatibus, & obiit an. 1617. Subterranea Urbis Romæ, plurimaque ibi recondita monumenta luſtravit *Paulus Aringhus* ejusdem Congregationis, qui diſceſſit an. 1676. Martyrologium ſui Ordinis edidit 1629. *Hugo Menardus* Benedictinus; idem an. 1642. perpetuis annotationibus illuſtravit Sacramentarium S. Gregorii Magni. *Hugo Menardus* obiit an. 1644. *Petrus* de Marca, cujus extat *Concordia* Sacerdotii, & Imperii, opera Stephani Baluzii ſemel iterumque in lucem edita cum Vita Auctoris, notisque, deceſſit an. 1656. Pariſiis renunciatus ejusdem Urbis Archiepiſcopus. *Leo Allatius*, qui poſt Lucam Holſtenium cuſtos fuit Vaticanæ Bibliothecæ, obiitque an. 1669. plura ſcripſit aptiſſima ad Græcorum confutandos errores. *Philippi Labei* Soc. Jeſu, qui fatis ceſſit an. 1667. habemus præter alia complura Concordiam Chronologicam, ſuiipſius, & Philippi Brietii, & Collectionem magnam Conciliorum; in quo eruditionis genere ſerventiſſimum ingenium ſuum exercuit quoque *Joannes Harduinus* itidem Jeſuita. *Lucas Acherius* Ord. S. Benedicti innumera, quæ latebant, monimenta publici juris fecit, ſublatus pio obitu Pariſiis an. 1685. *Joannis Launoii* Doctoris Sorbonici, qui extinctus eſt an. 1678 ingentia habentur, variique argumenti volumina, in quibus aliqui ſtyli damnant intemperiem, aliqui nimiam rerum verborumque repetitionem. (*l*) Græcorum ritus

(*l*) *Launoii* liber inſcriptus: *Véritable Tradition de l'Egliſe, ſur la prédeſtination, & la grace*, typis procuſus Leodii anno 1702. In S. P. Auguſtinum injuriarum pleniſſimus, damnatus fuit a Cle-

accurate explicavit *Jacolus Goarius* Ord. Prædicat., qui obiit an. 1653. Græcorumque Patrum inedita olim Opera vertit vulgavitque *Franciſcus Gambeſis* ejusdem Ordinis, qui fato ceſſit anno 1679. *Henrici*, & *Adriani de Valois* fratrum, præclarum in Litteraria Republica nomen: ille enim Græcos Hiſtoricos, Euſebium, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, Evagrium, Philoſtorgium, & Theodorum Lectorem latina vertit lingua, notisque illuſtravit: iſte Galliam exquiſitis diſſertationibus reddidit notiorem. Henricus vero deceſſit an. 1676. & Adrianus an. 1692. Opera Patrum, qui ſub tempora Apoſtolorum floruerunt, collegit, notisque exornavit *Joannes Baptiſta Cotelerius*, cujus mors conſignatur anno 1686. Quæ ſacram Chronologiam, & Geographiam haud mediocriter dilucidant, Romanorumque Pontificum propugnant auctoritatem, magno labore collegit *Emmanuel a Schelſtrate* Belga, qui deceſſit Romæ an. 1692. poſtquam de Eccleſia Africana, de Patriarchatu Occidentali, atque de diſciplina Arcani tractatus perutiles juvenili ætate elucubraverat.

In

Clemente XI. Pontifice Maximo anno 1704. die 28. Januarii. Hyacinthus Serry Ordinis Prædicatorum, de quo ſeculo proximo, non ſolum contra Launojum vindicias Auguſtini elucubravit, verum etiam lepidula Epiſtola, quaſi ex Eliſiis data, oſtendit, quidquid Launojus in Auguſtinum effutiit, depromptum fuiſſe ex Scriptoribus, religioſiſſimæ alias ſanctiſſimæque Societatis Jeſu, quorum enumerat ſaltem viginti, nempe *Andream Junium*, *Chriſtophorum Ortegam*, *Dionyſium Petavium*, *Franciſcum Annatum*, *Gabrielem Vaſquez*, *Jacobum Sirmondum*, *Joannem Adamum*, *Joannem Hamelium*, *Joannem Ituren*, *Joannem Marianam*, *Joannem Martinonum*, *Joannem Baptiſtam Gueſnay*, *Leonardum Leſſium*, *Levinum Le-Mayer*, *Ludovicum Molinam*, *Petrum Halloix*, *Petrum L'Abbé*, *Stephanum de Champs*, *Theophilum Raynaudum*, & *Thomam Bonartum*.

In illa utiliori Theologia, quæ in ſtabiliendis Fidei noſtræ decretis tota verſatur, præter Venerabilem Bellarminum, de quo ſupra, inſudavit *Martinus Becanus*, & ipſe Soc. Jeſu, qui migravit e vita an. 1624. (*m*) ab omnibus ob ſingularem modeſtiam laudatus. Eamdem ſubierunt Provinciam *Adrianus* & *Petrus de Wallemburch* fratres Batavi; quorum primus Epiſcopus Adrianopolitanus, ac Suffraganeus Archiepiſcopi Moguntini obiit anno 1669. alter Epiſcopus Myſienſis, & Suffraganeus Archiepiſcopi Colonienſis obiit anno 1675. De Sacramento Pœnitentiæ, & de ſacris Ordinationibus fuſe, & erudite pertractavit *Joannes Morinus* Cong. Oratorii Gallus, qui e vivis exceſſit an. 1659. (*n*) Dogmata item Eccleſiæ Catholicæ, & Eccleſiaſticam diſciplinam expoſuit *Ludovicus Thomaſſinus* ejusdem Congregationis, qui e vita migravit anno 1695. His addendi, qui polemica SS. Patrum ſcripta ſelectis animadverſionibus colluſtrarunt, ut Optatum Milevitanum *Gabriel Albaſpinæus* Epiſcopus Aurelianenſis, qui deceſſit anno 1630. Irenæum adverſus hæreſes *Franciſcus Fevardentius*, qui etiam ſub hujus Seculi initia ſcripſit Theomachiam Calviniſticam; & Marium Mercatorem *Joannes Garnerius* Societat. Jeſu, qui obiit anno 1681.

Commentaria in ſacras litteras elucubrarunt prælaudatæ Societatis viri permulti, inter quos celebrantur, *Salianus*, *Mariana*, *Villalpandus*, *Menochius*,

(*m*) Plurima ſcripſit pro fide orthodoxa, & pro defenſione *Controverſiarum* Card. Bellarmini, necnon pro Societatis ſuæ, ejusque beatiſſimi Inſtitutoris honore vindicando *Jacobus Gretſerus* Jeſuita, de quo Nathanael Sotuel pag. 369. Biblioth.

(*n*) Jo. Morinus in caſtris Calviniſtarum educatus, Pariſiis hæreſim abjuravit. Idem fecerunt alii viri doctiſſimi, Caſpar Scioppius, Wilelmus Rainoldus, Petrus Pithœus, Henricus Spondanus, Tanaquillus Faber, Bertholdus Nihuſius, Iſaac Papinus, aliique litterarum laude conſpicui.

chius, *Tirinus*, *Pineda*, *Lorinus*, *Pererius*, *Serarius a lapide*, &c. Varia Sacra, & vindicias Textus Hebraici adversus Morinum edidit, *Simeon de Muis* defunctus anno 1644. Biblia maxima novemdecim comprehensa Tomis prægrandibus concinnavit *Joannes de la Haye* Ordin. Min. Opera autem *Criticorum sacrorum*, id est adnotationum in sacram Scripturam, variarumque eo inservientium dissertationum, compacta præsertim sunt ex libris Protestantium, ac primum prodierunt in lucem novem Voluminibus an. 1660. Londini.

De Theologia Morali pertractarunt Societatis Jesu permulti. *Baunium*, *Filiutium*, *Escobarium*, *Azorium*, *Tamburinum*, *Busembaum*, &c. nullus ignorat. Nec tamen benigniores, ut inquiunt, sunt Jesuitæ cuncti, sed exactiores premunt semitas *Paulus Comitolus*, & Probabiliſmi insectator *Tyrsus Gonzales*, *Bonus Merbesius*, *Sambovius*, & *Henricus a S. Ignatio* Carmelita Belga prolixe item de doctrina morali scripserunt, laxitates rigidioribus fortasse præceptionibus insectantes. *Apologiam* Casuistarum, tot Præsulum Galliarum censuris dispunctam, omittimus. Italica lingua sive catechesibus sive concionibus, nemo copiosius, & elegantius scripsit *Paulo Segneri* Soc. Jesu dignissimo, quem Parochi, & Verbi Dei Præcones studeant imitari.

Postremo loco recensendi sunt quidam Jansenistarum. Horum antesignanus *Antonius Arnaldus*, cujus Opus de frequenti Communione editum anno 1643. plura excitavit dissidia, sed majora movit quæ scripsit de gratia, & de morali practica Jesuitarum. Jansenismi notam non effugit liber inscriptus, *Amor Pœnitens* Episcopi Castorienſis in lucem emissus an. 1687. *Martinus de Barcos* Abbas S. Cyrani, qui an. 1643 refutavit *Prædestinatum* Sirmondi, & an. 1644. palam pro Jansenio certavit. Quædam hujus Opera latent sub nomine *Petri Aurelii*. Jansenianis adnumerandus quoque *Blasius Paschalis*, qui sub nomine *Ludovici Montalti* vul-

vulgare cœpit an. 1656. *Epistolas Provinciales*; (o) & qui sub *Vendrochii* nomine illas Latinitate donavit, & notis corroborare studuit, *Petrus Nicolius*. Accedunt directores, cultoresque Monasterii Portus Regii *in Campis*, *Isaac de Saci*, *Petrus Thomas Fasseus*, *Nicolaus Fontana*, *Gothefridus Hermant &c.* Hos inter recensent quoque Cl. *Tillemontium*, qui mortuus cum magna pietate ac religione anno 1688. in templo illius Monasterii, (p) quod semper coluerat, sepultus fuit. Sui, & fictitio *Vincentii Lenis* nomine scripsit pro Jansenio *Libertus Froemondus* Doctor Lovanienſis, extinctus anno 1653.

Adversus Jansenistas & Bajanistas acuerunt stylum *Stephanus Deſcamps*, *Franciſcus Annatus*, *Joannes Martinus Ripalda*, & *Joannes Martinonus* seu *Morainus* S. J. Presbyteri. Sed non finit, ut ulterius progrediamur, præfixa brevitas.

CAPUT V.

AUGUSTISSIMORUM CÆSARUM, ET SANCTORUM QUORUMDAM RECENSIO.

Rodulphum II. Imperatorem vita functum absque libris anno 1612. IV. Idus Januarii dictum est alibi. Eodem itaque anno mense Junio

(o) Epistolis Provincialibus nullum datum responsum ante annum 1694. quo in lucem prodiit, *Entretien de Cléandre & d'Eudoxe*. Hoc Opus celebri Apologia refutatum fuit anno 1696. & seqq. XVIII. aliis Epistolis a P. Matthæo Petitdidier Monacho Ordinis S. Benedicti.

(p) Monasterium illud anno 1709. dirutum fuit.

Francofurti electus est *Mathias* ejusdem Rodulphi frater, Rex Bohemiæ, & Hungariæ, qui ob grassantem Lutheranam hæresim Praga Viennam Austriæ transtulit Imperii Sedem. Cum autem Mathias ex Anna filia Ferdinandi Austriæ uxore sua nullum suscepisset filium, adoptavit Ferdinandum filium Caroli Austriaci filii Ferdinandi I. Imperatoris, & Mariæ filiæ Alberti Ducis Bavariæ; eique an. 1617. cessit Bohemiam, & anno insequenti regnum etiam Hungariæ. Protestantes per hæc tempora pervicaciores effecti magna Christianæ reipublicæ attulerunt incommoda. Ipse vero Imperator contracto ex animi tristitia languore vita excessit an. 1619. VI. Idus Martii.

Illi itaque successit prælaudatus *Ferdinandus* hujus nominis II. evectus ad Imperii fastigium citato anno 1619. V. Cal. Septemb. Rexit autem Imperium usque ad an. 1637. quo decessit apoplexia correptus 8. die Februarii. Fridericum Palatinum an. 1620. superavit, recuperata Bohemia; atque an. 1623. reddita fuit Bavaria Duci Maximiliano, hostibus a Cæsare attritis. Anno rursus 1626. ductor Cæsarei exercitus Valstein prostravit hæreticorum phalanges, & Danos Augusti Principis arma fugarunt. Mantuam, quam occupaverant Galli, anno 1629. expugnavit: eodemque anno sancivit, ut Ecclesiastica bona ab hæreticis usurpata restituerentur Catholicis. (*q*)

Successit pio, invictoque parenti *Ferdinandus III.* quem ei pepererat Mariana conjux, filia Guilelmi Ducis Bavariæ. Post diuturna bella quæ gessit cum Svecis, aliisque, an. 1648. pacem Monasterii cum omnibus iniit; eademque pace in posterum fruens Catholicæ religionis propugnandæ, pietatique

---

(*q*) Ea occasione PP. Societatis dederunt operam, ut quæ spectabant ad Monachos S. Benedicti, monasteria Monialium consequerentur, opera P. Lamormani a Confessionibus Ferdinandi II.

que exercendæ totus incubuit, donec anno ætatis ſuæ 49. & Imperii 20. deceſſit Viennæ anno 1657. die Aprilis ſecunda.

Tenuit deinde Imperium *Leopoldus*, quem Ferdinandus III. pepererat Mariana filia Philippi III. Regis Hiſpaniarum. Electus fuit Helenopoli, ſeu Francofurti anno 1658. die 18. Julii, & coronatus proximis Calendis Auguſti. Fuit itaque poſt mortem Ferdinandi III. interregnum plus quam menſium quindecim. Bellum habuit Leopoldus cum Gallis diuturnum, regnante Ludovico XIV. Conſpirantes adverſum ſe plures Hungarorum nobiliſſimos an. 1669. capitali pœna mulctavit. Turcarum CCXL. millia in Hungariam irruerunt an. 1683. & Viennam die 13. Julii cinxerunt obſidione; ſed abierunt inde, in fugam converſi, cæſis permultis, die 12. Septembris a Joanne Sobieſcki Poloniæ Rege, & a Carolo V. duce Lotharingiæ, arriſitque Leopoldo inſignis Victoria. Laceſſitum deinceps Imperium Turcicum, inito fœdere inter Leopoldum, Innocentium XI. Venetamque Rempublicam, donec an. 1699. ſancita pace, quieverunt paululum bellorum ſtrepitus. At rurſus pro ſucceſſione in Regna Hiſpaniarum, vita functo an. 1700. Carolo II. Rege, inter Leopoldum & Ludovicum vario pugnatum eſt marte. (r) Tandem Imperator anno 1705. III. Nonas Maji Viennæ in Auſtria extinctus eſt hydrope, anno Imperii ſui quadrageſimo ſeptimo.

Præter S. Franciſcum Saleſium laudatum ſuperiori capite IV. Sanctorum Confeſſorum numerum auxerunt *Vincentius a Paulo*, *Camillus de Lellis*, *Fran-*

(r) *Carolus II.* Rex Hiſpaniæ teſtamento inſtituerat Philippum V. filium Ludovici Galliarum Delphini, hæredem ſuum. Ipſe autem Carolus II. filius erat Philippi IV. Auſtriaco ſanguine procreati.

Franciſcus de Regis, *Fidelis* de Simaringa, *Joſeph* a Leoniſſa, *Franciſcus Solanus:* quorum, quod infra cap. 6. hujus aut ſeq. Seculi commemoranda ſit ſolemnis apotheoſis, nunc ſolum nomen deſcribimus. Migrarunt quoque ad cœleſtem ſponſum Seculo XVII. Sanctimoniales *Maria Magdalena* de Pazzis Florentina, & *Roſa a S. Maria*, Americana. Martyrio plures coronati ſunt hæreticis, & infidelibus perſequentibus. Hanc promeruit coronam anno 1617. in Perſide cum aliis plurimis *Catharina* Regina Georgiæ exquiſitiſſimis ſuppliciis tentata. In Japonia lento pro fide cremati fuerunt igne an. 1622. *Petrus Zuniga* Auguſtinenſis. *Ludovicus Florez* Ordinis Prædic. *Petrus Davila* Ordin. Minor. & *Carolus Spinula* Januenſis Societ. Jeſu. De Martyrio *P. Britti* ejusdem Societatis, quod conſignatur an. 1695. expectatur Apoſtolicæ Sedis judicium. Quia Martyres non facit pœna, ſed cauſa, non ſunt in eorum numero computandi decem mille captivi Turcarum, qui Seditionem molientes an. 1662. in urbe Mauritaniæ Algerio crudeliſſime necati fuere. (*s*)

Vixit hoc Seculo, cœpitque Revelationes ſuas ſcripto tradere an. 1655. *Maria Agreda* Ord. Min. de cujus libris ac virtutibus non ſemel eſt diſputatum. Adverſus ejus aſſerta valde affinia Scotiſticæ Theologiæ cenſuram tulit an. 1696. ſacra Sorbonæ Facultas: nec unquam quidquid plures moliti ſint, ab Apoſtolica Sede fuerunt approbata, imo cum primum Hiſpanica lingua prodierunt in lucem, rejecta. Noſtrum tamen non eſt, quidquam aut ejus, aut *Catharinæ* matris, patrisque religioſiſſimi

(*s*) Sunt, qui inter martyres recenſent *Henricum Garnet* Soc. J. aliosque anno 1606. & ſequenti ſupplicio affectos, quod conſpiraſſent in *Parlamenti*, ut inquiunt, *Cameram* abdito pulvere pyrio ſubvertendam in Anglia, unde eam ob rem Catholici omnes fuerunt expulſi.

ſiſſimi Viri detrahere virtutibus. Ad Catholicam enim Eccleſiam ſpectat de his proferre ſententiam.

Obierunt præterea in magna ſanctitatis fama an. 1641. *Claudius Bernardus* Presbyter Divionenſis, eodemque anno *Joanna Franciſca Fremiot* de Chantal, quæ omnium prima inſtitutum a S. Franciſco Saleſio ordinem Viſitationis ingreſſa eſt anno 1610. Hanc modo in Beatarum numero veneramur. *Emus* Parochus diœceſis Senonienſis an. 1644. migravit ad Superos: *Joſeph Calaſanctius* Inſtitutor Scholarum Piarum an. 1648. *Vincentius a Paulo* Inſtitutor Congreg. Miſſionis anno 1660. *Henricus Michael* diœceſis Trevirenſis, qui ſutores ad officia pietatis revocabant, an. 1666. *Petrus Guillerius* Canonicus Regularis Bilumni in Sabaudia anno 1673. atque anno 1691. *Maria de Cyz* Leydenſis Virgo ad Catholicam Eccleſiam a ſecta Calviniſtarum Deo prædeſtinante vocata.

CAPUT VI.

QUÆNAM SECULO XVII. IN ECCLESIA CATHOLICA DOCTRINA, ET DISCIPLINA VIGUERINT.

Spectantem ad fidem moresque doctrinam Seculo XVII. Eccleſia Chriſti inconſaminatam ſervavit. Nam præter dogmata occaſione emergentium hæreſeon luculenter expoſita, & firmiter ſtabilita; ubi innovatæ fuere, aut primum excogitatæ opiniones ad corruptelam, vel ad impietatem tendentes, opportune confixæ fuerunt, & refutatæ. Quod ex magno numero propoſitionum ab Apoſtolica Sede proſcriptarum evidentiſſime apparet. Enimvero Urbanus VIII. anno 1641. damnatos a S. Pio V. 79.

(1) ar-

(*t*) articulos Baji rursus Apostolica Constitutione perstrinxit; Clemens VIII. anno 1602. confessionem factam per litteras, seu internuntium, nullam & irritam declaravit: Innocentius X. anno 1653. propositiones V. Jansenii, Alexander VII. anno 1665. propositiones 28. & an. 1666. alias 17. Innocentius XI. an. 1679. propositiones 65. atque eodem an. 1679. duas alias prohibuit. Vetuit insuper an. 1692. ne quis utatur aliquo pacto, etiam sine directa vel indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, scientia ex confessione acquisita, damnans oppositam assertionem. Idem Innocentius XI. anno 1687. pernicioſissimam mysticam Michaelis de Molinos, hujusque positiones 68. reprobavit. Alexander VIII. an. 1690. peccatum philosophicum, deinde propositiones 30. ex Jansenistarum fontibus manantes, censuris confixit. Innocentius XII. novorum Quietistarum, & Francisci de Fenelon (*u*) Archiepiscopi Cameracensis anno 1699. damnavit propositiones viginti tres.

Ex his edocemur beneficia supernaturalium donorum excedere naturæ fines, Gratiam adjuvare, non perimere libertatem, nequo hanc vinculo obstringi necessitatis, nullum esse imputabile crimen, ubi non adest libertas indifferentiæ, invincibilem ignorantiam excusare a peccato, plura fieri a peccatoribus, & infidelibus, quæ non sunt a cupiditate vitiata, ad universos homines Christi redemptionem extendi, non sufficere in sacramento Pœnitentiæ attritionem naturalem, eamque ex metu gehennæ concipitur bonam esse & ad gratiam disponere, præceptum annuæ communionis non impleri per communionem sacrilegam, veram animæ perfectionem & devotionem non excludere exteriores actus, atque

(*t*) Alias 76. duobus in unum bis copulatis.

(*u*) Qui errores suos palam e suggestu retractavit, magis ob humilitatem & fidei confessionem laudandus, quam propter falsam proscriptamque doctrinam reprehendendus.

que exercitamenta virtutum; aliaque id genus, quæ opponentur damnatis illis propositionibus. (x)

Cum autem hoc XVII. Seculo cum ingenti librorum copia laxiores quoque opiniones fuerint disseminatæ; Episcopi vigilantissimi curarunt collabentem disciplinam restituere, & exundantem malitiam coercere. Si quidam ausi sunt affirmare nemini, quamvis prava consuetudine implicato, denegandam esse sacramentalem absolutionem; facilitatem istam coactæ Sacerdotum Synodi reprobarunt, ut Farfensis 1685. Montisfalisci anno 1692. Cæsenatensis anno 1693. Bononiensis anno 1698. Socios criminum, seu complices absolvendos non esse a Confessario, ut postulat pœnitentiæ ardor, & ratio pudoris, decreverunt Synodi Veliterna anno 1673. Faventina 1674. Æsina 1683. Arcendas a Sacramentis mulieres comptas, fucatas, & pectora immodeste nudantes, præter Innocentii XI. sanctiones, decrevere Synodus Senogallienſis anno 1627. Juvenacensis

---

(x) Apologia Casuistarum a pluribus Galliarum Episcopis & ab Apostolica sede confixa, prodiit auctore P. Pirot. S. J. anno 1657. Alexander VII. anno 1666. proscripsit propositiones 45. & Innocentius XI. anno 1679. alias propositiones 65.

Apologias Auctorum Societatis conscripsere P. Moja, & P. Honoratus Fabri, tum proprio nomine, tum nomine Bernardi Stubrokii.

Antonii Sanctarelii liber a Sorbona damnatus fuit anno 1626. Marianæ item opus *de Rege*, & *Regis institutione* idem subiit fatum. Vid. Not. ad cap. 3.

Proscriptæ anno 1655. ab Archiepiscopo Mechliniæ, & exagitatæ proximo anno 1656. in Comitiis Cleri Gallicani Propositiones 21. Caramuelis fluentes ex principiis Probabilismi, confixæ aliæ septem depromtæ ex Tract. Mascarenhas. Aliæ pariter 43. assertæ ab Escobario, Sancio, & Petro Mi[illegible] Sanronam: rursus decem & septem a sacra Facultate Lovan[illegible]si confixæ anno 1653. Plures demum id generis numero [illegible] in Comitiis Cleri Gallicani anno 1700. damnatæ omnium, qui aderant Episcoporum suffragiis.

censis anno 1639. Faventina 1649. Asculana, & Cremensis 1688.

Exorta Seculo XVII. quæstione, an qui dispensatur ab esu carnium, sit etiam dispensatus ab unica comestione, variæ fuerunt sententiæ Theologorum, ut liquet ex Lessio lib. 4. de Justit. cap. 2. Medina lib 1. Instit. Sacerdot. §. 10. Comitolo Resp. Moral. lib. 4. q. 46. Azorio Instit. Moral. lib. 7. cap. 7. &c. Cum vero jejunium institutum sit ad frenandam carnis concupiscentiam, illa fuit sententia sanior & verior dispensatum in una parte, non esse dispensatum in altera, quam servare queat sine propriæ salutis discrimine. Saniorem dixi, & veriorem; nam anno 1657. Alexander VII. Cives Romanos dispensans ab esu carnium in quadragesima declaravit illos teneri nihilosecius ad jejunandum: quod & Clemens XI. anno 1703. & eo jubente Caspar Cardinalis Carpegna summi Pontificis in Urbe Vicarius fidelibus indixerunt; perspicue autem explicavit, omnemque eliminavit difficultatem anno 1741. Benedictus XIV.

Præter hæc, aliaque plura ad disciplinam, & ad integerrimam institutionem morum pertinentia, ad pietatem religionemque fidelium excitandam quosdam eximiæ virtutis in Sanctorum Fastos Summi Romanæ Ecclesiæ Pastores retulerunt Canonizatione solemni. Quem honorem Clemens VIII. anno 1601. detulit *S. Raymundo* de Pennafort Catalauno: Paulus V. anno 1608. *S. Franciscæ Romanæ*, & an. 1610. *S. Carolo Borromæo*: Gregorius XV. anno 1622. *SS. Isidoro Agricolæ*, *Theresiæ Virgini*, *Ignatio Loyolæ*, *Francisco Xaverio* Hispanis, & *Philippo Nerio* Florentino: Urbanus VIII. an. 1625. *S. Elisabethæ* Lusitanorum Reginæ, adscriptis numero Beatorum *Andrea Avellino*, & *Felice Cantalicio*; & anno 1629. inter Sanctos *Andrea Corsinio*, inter Beatos relato *Cajetano Thienæo*: Alexander VII. anno 1658. Sanctorum Catalogo adscripsit *Thomam* a Villanova Archiepiscopum Valentinum; Clemens IX. anno 1669. *Petrum* de Alcantara Ord. Min. & Mariam Magdalenam de Pazzis Ord. Carmelita-

litarum: Clemens X. anno 1671. *Franciſcum Borgiam*, *Cajetanum Philippum Benitium*, *Ludovicum Bertrandum*, & *Roſam Limanam*; & anno proximo Beatis accenſuit Pontificem Maximum *Pium V.* Anno autem 1675. idem Clemens X. magnificentiſſima pompa adſcripſit Sanctorum Faſtis XIX. *Martyres Gorcomienſes.* Decretus denique anno 1690. ab Alexandro VIII. cultus Sanctorum *Joanni* a Capiſtrano, *Joanni* de Deo, *Laurentio Juſtiniano*, *Joanni a S. Facundo*, & *Paſchali Baylon.*

Ad inſtaurandam diſciplinam Monaſticam conducunt plurimum aut inſtitutæ, aut reformatæ religioſorum virorum Familiæ. Etenim hoc Seculo a Petro Cardinale *de Barulle* inſtituta eſt Congregatio *Oratorii Jeſu*, cœpta Pariſiis an. 1611. & confirmata a Paulo V. anno 1613. Clerici Regulares *Scholarum Piarum* inſtituti ſunt anno 1617. a S. Joſepho Calaſanctio Aragonenſi: (y) Qui *Pii Operarii* vocantur, inſtituti a Carolo Caraſa Neapolitano anno 1606. approbati fuere anno 1621. a Gregorio XV. Congregationem Presbyterorum *Miſſionis* inſtituit anno 1626. S. Vincentius a Paulo.

Rigidiorem vivendi formam profeſſæ ſunt plures Congregationes, ut Monachorum S. Benedicti Congregatio *Verodunenſis* in Lotharingia confirmata an 1604. a Clemente VIII. & *S. Mauri* anno 1618. approbata a Gregorio XV. *Ciſtercienſium*, qui dicuntur *de la Trappa*, reformatio cœpit anno 1662. Canonicorum Regularium *S. Genovefæ* anno 1634. ab Apoſtolica ſede confirmationem obtinuit. Reformationi Ordinis Prædicatorum in Galliis operam dedere *Sebaſtianus Michael*, & *Joannes Baptiſta Carre*, quorum ille deceſſit anno 1618. & iſte anno 1653.

Femi-

(y) Anno 1617. Ordo Clericorum *Scholarum Piarum* ſegregatus fuit a Congregatione Clericorum *Matris Dei*, cui aggregatus fuerat anno 1614. Quare *Matris Dei* ſtemma, nomenque retinuit. Sacri hujus inſtituti primordia ad annum 1597. videntur eſſe referenda.

Feminarum quoque perutilium, & puellarum institutionem curantium, cœtus hoc XVII. Seculo prodierunt. Enim vero *Victoria Furnaria* an. 1604. Genuæ Virgines, quæ a cæruleo vestis colore vocantur *Cæleſtes*, in unum congregavit. Quæ appellantur *Viſitationis*, auctore Franciſco Saleſio, an. 1610. primam domum Annecii in Saubaudi incoluerunt. In ſequenti autem anno *Urſulinas Maria Luillier* Pariſiis, eodemque anno 1611. in Lotharingia *Petrus Fourierius* inſtituit. Moniales S. Benedicti in Galliis *Calvarii* nomine celebres originem habuerunt circa annum 1618. approbationem vero a Gregorio XV. anno 1621. Harum inſtitutor, cum *Antonia* principe Aurelianenſi vita functa anno 1618, Pictavi, ſexto ab exordio Congregationis menſe, fuit *Joſeph* Ordinis Capucinorum, qui pie deceſſit labente an. 1638. antequam Vaticanam Purpuram, ad quam Ludovicus XIII. illum nominaverat, fuiſſet aſſecutus. *Jeſuitiſſas* extra clauſtra viventes Urbanus Papa VIII. an. 1630. ſuppreſſit. (z)

Præter Equeſtres Ordines, *Sanguinis Chriſti* inſtitutum a Vincentio Gonzaga Duce Mantuæ anno 1608. & *Ludovici* a Ludovico XIV. Chriſtianiſſimo Rege

---

(z) Bulla Urbani VIII. qua ſupprimitur Congregatio *Jeſuitiſſarum*, promulgata fuit ſequenti anno 1631. menſe Majo. Eadem congregatio in Germania, Viennæ præſertim, & Pragæ fuerat propagata. Adverſus illam Romæ coram ſacra Congr. *de Propaganda Fide* orationem habuit graviſſimam, inſtructamque nervoſis rationum momentis Valerianus *Magni* Mediolanenſis Ordinis FF. Prædicatorum: Valerianus iſte laudatus in Epiſtola decimaquinta ex Provincialibus. Scripſit Valerianus adverſus Gomenium miniſtrum Proteſtantium librum inſcriptum; *Echo Abſurditatum Ulrici de Neufelblaeſa*, impreſſum Cracoviæ anno 1646. Vaticanam Purpuram, quam ut illi conferret Urbanus VIII. per epiſtolam enixe rogaverat Uladislaus Rex Poloniæ, ſprevit humillime, ut Evangelicis Miſſionibus totus incumberet. Videſis Bailletium Volumine I. *Arti*, pag. 259. Obiit Valerianus Salisburgi apud Bavaros an. 1661. Extat de pio illius obitu Relatio anno proximo 1662. typis procuſa.

Rege anno 1693. alii hoc Seculo Equites ſpecioſis titulis condecorati fuerunt, nimirum anno 1652. in Sileſia Equites *Mortis* : anno 1660. Brennoburgi Equites *Concordiæ* : anno 1685. in Borouſſia Equites *Generoſitatis* : anno 1692. in Argelia, vulgo Torgau, Equites *Sinceritatis*, & anno 1690. in Saxonia Equites *Integritatis*. Etiam Matronarum Ordines inſtituti, videlicet, anno 1662. ſub nomine *Virtutis*, cum Epigraphe circa ſymbolum ſolis, *Sola triumphat ubique* ; & anno 1668. *Crucis Dominicæ*, aureo hujus ſigno inſcriptis verbis, *Salus & Gloria*. Huic Ordini Auguſtiſſima Imperatrix præficitur.

APPENDIX,

RERUM ALIARUM COMPLURIUM.

Henricus *IV. Borbonius* Rex Galliarum an. 1610. pridie Idus Majas a Franciſco Ravalliaco neſario parricida confoſſus interiit. (a) Regnavit poſtmodum uſque ad annum 1743. *Ludovicus XIII.* filius Henrici IV. & Mariæ Mediceæ : tum *Ludovicus XIV.* cognomento Magnus, filius Ludovici XIII. & Annæ Auſtriacæ : qui obiit die 1. Septembris anno 1715. In Hiſpania poſt Philippum III. vita functum anno 1621. regnarunt *Philippus IV.* ejus filius usque ad annum 1665. deinde *Carolus II.* qui absque liberis deceſſit Cal. Novembris anno 1700. conſtituto tabulis Teſtamentariis hærede *Philippo Borbonio* duce Andegavenſi. Is eſt *Philippus V.* qui ab anno 1700. Hiſpaniarum Monarchiam gubernavit usque ad annum 1724. quo filio *Ludovico I.* renun-

(a) Agebat *Henricus* annum 57. parricida autem die 27. ejusdem menſis affectus ſupplicio natus erat annorum 21. Cor Regis ad Collegium Jeſuitarum translatum fuit.

renunciavit regnum, quod tamen eodem anno, Ludovico extincto, rursus suscepit administrandum. In Lusitania vero ab anno 1621. usque ad annum 1640. regnavit prælaudatus *Philippus IV.* Rex Hispaniarum: at anno 1640. Lusitani proprium Regem elegerunt *Joannem IV.* ducem Bragantiæ, qui regnavit usque ad annum 1656. Huic successit *Alphonsus VI.* mortuus anno 1683. atque Alphonso *Petrus II.* qui e vivis migravit anno 1706. V. Idus Decembris. (*b*)

Mahumeti III. extincto anno 1603. successit *Achmetes I.* qui obiit anno 1617. die 15. Novembris. Imperium tunc administravit brevi tempore illius frater *Mustapha*, sed hoc ob inertiam & immanitatem depositò, acclamatus est Imperator *Osmannus* filius Achmetis. Osmannus ob bellum infeliciter gestum cum Polonis an. 1620. post biennium e throno dejectus, & laqueo peremptus est. E carcere eductus, & ad thronum rursus evectus *Mustapha*, transactis vix sex mensibus, de throno rursus deturbatus anno 1623. tenebricoso inclusus est carceri. Commissum tum imperium *Amurathi IV.* fratri Osmanni, & filio Achmetis I. qui periit ob nimiam ebrietatem anno 1640. die 8. Februarii. Imperarunt deinde *Ibrahim* frater Amurathis IV. usque ad annum 1649. *Mahumetes IV.* filius Ibrahim usque ad annum 1687. *Solimanus IV.* frater Mahumetis usque ad annum 1691. *Achmetes II.* frater Solimani usque ad annum 1695. *Mustapha II.* filius Mahumetis

(*b*) Angliæ Coronam post Elisabetham mortuam anno 1603. consecuti sunt *Jacobus I. Stuartius* eodem anno. *Carolus I.* anno 1625. *Cromwelius* tyrannus anno 1648. *Richardus* item tyrannus anno 1659. *Carolus II.* anno 1660. *Jacobus II.* anno 1685. Regno expulsus. *Guilelmus III.* anno 1680. In Polonia post Sigismundum III. adepti sunt Regnum anno 1632. *Uladislaus Sigismundus*; anno 1648. *Joannes Casimirus*: anno 1669. *Michael Choributius*: anno 1674. *Joannes Sobieski*, & anno 1697. *Fridericus Augustus.*

tis IV. & nepos Achmetis II. ab anno 1695. usque ad annum 1703. quo anno solium conscendit *Achmetues III.* illius frater.

Inter Christianos, horumque hostes infensissimos Mahumetanos non semel bellum exarsit. Primo hujus Seculi anno nempe 1601. Hispani Algerium frustra occupare tentarunt. At anno 1603. in Hungaria Turcæ magna affecti sunt clade. Post biennium ipsi occuparunt Strigonium Urbem Pannoniæ inferioris. Maurorum nongenta millia an. 1610. regnante Philippo III. jussa ex Hispaniis discedere. Melitensium Equitum triremes an. 1644. depræda-runt naves Turcicas, quibus cum Osmanno filio Ibrahim vehebatur Sultana Saphira. Irruentes anno sequenti 1645. in Cretam insulam, Caneam, olim Cydoniam, Urbem munitissimam longa obsidione expugnarunt. A Venetis an. 1649. devicti maritima pugna: & rursus an. 1651. 1655. & 1657. superati, an. 1663. in Hungaria victoriis potiti sunt, atque an. 1669. insulam Cretensem in suam redegerunt potestatem, post certamen vigintiquatuor annorum, & obsidionem mensium 28. dierumque 27. Centum quinquaginta millia Barbarorum, Christianorum vero triginta millia in bello Cretensi perierunt. Algerium anno 1682. 1683. & 1689. tormentis bellicis, quæ bombardas vocant, Galli vexarunt. Apud Strigonium anno 1685. sub Carolo V. duce Lotharingiæ, & an. 1687. apud Patras in Peloponneso, a Venetis Turcæ clade postrati sunt magna. Taurunum (c) anno 1690. occuparunt, & anno 1692. amiserunt in Hungaria Varadinum.

Neque hæc tantum bella Seculo XVII. contigerunt, sed alia plurima. In Galliis enim viguit bellum civilo Calviniſtarum, anno præsertim 1625. & sequenti. At an. 1627. Rupella a Ludovico XIII. fuit expugnata, ibique restituta religio Catholica. Vexata quoque est Gallia intestinis discordiis, au-

(c) Belgrado.

ctore præcipuo Gondæo bellicosissimo principe. Adversus Sabaudiæ Ducem anno 1630. prælaudatus Ludovicus XIII. castra movit. Inter Gallos vero Hispanosque sæpe sæpius exarsit bellum, ut anno 1635. 1647. 1650. 1654. 1658. & 1673. Etiam cum Anglis, Danisque Galli anno 1656. pugnarunt. Ingentem Hispanorum cladem ad Rupem Regiam in Campania, seu in finibus Hannoniæ an. 1643. Episcopi Monasterienſis adversus Batavos copias militares an. 1665. coactas, cæterosque flagrantium bellorum apparatus, motusque prætereo. Angli anno 1694. Britanniæ portum *Brivaten* (vulgo *Brest*) occupare frustra tentarunt.

Nec diu in enarrandis rebus aliis, quæ aliquibus infaustæ fuere, morabor. Recensendæ sunt tamen Urbes tormentis bellicis, quæ bombas vocitant, quassatæ, ac semidirutæ. Experta est hujusmodi tormenta anno 1684. jussu Christianissimi Regis Civitas Genuensis, Algerium insuper anno 1682. & rursus anno sequenti; necnon Bruxellæ an. 1695. Incendio an. 1621. absumptum est una cum Bibliotheca Collegium Jesuitarum Colonienſe: quo anno Jacobus Reingius ejusdem Societatis ad Protestantes defecit. Tertia item pars Civitatis Constantinopolitanæ cum Bibliotheca MSS. Arabicis refertissima, an. 1633. voracitate flammarum redacta est in cineres. Terræmotus Neapoli finitimisque Urbibus an. 1688. & 1694. damna attulit maxima. Concidit priori Sacræ Jesuitarum Ædes testudo, porticus elegantissima Templi Castoris, & Pollucis; Beneventum vero, & propinqua oppida æquata solo. Verum hæc ex tristibus enarrasse sufficiat.

Prosperiora referamus, ac primum fœdera pacis, dissidentium concordiam. Ergo inter Paulum V. & Venetos anno 1607. compositæ sunt controversiæ. Sopita an. 1618. in Galliis civilis discordia. Maria Medicea Regina an. 1620. reconciliata Ludovico XIII. Inter Gallos Anglosque an. 1629. paxinita, & an. 1664. Pisanos inter, & Romanum Pontificem, Galliarumque Monarcham: inter Gallos quoque & Hispanos an. 1668. ac pariter inter Angliam,

gliam, Hollandiam, & Daniam. Item an. 1669. inter Carolum Ducem Lotharingiæ, & Electorem Palatinum. Anno autem 1679. Imperium, Gallia, Dania, Svecia, Electores. Turcæ etiam, Noviomagi, id est, Spiræ concordiam firmarunt. Apparuit an. 1680. die 26. Decembris ingens ille Cometes, cujus occasione *Cassinus* percelebris Mathematicus conscripsit *Systema* de istorum crinitorum siderum reditu periodoque; suasque commentationes, cum titulo *Pensées diverses*, edidit Petrus Bayle, caute legendum Opus. Vide proximi Seculi caput tertium. Episcopi Gallicani an. 1692. dissidiis compositis Innocentio XII. obtemperarunt.

Ea insuper jucundiora sunt, fideique Christianæ monumenta splendidiora, quæ subsequuntur. Magni enim Principes Seculo XVII. abdicatis erroribus, & terreno principatu neglecto, nomen Christo dederunt. Anno 1621. filius Mahumetis Imperatoris Turcarum suscepit baptismum, Franciscinomine assumpto. Rex Tuneti pariter an. 1646. baptizatus est, illi Dominici nomine impositio. Filius quoque primogenitus Jungley Imperatoris Sinensium cum matre ad Christianam religionem accessit, ei nomine indito Constantini, atque parenti imposito nomine Helenæ. Quod contigit eodem an. 1646. Rex itidem Monomotapæ in Africa an. 1652. baptismate regeneratus est, & appellatus Dominicus. Major natu Dynastæ Marochii, quod Africæ regnum veteres dixere Bocanum Hemerum, an. 1667. sacro initiatus lavacro, ingressus est Societatem Jesu. Hanc an. 1642. amplexus quoque fuerat Casimirus Poloniæ Princeps, qui an. 1646. promotus fuit ad Purpuram Vaticanam, qua tamen sese abdicavit an. 1668. proficiscens in Gallias. (*d*)

(*d*) Permulti alii viri principes ab hæresi ad Romanam Ecclesiam venere: anno 1614. Wolphangus Wilhelmus Dux Neoburgi: anno 1655. Christianus Augustus Palatinus Elector, cujus exemplum sorores præclarissimæ secutæ sunt. Vide Indicem præmissum Epistolis dogmaticis P. Scedorff, S. J. editis Gallico, Italoque idiomate.

Hiſce Catholicæ Religionis triumphis acceſſit Chriſtianæ Reginæ Svecorum ad Catholicam fidem converſio. Quæ an. 1654. regnum ceſſit Carolo Guſtavo filio Joannis Caſimiri Comitis Palatini: anno proximo Romanæ Eccleſiæ profeſſa eſt dogmata: Laureti Deiparæ regale diadema ſceptrumque dicavit: atque an. 1656. in Urbe Roma abjuravit errores Lutheri, & ſacro Chriſmate ab Alexandro VIII. obſignata, poſtmodum chriſtina Alexandra fuit appellata. Etſi autem anno 1660. & rurſus anno 1666. in Sveciam ob regni negotia tractanda conceſſit; nunquam tamen a propoſito ſuſceptæ religionis Catholicæ potuit dimoveri; & Romam reverſa, doctiſſimorum virorum uſa eſt contubernio, ibique magna litterarum altrix ac patrona obiit an. 1689. monumento in Æde Vaticana eidem erecto.

Æquum tandem eſt, ut nonnulla dicamus de litterarum incrementis, Virisque clariſſimis. Academiæ inſtitutæ ſunt in Belgio an. 1614. Groningana, & an. 1636. Ultrajectina: Pariſiis an. 1666. Academia ſcientiarum; In Germania an. 1607. Giſſena, & an. 1669. Chilonienſis; atque in America Guatimalenſis, in nova Hiſpania an. 1628.

Viris Seculi XVII. præſtantiſſimis præter enumeratos cap. 4. accenſendi ſunt, *Juſtus Lipſius* Belga, qui obiit an. 1606. *Antonius* Societatis Jeſu ob. an. 1611. *Scævola Sammarthanus* obiit anno 1623. *Andreas Schottus*, *Famianus Strada*, & *Joannes Mariana*, Soc. Jeſu, quorum primus obiit anno 1636. alter ineunte Seculo floruit, tertius circa annum 1624. deceſſit. (e) *Iſaac Caſaubonus* Card.

(e) Excelluit in Mathematicis *Chriſtophorus Clavius* Bambergenſis Soc. J. mortuum Romæ anno 1612. die 6. Februarii tradit *Alegambe* in Biblioth. pag. 74. A bubalo humi afflictum, contritum, necatumque, dum inviſeret ſeptem Urbis templa, narrat in Oratione *de Philoſ. luctuoſo exitu* Paganinus Gaudentius. *Benedictus Menzini* inter Poetas Italos haud vulgaris Florentiæ

Card. Baronii adversarius vita functus est an. 1614. *Joannes Drusius* an. 1616. *Arnoldus Pontanus* de Chronologia præclare meritus, an. 1605. *Jacobus Augustus Thuanus* Historicus accuratissimus anno 1617. (*f*) *Sethus Calvisius*, & ipse Chronici auctor obiit an. 1615, *Joannes Buxdorfius*, Hebraicarum litterarum peritissimus obiit an. 1629. *Fronto Ducæus* Jesuita egregie eruditus obiit anno 1623. *Trajanus Bocalinus* facetus & maledicus interiit. Venetiis, sacculis arena plenis contusus. *Philippus Cluverius* insignis Geographus obiit anno 1623. *Thomas Campanella* Ord. Prædicat. celebris Philosophus an. 1639. *Petrus Cunæus* illustrator Reipublicæ Hebræorum an. 1638. *Joannes Meursius* indagator Antiquitatis anno 1639. *Renatus Cartheſius* peracutus Philosophiæ Novator decessit anno 1650. *Petrus Molinæus* hostis Catholicæ Religionis infensissimus, an. 1658. *Petrus Hassendus* Philosophiæ Epicureæ instaurator, an. 1655. *Gerardus Joannes* Vossius miræ eruditionis, & eloquentiæ, (*g*) utinam Orthodoxus! obiit an. 1650. Quid maris arenas enumero, oceanumque dimetior? Occurrunt & Catholici, & Heterodoxi prorsus innumeri *Ludovicus Capellus*, *Aubertus Miræus*, *Erycius Puteanus*, *Nicolaus Rigaltius*, *Caspar Scioppius*, *Joannes Seldenus*, *Daniel Heinsius*, *Jacobus Uffe-*

---

rentiæ natus est anno 1646. Sed Romæ decessit inchoato jam Seculo XVIII. id est, anno 1704. *Ægidius Menagius* Græca, Latina, Itala, & Gallica poesi celebris anno 1692. Parisiis occubuit. *Joannes Baptista Moliere*, quem Galli tanquam Comœdiæ inter suos parentem habuerunt, obiit Parisiis anno 1673. dum in theatro personam ageret *Ægroti Imaginarii*, correptus apoplexia.

(*f*) Thuani Historia Romæ proscripta est anno 1609. una cum libris Gallice scriptis, *Le Plaidoyr de M. Arnauld contre les Jesuites*, & *l'Arret du Parlement de Paris contre Jean Chatel*.

(*g*) De isto etiam supra cap. 3.

rius, *Joannes Dallæus*, *Samuel Petitus*, *Gabriel Naudæus*, *Claudinus Salmasius*, *Fridericus Spanhemius*, *Samuel Bochartus*, *Joannes Lightfootius*, *Lucas Holstenius*, *Joannes Henricus Hottingerus*, *Joannes Fredericus Gronovius*, *Tanaquillus Faber*, *Thomas Villis*, *Thomas Pope-Blount*, *&c.* (*h*)

Ne mireris prætermissum a nobis *Galilæum* Galilæi Florentinum, Mathematicum, & Philosophum præstantissimum. Non oblivionis, sed solertiæ id fuit, quoniam de Galilæo quædam sunt adnotanda. Ac primum Patavii, & Pisis eum tradidisse Mathematicas disciplinas maximo cum plausu, auditorumque profectu. Deinde Principem Galilæum haberi recentiorum Philosophorum, quales sunt, Bacon, Hob-

(*h*) Concesserunt naturæ Seculo XVII. viri eloquentia, & poetica eruditione conspicui. Recensebo nonnullos. Decessit anno 1602. Paulus Melissus *Schedius* Heidelbergæ inter Germanos Poetas Pindaro, & Venusino Horatio comparatus: Anno 1606. Philippus *Desportes* Carnutensis Henrico III. Galliarum Regi acceptissimus, & Gallicanæ linguæ princeps & solertissimus expolitor. Anno 1618. Jacobus Cardinalis *Petronius* tenacissimæ vir memoriæ, & magnæ apud Paulum V. Romanum Pontificem auctoritatis. Ad scientias reliquas, in quibus excelluit poeseos addidit ornamenta. Joannes *B. Marini* Neapolitanus inter Poetas Italos ætate sua clarus, sed neque imitatione, neque lectione dignus, obiit anno 1625. Franciscus *Malherbe*, qui Parisiis decessit anno 1638. parens Gallicæ poeseos a suis habetur. Joannes Armanus *Du Plessis* Cardinalis *Richelieu*, inter maxima Regni negotia illi commissa, musis deditus fuit, exuitque mortalitatem anno 1642. Franciscus *Tristanus*, cognomento *Eremita*, vita functus anno 1655. inter Gallos dramatibus componendis totus incubuit. Petrus Justus *Sautel* S. J. Valentinus demortuus anno 1662. de rebus minimis allegorias expolito carmine panxit. Joannes *Deuhlam* Dublinensis anno 1668. Joannes *Militon* Londinensis anno 1684. Edmundus *Waller* itidem Anglus anno 1687. obierunt carminibus patrio idiomate editis admodum conspicui. Eodem anno 1687. Petrus *Petit* in Gallia, & anno 1684. Petrus *Cornelius* fatis cesserunt. Joannes *Racine* anno 1699. defunctus est.

Hobbes, Boile, Des-Cartes, Van Helmont, aliique ſexcenti, ut inquit *Animadv.* in Philoſoph. ſect. 18. Rapinus, inſuper ad Galilæum inviſendum Florentiam e longinquis civitatibus iter viros ſapientiſſimos inſtituiſſe. Ulterius Galilæi ſententiam de motu terræ, quæ anno 1633. proſcripta fuit, modo ab illius quoque Inſtituti, cujus opera damnata fuit, Philoſophos propugnari. Inexplebilem ſapientiæ animam exhalavit vir ille maximus anno 1642.

DECIMUM OCTAVUM ECCLESIÆ SECULUM.

CAPUT I.

ABSOLVITUR PONTIFICUM ROMANORUM CATALOGUS.

Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam proximo hoc Seculo gubernarunt Pontifices Maximi *Clemens XI. Innocentius XIII. Benedictus XIII. Clemens XII. Benedictus XIV. Clemens XIII.*

CCXXXXV. Clementem XI. electum fuiſſe in ſupremum Catholicæ Eccleſiæ Paſtorem an. 1700. IX. Cal. Decemb. dictum eſt in fine Catalogi Pontificum Seculi præcedentis. Patria illi Urbinum Umbriæ civitatis, Familia Albana, nomen Joannes Franciſcus. Vix poſt triduum delatum honorem excepit, ſpecimen exhibuit ſingularis humilitatis. Præfuit ditionis ſuæ regimini prudentia, ſedulitate, juſtitia. Eccleſiaſticæ jurisdictionis propugnator regiam Siciliæ Monarchiam abolere ſtuduit, improbavitque collatam Duci Hannoverenſium Heterodoxo dignitatem Electoris Imperii. Commendant vero Clementis liberalitatem collata Jacobo II. & III. e Regno Angliæ extorribus ſubſidia, & pauperi-

peribus distributa supra decies centena millia laureorum: devotionem, pietatemque celebratum quotidie sacrum, indictum Conceptionis B. M. V. Festum, novum Sanctissimi ejus Sponsi Officium: eliminandi cujuslibet erroris studium, damnatio rituum Sinensium facta an. 1704. die 28. Novembris, Constitutio *Vineam Domini* adversus Jansenianos edita anno 1705. die 20. Octobris, (*a*) approbatio rerum gestarum a Thoma Card. de Tournon per Breve, *ad Apostolatus*, emissum an. 1711. die 15. Martii, proscriptio 101. propositionum Quesnelli per Const. *Unigenitus*, emanatam an. 1713. die 8. Septemb. declaratio immunitatis doctrinæ Theologorum Catholicorum per Apostolicas litteras, *Pastoralis Officii*, datas an. 1718. die 28. Augusti. (*b*) Denique Clementis XI. singularem eloquentiam commonstrant illius Homiliæ; aliaque scripta typis commissa. Excessit e vivis decurrente anno Pontificatus sui XXI. nempe anno 1721. die Martii 19. in festo S. Josephi, quem peculiari devotione coluerat.

CCXXXXV. Sedit post Clementem *Innocentius XIII.* antea Michael Angelus de Comitibus Romanus, qui summum Pontificatum splendida majestate, pacato Imperio, & munificentissima liberalitate administravit biennio, ac mensibus fere decem;

(*a*) Damnatur eadem Constitutione famosus *Casus Conscientiæ*, jam a. 40. Sorbonæ doctoribus anno 1701. approbatus: quo asserebatur fas esse obsequioso silentio Constitutioni *Unigenitus* obtemperare, & subscribere *Formulario*, latente in animo de sensu quinque propositionum Jansenii subscribentium judicio. Eundem *Casum Conscientiæ* proscripserat *Clemens XI.* anno 1703. die 12. Februarii, biennio ante Constitutionem *Vineam Domini Babaoth.*

(*b*) Pro immunitate Ecclesiastica anno 1715. Clemens XI. abolere in Sicilia studuit magistratum *Judicis Monarchiæ* nuncupatum: atque Ecclesiastici obtemperantes Pontifici a potestate laica pulsi fuerunt in exilium.

cem ; illum quippe obtinuerat an. 1721. VIII. Idus Majas, & cum mortali vita dimisit anno 1724. Nonis mensis Martii.

CCXXXXVII. Sedit postea *Benedictus XIII.* antea Vincentius Maria Card. Ursinus Ord. Præd. simplicitatis maximæ, summæ probitatis, humilitatis eximiæ Pontifex, & Ecclesiasticæ disciplinæ custos diligentissimus. Hunc S. Philippi Nerii beneficio a terræmotus ruina liberatum, a Beneventana ad Romanam Ecclesiam regendam Deus transtulit an. 1724. IV. Cal. Junias. Omnia Pontificum officia ipsemet sacrorum rituum peritissimus exercuit, Clericorum habitum laicis inhibuit, ipse vero religiosam Dominicani Ordinis vestem nunquam dimisit. Ecclesiam suam Beneventanam an. 1727. & 1729. invisit. Doctrinam de gratuita prædestinatione, & gratia *se ipsa* efficaci confirmavit Apostolicis litteris datis in forma Brevis ad FF. Prædicat. anno 1724. die 6. Novembris. (c) Proscripsit & ipse

(c) Incipit Breve Benedicti XIII. *Demissas preces.* Eidem Pontifici anno 1728. ad controversias circa Gratiam eliminandas propositi fuere duodecim articuli: de quibus, peculiari etiam Congregatione instituta, & Theologorum præmissa consultatione, nihil est definitum. Sunt vero.

DUODECIM ARTICULI.

I. Post Adæ peccatum nemo deinceps veram justitiam, aut salutem æternam adipisci potest, absque Mediatoris & Redemptoris fide, modo magis explicita, seu distincta; pro varietate temporum, seu personarum.

II. Lex Moysis, vi propria, necessariam ad implenda præcepta Dei gratiam non conferebat.

III. Absolutæ Dei voluntati nemo resistit.

IV. Ut in statu naturæ lapsæ liberum hominis arbitrium peccare, aut mereri censeatur, non requiritur æqualis ad bonum & ad

ipse Sinensium ceremonias. Dissidia inter Romanam & Principum Curias composuit: Comaclum, quod

---

ad malum facilitas, aut æqualis utrinque propensio, nec vires in voluntate æquales.

V. Cæcis, & obduratis omnem gratiam interiorem aliquando subtrahi in pœnam præcedentium peccatorum, multi & celebres Theologi sine erroris periculo propugnant. Qui autem omni gratia destituti gravia peccata contraherent, coram Deo reos non esse nemo dicere audeat.

VI. Præcipuum Religionis caput est divinum mandatum de dilectione Dei a cæteris præceptis distinctum.

VII. Omnium actionum nostrarum ad Deum directio res est præcepti, non consilii tantum, nec sufficit si tendant solum interpretative in Deum.

VIII. Qui Deum ignorans, vel de Deo actu non cogitans, vel expresse ad peccati malitiam non advertens graviter peccat, Deum offendit.

IX. Tutam salutis viam minime sectantur, qui in sacramento Pœnitentiæ non requirunt eam dilectionem, quam ad justificationem in Baptismo ab adultis exigunt Concilium Arausicanum II. & Concilium Tridentinum.

X. Evangelicis præceptis, & Ecclesiæ regulis consentanea est praxis, qua differtur absolutionis beneficium pœnitentibus gravissimorum, aut publicorum scelerum reis; vel iis, qui in peccati lethalis consuetudine, aut occasione proxima versantur, vel iis, qui inimicitias deponere, ablata proximo suo bona, seu famam honoremve restituere, scandala reparare renuunt, aut sua culpa procrastinant, vel qui sinceræ conversionis animi dubia exhibent signa; vel iis, qui mysteria fidei, aut Christianæ vitæ præcepta addiscere negligunt: vel generatim iis omnibus, quos non, sicut oportet, dispositos prudens Confessarius judicaverit.

XI. Scripturæ sacræ lectio omnibus & singulis hominibus non est ad salutem necessaria; nec unicuique licet pro suo arbitrio, aut ex privato spiritu interpretari, aut eam legere absque debita Pastoribus reverentia & obedientia, aut sine sincera animi submissione erga Ecclesiam, cujus est de vero sensu & interpretatione Scripturarum judicare, earumdem lectioni vacare.

XII. Si

quod milites Cæsarei occupaverant, recepit: cum Ludovico Antonio Card. de Noailles egit, ut Constitutioni *Unigenitus* præberet assensum. Nec alienus erat a probandis XII. articulis, quibus receptis pax fortassis universæ Ecclesiæ illuxisset. Sed *oportet*, ut inquit Apostolus, *hæreses esse*, ut appareat fides credentium, & sanior doctrina. S. Gregorii VII. *Officium* an. 1729. præscripsit, cultu antea, ut dicam cap. 5. Sanctis aliis decreto. Ipse autem sequenti anno 1730. IX. Calendas Martias plenus meritis, laboribus fractus, ætate longævus (*d*) febri, & rheumate migravit ad Superos. (*e*)

CCXXXXVIII. Rexit deinde Ecclesiam *Clemens XII.* vocatus antea Laurentius Cardinalis Corsinus, nobilissima gente Florentiæ prognatus. Electus est prædicto an. 1730. X. Idus Julli. Huic plurimum debent Romanæ Urbis viæ, & sacræ ædes, maxime Lateranensis, amplissimo S. Andreæ sacello, porticu cum vetusta Constantini Magni statua, elegantissimoque prospectu exornata, nec non Capitolium omnigenæ antiquitatis monumentis decoratum, ad commodum Sculptorum, Pictorum, & studiosorùm Romanæ Historiæ. Aquam *Virginem* magnifico ornavit cultu. Anconam firmiori portu, & loemocomio miræ structuræ ampliavit: Ravennam ab inundatione fluviorum reddidit extructa mole, fossisque deductis immunem, & facili mercium transvectioni corrivatis aquis prospexit. Thomisticæ scholæ litteris *Apostolicæ*

XII. Si quæ excommunicatio manifeste prohibeat virtutis veræ actum, aut a vero præcepto avertat, injusta simul & invalida est juxta Ecclesiæ decreta.

(*d*) Anno ætatis suæ 81. Pontificatus anno 6. currente.

(*e*) Ejus Corpus e Vaticana Basilica ad Templum S. Mariæ supra Minervam translatum fuit anno 1733. VII. Cal. Martias.

ſtolicæ prudentiæ an. 1733. die 2. Octobris addidit confirmationem. In Eccleſiam Aretinam, cujus Paſtoribus uſum Pallii conceſſit, in Florentinum Theologorum Collegium, quod privilegiis decoravit, in Incolas montis Libani, quos legatione pecuniisque firmavit in fide, in Saxones, & religioſos apoſtatas, quibus omnem indulgentiam exhibuit, in omnes denique mortales beneficentiſſimus, debitum naturæ perſolvit anno 1740. die 6. Februarii.

CCXXXXIX. Clementi XII. ſuffectus eſt Proſper Card. Lambertini Bononienſis, creatus Pontifex Maximus prædicto an. 1740. XVI. Cal. Sept. *Benedicti XIV.* aſſumpto nomine. Hujus Pontificis eruditionem & ſapientiam præclara & prælo commiſſa ſcripta commonſtrant, maxime egregium Opus de Canonizatione Sanctorum, atque in Feſta Chriſti & Deiparæ Adnotationes uberrimæ ante Pontificatum in lucem editæ, & adornatæ poſtmodum lucubrationes de Synodo Diœceſana, de Inſtitutionibus Eccleſiaſticis, Epiſtolæ Encyclicæ, & quæ ampliſſima implent volumina, Conſtitutiones ac Brevia. Inde ſacri Antiſtites, Eccleſiaſtici ſinguli, cunctique fideles rerum agendarum normam, regulasque percipient. Exortas eo ſedente controverſias de matrimoniis initis in hæreticorum ditione, de uſuris, de jejunio, de abſolutione complicis, de laicorum in Miſſis privatis communione, aliasque vel ad dogmata, vel ad diſciplinam ſpectantes, luculenter, & perſpicue explanavit. Ad ſtudia fovenda plures aut erexit, aut reſtauravit Academias: cimelarchium Capitolinum, & Bononienſe locupletavit; Seminaria conſtruxit, litteratorum adamavit contubernia. Non reſpexit, ut decet principem Sacerdotum, *carnem & ſanguinem*, amplificandis ornandisque templis, non augendo patimonio nepotum, intentus. Neque vero Occidentali tantum, & Latinæ proſpexit Eccleſiæ; ſed quid ſtatuerit de Maronitis, de Græcis, de Malabaricis, Eccleſiaſtica monumenta anno 1744. in lucem edita, Bulla *Ex quo ſingulari*, &

Si

Si Pastoralis, Constitutio *Omnium sollicitudinum*, aliæque commonstrant. (*f*) Nulla est religiosorum hominum familia, cui largitus non sit gratias & privilegia. Ad sedandas in Galliarum Regno circa deneganda Sacramenta refractariis Constitutionis *Unigenitus* dissensiones dedit anno 1756. die 16. Octobris *Encyclycas*, quarum initium, *Ex omnibus Christiani orbis Regionibus.* Incidit sub exitum ejusdem anni in grave vitæ periculum: sed convaluit, actæque Numini gratiæ Cal. Januarii anni 1757. Posteaquam in varia incidit vitæ discrimina, V. Nonas Maji anno 1758. concessit naturæ.

CCL. Pridie Nonas Julias eodem anno 1758. creatus est Pontifex Max. *Clemens XIII.* antea Carolus S. R. E. Card. Rezzonicus Venetus, & Episcopus Patavinus, Ecclesiasticæ disciplinæ studio, & liberalitate in pauperes præclarissimus. Augustissimæ Mariæ Theresiæ Reginæ Hungarorum, *Reginæ Apostolicæ* honorificentissimum titulum, successoribus quoque Regibus tribuendum, contulit, & jure competere declaravit. Magnificentissima pompa, splendidissimoque Purpuratorum Patrum, Procerumque comitatu ad Lateranensem a Vaticana Basilica pridie Id. Novembris processit. In singulis Dominicis diebus *Præfationem* de SS. Trinitate, nisi alia ex propriis præscribatur, recitandam esse in Missa sancivit, prout repetam sequenti capite 6. Apostatis sponte ad Superiores suos redeuntibus non tantum pœnarum omnium remissionem, sed etiam ad omnes gradus honoresque pristinos an. 1759. restitutionem indulsit.

CA-

(*f*) Tanta emicuit in Benedicto XIV. doctrina: ut etiam Matthæus Pfaffius Acatholicus in quadam dissertatione Tubingæ, seu Augustæ Svevorum anno 1746. in lucem edita de illo scripserit. *Quo permulta secula non sedit eruditior alter.*

CAPVT II.

DE CONCILIIS SECULO XVIII. CELEBRATIS.

Si non tempore, saltem dignitate cæteras hujus Seculi Synodos antecellit Lateranensis sub Benedicto XIII. celebrata. Indicta fuit an. 1724. die 24. Decembris, celebranda in festo Pentecostes sequentis anni. Plures hanc Synodum præcesserunt Congregationes in Collegio *de Propaganda*, cum intentio Pontificis foret, ea præsertim definiendi, quæ in Bullis *Ex illa die* contra ritus Sinensium, & *Unigenitus* contra propositiones Quesnelli a Clemente XI. sancita Ecclesiam adhuc turbabant. His, aliisque congressibus illorum rituum comprobata est superstitio, adversus confratres testimonium quoque perhibente P. Fouquet Jesuita Gallo, qui apud Sinas versatus veritatem suismet oculis inspexerat. Comprobata item fuit Ambrosii Mediobarbi Apostolici ad Sinas Legati agendi ratio, & prudentia, de qua historiam conscripsit P. Viani Ord. Servorum socius itineris, rerumque ocularis inspector.

Igitur Synodus præstituto die inchoata est. Interfuerunt priori Sessioni Cardinales 32. Archiepiscopi & Episcopi 57. cunctisque assentientibus decem articuli ad fidem moresque firmati sunt. Pertractatum in aliis Sessionibus de Clericis, de Festis, de Sacramentorum administratione, de Ecclesiarum Immunitate, de Monachis & Eremitis, de Confraternitatibus laicorum, de puellarum recluforiis, de Sepulturis, Seminariis, cæterisque ad optimum Ecclesiæ regimen pertinentibus. Quantum ad dogmata spectat, Constitutioni *Unigenitus*, quæ

etiam ibidem dicitur *Regula Fidei*, (*g*) omnem exhibendam esse obedientiam statutum fuit. Post Sessionem IV. disputatum est, num Concilium Provinciale, cui præsit Romanus Pontifex, obliget universam Ecclesiam. Contradicenti Cardinali de Polignac, indecisa controversia permansit. Concilium illud Lateranense absolutum fuit eodem anno 1725. proxima Dominica SS. Trinitatis : eique post Pontificem Benedictum subscripsere Cardinales XXXII. Episcopi XLIV. Absentium Prælatorum Procuratores XXXV., numero omnes CXI. Provincialis autem fuit Synodus, non Oecumenica, ut idem Pontifex declaravit : neque enim ad hanc celebrandam invitavit totius Orbis Episcopos.

In causa Constitutionis *Unigenitus*, alia Comitia & Concilia coacta fuerunt. Primum congregati sunt Parisiis an. 1713. die 16. Octobris Episcopi XXIX. quorum caput Card. de Noailles, quibus Rex, ut Quesnellum damnarent, prædictam Bullam significavit. Anno autem proximo 1714. Episcopi majori numero congregati mense Februario *Instructionem Pastoralem* edidere, qua a proscriptis erroribus doctrina, quam nos propugnamus, declaratur immunis. Instructionem XL. approbarunt Episcopi. Cardinalis tamen de Noailles cum aliis 7. vel 8. Quesnello adhuc faventibus decessit e Comitiis. Anno rursus 1720. ut agerent de Constitutione, Gallicani Episcopi convenerunt, & illam acceptarunt, editis tamen *Explicationibus* sanæ, & Augustinensi doctrinæ affinibus, quas Centum Episcopi propria subscriptione firmarunt.

Inter alia vero Comitia, Synodosque diœceseon, posterorum memoria servabitur Concilium Ebro-

(*g*) In Actis Synodi MSS. & genuinis non reperiri, Constitutionem *Unigenitus* esse *Regulam Fidei*, idque postea insertum pro lubitu, affirmant, qui tum Romæ aderant, ut epistola 21. ad M. *Morenas*, pag. 541. aliisque in locis asseritur.

Ebroduni in Delphinatu, celebratum an. 1727. ad proſcribendam Inſtructionem Paſtoralem Epiſcopi Sanicenſium, vulgo *de Senez*, editam anno 1726. die 28. Auguſti. Indixit Synodum *M. de Tencin* Ebrodunenſis Archiepiſcopus, adfuere tres alii Epiſcopi ſuffraganei, & ipſe accuſatus, regia vocatus Epiſtola. Stitit ſe Epiſcopus Sanicenſis annum agens 80. Ebrodunenſi Synodo: in qua prædicta inſtructio damnata fuit die 27. Septemb. ejusdem anni 1727. quoniam in ea laudantur Reflexiones Morales Quesnelli, & Conſtitutio *Unigenitus* refutatur. Quamquam vero contra hanc ſententiam ſenex Epiſcopus proteſtatus ſit, XII. Præſules pro illo apud Regem interceſſerint, & L. Pariſienſis Advocati res in Conventu Ebroduni geſtas, agendique modum improbaverint; Benedictus tamen XIII. ſummopere illam commendavit in Epiſtola ad Archiepiſcopum *de Tencin* ſcripta eodem an. 1727. VIII. Cal. Novembris.

Anno 1736. ineunte Octobre celebrata fuit Synodus montis Libani in Eccleſia B. V. de Loaiſa Monachorum S. Antonii. Interfuere Patriarcha Antiochenus, XIV. Epiſcopi Maronitæ, duo Syri, totidem Armeni, Abbates, aliique complures: in qua Synodo decreta S. Congregationis *de Propaganda Fide* propoſita, & recepta fuerunt, actumque de numero, limitibus, & diviſione Diœceſium Maronitarum, & de contributione erogari ſolita Epiſcopis in collatione Ordinum, & ſacrorum Oleorum diſtributione. Quibus Romæ diſcuſſis; Synodus approbata eſt an. 1741. Cal. Septemb. a Benedicto XIV. Quæ approbatio facta eſt adiecta clauſula, „ *Ita tamen, quod per noſtram prædictæ Synodi confirmationem nihil derogatum eſſe cenſeatur Conſtitutionibus Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, & decretis Conciliorum Generalium ſuper ritibus cæterarum quarumcumque nationum, ſive generaliter, ſive ſpecialiter factis, &c.* Adhibere ſolet hanc clauſulam Apoſtolica Sedes in qualibet confirmatione Synodorum Orientalium: adhibuitque illam anno 1714. confirmando

Synodum Albaniæ, sive Epiri, & anno 1720. confirmando Synodum Rhutenorum Zamoscii in Polonia celebratam.

Quamvis plurimas Diœceseon Italiæ Synodos prætermittamus; laudandæ sunt tamen Pisinæ tres habitæ sub Archiepiscopo, & Primate Francisco Frosini an. 1708. an. 1717. & an. 1726. stylo Pisano: his enim addita sunt Ecclesiastica documenta eo delectu, & ordine, quo potest quilibet Episcopus, quidquid ad optimum regimen attinet, unico intuitu percipere. Paucis comprehenditur, sed exacta est, ac perutilis Synodus Diœcesana Segusii in Gallia Subalpina, coacta an. 1745. a Victorio Amadæo a Lanceis, nunc S. Rom. Ecclesiæ Cardinali, & Augustinianæ doctrinæ strenuo propugnatore.

CAPUT III.

XVIII. SECULI HÆRESES, ERRORESQUE.

Quietistarum hæresim, & quæ inde consequitur, turpitudinem omnium licentiam, occultis conventiculis, docuit rursus, exercendamque proposuit *Joseph Beccarelli* Diœceseos Brixiensis Presbyter: qui, ejus comparata nequitia an. 1710. die 13. Sept. palam abjurare coactus est, & ad Septennium damnatus ad triremes. Illum vero Decemviri, id est, excelsus Venetorum Senatus an. 1711. perpetuo tetroque carceri addixerunt. Sollicitudini & vigilantiæ Joannis Card. Badoarii Brixiensis Episcopi tribuenda est serpentis clanculum pestilentiæ detectio atque extinctio.

Præter *Protestantes* & *Remonstrantes*, etiam *Contraremonstrantes* prodiere. Sunt primi, ut diximus, Lutherani & Calviniste absolutam Dei præ-

prædestinationem cum libertatis interitu propugnantes: *Remonstratenses* vero *Arminiani* prædestinationem illam respuentes sensu Pelagianorum. Cum utriusque Sectæ hæretici inter se communionem servarent; exorti sunt, qui tradidere, non posse concordiam istam haberi, nisi abnegata alterius sententia; atque hi *Contraremonstrantes* sunt appellati. De his vero pertractat Philippus Limborchius Arminianus, in sua Theologia Christiana in Belgicum, & Anglicum idioma translata. Derivatum nomen *Protestantium* a *Protestatione* facta anno 1529. ab hæreticis contra statuta Comitiorum Noviomagi, seu Spiræ, dictum est alibi. *Arminiani* vero appellati sunt *Remonstrantes*, quoniam post mortem Arminii ab omnibus ejecti ab Ecclesia, libellum titulo *Remonstrantiæ* inscriptum obtulerunt Hollandiæ Ordinibus. Quoniam enim libello adversarii alium opposuerunt cum inscriptione *Contraremonstrantiæ*: idcirco hi *Contraremonstrantes* dicuntur. His adhæsit inter cæteros memoratus *Philippus a Limborch* Amstelodamensis, discipulus Vossii, & Curcellæi: qui scripsit *Theologiam Christianam* pluries typis editam, atque translatam, ut dixi, in Belgicum, Anglicumque sermonem. Cessit e vita *Limborchius* anno 1712. ætatis suæ 79. & in ejus obitum Orationem conscripsit Jo. Clericus.

Idem *Clericus* ob maximam librorum copiam a se editam in Litteraria Republica notissimus, quique sub initia anni 1736. obiit Amstelodami, non tantum Armenianis adhæsit, & Pelagianorum sectans vestigia intemperanter in libros Augustini calamum strinxit; sed ad evertendas Veterum traditiones, & impium dogma statuendum, quod necessaria non sit ad salutem fides in Christi divinitatem, duorum priorum seculorum conscripsit Historiam.

Fuere, qui pernicioſissimos hoc seculo sparserunt errores. Nam quidam post *M. Lock*, in libro inscripto, *Essai de Philosophie concernant l' entendement humain lib. 2. cap. 11.* putarunt, bruta animantia intelligere & ratiocinari, quamvis limitato ordine, & circa

ideas particulares in illorum ſenſu verſantes. Alii cum eodem, *III. Replique à M. Stillingfleet*, autumarunt, demonſtrari non poſſe immortalitatem animæ rationalis, niſi ex ſuppoſitione veracitatis divinarum promiſſionum, quibus Deus æternam vitam pollicetur juſto, æternumque ſupplicium minatur improbo. Abſurdior quoque eſt ipſius *Lock* ſententia in libro, cui titulus, *Chriſtianiſme Rationable*, quo ſtatuitur, duo tantum eſſe credenda tanquam fundamentalia religionis Chriſtianæ decreta, videlicet, Deum eſſe unum, & Chriſtum ab illo fuiſſe miſſum, unumquemque vero hæc credendo ſalutem conſequi, modo ſectæ ſuæ, qualiscunque demum ea ſit, obtemperet inſtitutis. Ex his vero Materialiſtarum, Libertinorum, Atheorumque numerus nimium excrevit.

Non tantum in *Dictionario* ſuo Manichæiſmi hæreſiumque plurimarum *Petrus Bayle* inſeruit momenta; verum etiam in IV. tomis *de Cometa*, qui apparuit anno 1680. adſtruere auſus eſt, ad bonos aut malos mores indifferenter ſe habere, & nihil conferre ſive religionem, ſive incredulitatem. *Spinoſa* pejorem fuiſſe hunc hæreticum, vita functum anno 1706. ſenſerunt complures.

Non uno decreto Sinenſes, & Malabarici ritus ſuperſtitioſi declarati fuerunt, poſteaquam proſcripti fuerant a ſacra Congregatione *de Propaganda* jam ab an. 1645. ſed poſtea an. 1656. ad relationem P. Martini Societatis Jeſu ſublatis ſuperſtitionibus, approbati. Ad illos explorandos ad Sinas an. 1693. *Carolus Maigrot*; anno 1701. Carolus *Thomas de Tournon*; an. 1720. *Ambroſius Mediobarbus*; anno 1738. Epiſcopus Halicarnaſſenſis *De la Beaume* in regnum Indiæ ulterioris Cocinchinam, tanquam Legati Apoſtolici miſſi fuere. Ritus itaque a *Carolo Maigrot* proſcriptos *Carolus Thomas* de Tournon ſolemni edicto damnavit Pudicherii anno 1704. IX. Cal. Julias; ſed in exilium pulſus a Sinarum Imperatore, anno 1707. die 19. Junii, Amacai conſiſtere juſſus eſt, ubi relegatus, eodemque an. 1707. promotus ad Purpuram, pie obiit anno 1710. die 8. Julii.

lii. *Mediobarbus* anno 1722. Romam reverſus eſt, legatione ſua inter magna pericula expleta, & Epiſcopus Laudis-Pompeiæ in Inſubria creatus; eique vita functo ſucceſſit anno 1742. Joſeph Galeratus. Antiſtes vero Halicarnaſſenſis in Cocinchinam profectus, anno 1740. deceſſit. Omnes iſti Ritus, de quibus agitur, reprobarunt. Decretum vero Cardinalis *de Tournon* confirmavit Clemens XI. anno 1711. ut diximus cap. 1. & rurſus Bulla *Ex illa die*, edita anno 1715. die 19. Martii, & pariter Benedict s XIII. Clemens XII. & Benedictus XIV. in cujus Conſtitutione *Ex quo ſingulari*, emanata anno 1742. expreſſæ inveniuntur, & confirmatæ Pontificum Prædeceſſorum definitiones.

Horum Rituum pravitas in eo potiſſimum ſita eſt, quod Confucio templum erigunt, quod appellant *Miao*, quo nomine vocantur quoque templa Idolorum: eidem immolant victimas, accenſis cereis genua flectunt, & proſtrati frontemque percutientes in terram illius ſpiritum, quem adeſſe putant, cultu religioſo proſequuntur. Progenitorum pariter animas venerantur inſcriptis tabellæ verbis *Xin Goëy*, vel *Xin*, *Chu*, quæ ſignificant illic easdem animas, tanquam in throno, vel ſede morari. Deum vocant *Xang Ti*, ac *Tien*, quo nomine demonſtratur ætherea materies: nuptis collo apponunt teſſeram cum imagine idoli, quod vocant *Polleyarem*, & teſticulam 108. filis contextam, croceoque ſucco delinitam: feſtum ob muliebria, dum primo fluunt, & puella apparet apta viro, concelebrant: tali fluxu laborantes adire templa, atque ad ſacramenta accedere prohibentur: ad *Parreas*, ædesque ignobilium Miſſionarios infirmum viſitaturos, & adminiſtraturos Sacramenta, ire non ſinunt; aliaque plura, quæ legi poſſunt in prælaudata Benedicti XIV. Conſtitutione.

Poſt editam Bullam *Unigenitus*, de qua 1. capite plures in illa damnari putantes orthodoxam doctrinam Scholæ Auguſtinianæ (quod a vero alienum eſſe idem Clemens XI. altera Bulla, *Paſtoralis Officii*, declaravit) ad futurum Concilium Oecumenicum appellarunt. Horum primi fuerunt quatuor

Galliarum Epiſcopi, Mirapiſcæ, Agathopolis, ſeu Montis-Peſſuli, Bononiæ, & Santii, qui Appellationis libellum vulgarunt anno 1717. die 1. Martii. Eidem libello die 5. ejusdem menſis ex CX. Doctoribus, quibus conſtabat Facultas Theologica Sorbonæ, inſcripſerunt XCVII. duodecim nil decernentibus & hæſitantibus, & uno tantummodo repugnante. Crevit deinde magnopere multitudo adverſantium Conſtitutioni: atque hi ſunt, qui dicuntur *Appellantes*. Verum ipſa Conſtitutio a majori Galliarum quoque parte recepta eſt, atque ne quis audeat ei refragari, ſolemni Actu, quem *Juſtitiæ* vocitant, anno 1756. die 13. Decembris Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus XV. mandavit. (*h*)

Abutentes nonnulli auctoritate Conſtitutionis *Unigenitus* ad roborandam Moliniſtarum ſententiam tanquam Baji, & Janſenii aſſeclas traduxere Theologos, Gratiam conſtituentes in ſanctæ dilectionis inſpiratione, aſſerentes auxilia ſufficientia quibusdam infidelibus & peccatoribus ſceleſtiſſimis denegari, neceſſarium in Sacramento Pœnitentiæ amorem Dei propter ſe, ſaltem inchoatum, aſſerentes, & operum bonorum relationem in ipſum Deum, ut habeant finis rectitudinem, propugnantes. (*i*) Quanti ſint hujus

---

(*h*) Regia Declaratio Verſaliæ ſubſcripta fuit die Decembris decima.

(*i*) Duacenſes Theologi deſciſcentes a Doctrina Majorum, quorum cenſuram adverſus propoſitiones Leſſii laudavimus in Not. I. ad Caput 4. Seculi XVI. aliam ediderunt contra Theologos Gratiæ per ſe efficacis propugnatores, præſertim Thomiſtas, cum doctrina Janſenii eam, quam illi propugnant, comparantes, maxime Vincentio Contenſonio, & Antonio Maſſoulié nominatis. At ſacra Indicis Congregatio poſtremam hanc Cenſuram proſcripſit anno 1729. die 18. Julii, cauſamque petenti Canonico Theodoro *du Many*, reſponſum fuit die 3. Aprilis anno 1731. ex hac Cenſura abradenda eſſe, quæ dicuntur de doctrina Thomiſtica, & iniquam comparationem quorumdam Catholicorum cum Janſenianis. Quæ ex libro 17. Act.

hujus generis Janſeniſtæ, colligitur ex *Bibliotheca* Janſeniſtica, & *Dictionario* Janſeniſtico, quorum illa P. *De Colonia* Jeſuitam, iſtud vero *P. Patuel* ejusdem Societatis habet auctorem. Hanc opprobriosam notam Fulgentio Bellelli, nobisque intulerunt anno 1744. Rutenus Epiſcopus, & anno 1750. Archiepiſcopus Senonenſium, accuſationibus ſuis ad Benedictum XIV. delatis. Sed hoc jubente Pontifice ſcripta noſtra ad trutinam revocata, & diligenter diſcuſſa omnem evaſerunt Cenſuram, & inſuper nos Inſimulatores refutavimus. *Bibliotheca* quoque, & *Dictionarium* Janſeniſticum prohibita Romæ fuerunt. Qui ergo Scriptoribus Orthodoxis, & prædictarum doctrinarum defenſoribus, Janſenianæ hæreſeos notam inurunt, Eccleſiæ turbant pacem, atque ii ſunt, qui Apoſtolicas infringunt Conſtitutiones, dum pro illis pugnare videntur; quoniam iisdem Conſtitutionibus prohibemur inferre iſtiusmodi criminationes, & cum proſcriptis erroribus confundere, quæ in Scholis Catholicis propugnantur.

Serpere ajunt occultam quamdam hominum Societatem, quam Gallice vocant *Des Francs-Maçons*, Italice *Liberi Muratori*. Secretos conventus agunt, aliis prorſus ignotos, emiſſo jurejurando nemini congreſſus ſui inſtituta, & conſuetudines revelandi. Teſtantur tamen, a ſe nunquam vel de Religione, vel Principibus pertractari. Quæ nonnullis libellis in lucem editis de hac ſocietate narrantur, fabuloſa

Act. prædictæ Congregationis, & ex Carolo Duplessis sunt alibi evidentissime demonstrata. Perperam itaque Censuram istam quidam præferre audent latæ a Duacensibus anno 1588. adversus Lessium. Hæc enim posterior proscripta est: at prior ab ipsis Duacensibus confirmata anno 1648. & adversus Jesuitam Deckerium, qui illam Calviniani insimulavit erroris, vindicata est, etiam ab Episcopis Atrebatensi, & Tornacensi. *Bibliotheca* vero Jansenistica damnata est Decreto sacræ Congregationis Indicis anno 1749. die 20. Septembris, & *Dictionarium* Jansenistarum anno 1754. die 11. Martii.

vulgo creduntur. Utut sit, secreta hujusmodi conventicula, & juramenta improbantur: ex his namque Principes suspicari possunt molitiones in rempublicam, & Ecclesiæ Præsules vitiorum errorumque fomenta. Provide idcirco *Benedictus XIV.* & *Clemens XIII.* PP. MM. necnon utriusque Siciliæ Rex *Carolus* incompertam hanc sectam severioribus legibus proscripserunt. Meminimus Evangelicæ sententiæ Joannis 3. *Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Nec ignoramus impium illud proloquium.

Jura, perjura, secretum pandere noli,
e latebris Priscilliniſtarum erupisse.

Omnium fere impietatum errorumque semina inveniuntur conspersa in perniciosissimo Opere, procuso an. 1758. typis Parisiensibus, cum simplici titulo *De l'Esprit*, appositis duntaxat in fronte verbis Lucretii ex libro I. De rerum natura,

Unde animi constet natura videndum,

Qua fiant ratione, & qua vi quæque gerantur
In terris.

Severioribus Censuris a *Clemente XIII.* idem Opus confixum est. (*k*) Permulti quoque reperiuntur errores circa fidem & bonos mores in libro inscripto, *L'esprit de M. de Voltaire*; quem nos peculiari censura perstrinximus.

CA-

(*k*) In hunc proscriptum librum acuit stylum eruditus auctor alterius Operis, cui titulus, *Examen sérieux & comique*, in duas partes distributi, ac in lucem editi anno 1759. *Antisiodori.* Dictionarium itidem *Encyclopedicum* absurdissimis scatens erroribus, vigilantia Christianissimi Regis, & Sedis Apostolicæ anathemate damnatum tenebris, & præfocatum, studuit anno 1558. refellere Abraham Joseph *de Chaumeix*, Aurelianensis.

CAPUT IV.

VIRI HUJUS SECULI DECIMI OCTAVI SACRA ERUDITIONE CONSPICUI.

Floruerunt hactenus litteris, & eruditione postremo hoc seculo plurimi, quorum nonnullos commemorabo; cunctos enim recensere non est delineantis Historiæ Ecclesiasticæ solum prospectum. Veniunt autem primo loco ex Monastico S. Benedicti Ordine Scriptores præclarissimi, *Joannes Mabillon*, vita functus anno 1707. cujus immensam eruditionem *Secula* sui Ordinis, Museum Italicum, amplissimum de Re Diplomatica Opus, aliaque scripta plura erudita, & singularia collaudant: *Theodoricus Ruinart* sublatus e vivis anno 1709. cujus ingenium deprehendet, quisquis Acta Martyrum sincera & Historiam persecutionis Vandalicæ, ut alia prætereamus scripta, pervolutabit: *Renatus Massuet* mortuus anno 1716. librorum S. Irenæi editor, & illustrator, atque Editionis Operum S. P. Augustini, adversus *P. Langlois* Jesuitam, Vindex acerrimus: (*l*) *Joannes Martianæus*, qui e vivis concessit anno 1717. adversus Patrem *Pezron* Textum & Chronologiam Hebraicorum Codicum defendit, ediditque summo studio S. Hieronymi Opera. *Dionysius Sammarthanus* Galliæ Christianæ eruditissimus auctor, qui decessit an. 1725. Prætermitto *Petrum Coustant*, ejusque in Epistolas Romanorum Pontificum notas uberrimas, *Edmundum Martenem*, & ejus Rituum omnium sacrorum eruditissimas Explanationes. (*m*) *Matthæum Petit-*

(*l*) Scripsit etiam Opus ineditum, in quo Græcorum PP. pro S. P. Augustini sententia *de Gratia* testimonia collegit, sub titulo, *Augustinus Græcus.*

(*m*) De hoc argumento etiam P. *Le-Brun*, *Renaudotius*, &c. *Joannis*

Petitdier, atque illius pro Theologia Morali, & auctoritate Ecclesiæ lucubrationes Apologeticas: quorum primus obiit an. 1724. tertius an. 1728. alter an. 1739. Quis vero cuncta *Augustini Calmet*, qui claruit annis nuperrime elapsis, in sacras litteras Commentaria, dissertationes, Chronologiam, & sacræ antiquitatis monumenta percurrat? Itali etiam Monachi æmulantur studia cæterorum; idque ostendunt *Angeli Mariæ* Cardinalis *Quirini* Episcopi Brixiensis, qui decessit an. 1755. litterarii labores, & aliorum complurium jam editæ, & ad prælum paratæ, subacti ingenii dissertationes.

Neque in aliorum Monachorum Congregationibus Ecclesiastica Studia torpescunt. *Claudius du Vert* Cluniacensis vita functus anno 1708. Ceremonias sacras quatuor voluminibus plano, litterali, & historico sensu explicavit. Ordinis Vallisumbrosæ monumenta collegit, vindicatque Dominus *Fidelis Soldani*. Ex Camaldulensium Cœtu Abbatis *Guidonis Grandi*, qui obiit anno 1742. non tantum Mathematicis disciplinis, verum etiam sacra Theologia, & Historia percelebris, apud nos immortalis viget memoria. Hunc æmulatur vir præclarus *Claudius Fromond.* Annales historiamque ejusdem Ord. Ab. *Anselmus Costadoni*, & *D. Benedictus Mittarelli* erudite diligenterque conscribunt: *Angelus Calogerà* multiplici præstat eruditione.

Claruerunt in amplissima Prædicatorum Familia *Antoninus Massoulié* mortuus an. 1706. auctor Voluminum, quorum titulus *Divus Thomas sui interpres*: *Natalis Alexander* de Universa Sacra & Ecclesiastica Historia, de Theologia Morali, & de Evangelica

---

Joannis S. R. E. Card. *Bona* libri Rerum Liturgicarum, aliaque Opera amplissimis Commentariis illustrata, una cum ejusdem piissimi Cardinalis Epistolis in lucem prodierunt anno 1747. opera D. *Ruberti Sala*, Congregationis S. Bernardi, Augustæ Taurinorum.

ca doctrina optime meritus, qui deceſſit an. 1724. *Michael Le Quien*, cujus extat inſigne Opus *Chriſtianus Oriens*, vita functus an. 1733. *Jacobus Hyacinthus Serry* Hiſtoriæ Congregationis *de Auxiliis*, aliorumque plurium librorum Auctor illuſtris, vita functus anno 1738. Cardinales, *Ludovicus Vincentius Gotti*, qui obiit anno 1742. Univerſæ Theologiæ, Dogmatum, & Veritatis Catholicæ illuſtrator, & *Ludovicus Maria Lucini* e vivis ereptus anno 1745. profligator rituum Sinenſium : *Daniel Concina* inſectator Probabilismi, & univerſæ doctrinæ morum præceptor, qui fatis ceſſit an. 1756. Pro *Concina* vero carmine, & proſa *Dinellus*, Epiſtolis vernacula ſcriptis lingua ſub nomine Euſebii Eraniſtis *P. Patuzzi*, & Anonymus alter ſub *Agenoris* larva pugnam exercent. Quis vero ignorat, quanti pretii ſint Opera Hiſtorica & Theologica *Ignatii Hyacinthi de Graveſon*, Tractatus *De l'Action de Dieu.* (*n*) Monumenta Aquilejenſis Eccleſiæ, & perpolitæ diſſertationes *Bernardi de Rubeis*, variæ *Caſti Innocentii Anſaldi* lucubrationes, *P. Mamachii* Eccleſiaſticæ Origines, *Thomæ Vincentii Monegli* adverſus Fataliſtas, & Materialiſtas, aliæque diſputationes graviſſimæ, *Joſephi Auguſtini Urſi* S. R. E. Cardinalis Vindiciæ Petri a Scoto, Confutatio Defenſ. Declarationis Cleri Gallicani, Hiſtoria Eccleſiaſtica eloquenti graviſſimoque ſtylo enarrata, & *Raymundi Mariæ Corſi*, qui *Urſii* premit veſtigia, *Vitæ* Virorum, qui doctrina, & ſanctitate condecorarunt Eccleſiam ? *Antonini Bremond* Ordinis Magiſtri, *Auguſtini Ricchini* Magiſtri S. Pal. Apoſtolici, *Portæ*, *Remedellii*, aliorumque plurimorum præclara nomina ubique reſonant.

Inter noſtrates ſuæ apud poſteros famæ conſuluerunt *Guilelmus Bonjour* Hebraicæ, Græcæ, & Copticæ linguæ, quarum illuſtria edidit monumenta,

(*n*) Verus auctor eſt *Laurentius Franciſcus Bourſier* Doctor Sorbonicus.

ta, necnon motus aſtrorum, ſcientiſſimus: *Auguſtinus Arpe* auctor *Summæ Ægidianæ*, inſtitutionum Moralium, libri, qui inſcribitur, *Pantheon Auguſtinianum*, &c. *Joannes Baptiſta Cotta* Hiſtoricus & Poeta, Etruſca præſertim lingua, expolitus: *Bernardus Deſirant* Quesnelli oppugnator, ſed in quo *Adeodatus Nuzzi* abſurda detexit plura: *Petrus Lambertus Le-Drou* amoris initialis in ſacramento Pœnitentiæ ſententia noſtra neceſſa ii ſtrenuus aſſertor: Joſeph *ab Aſſumptione* Martyrologii Ordinis, multorumque voluminum Editor: *Hyacinthus Tonti* defenſor dogmatum Catholicorum, & concionator apud Italos clarus, licet ingenioſior, quam eloquentior: Theologi in Hiſpania percelebres, *Petrus Manſo*, *Henricus Florez*, *Antonius Guerrero*: in Belgio *Philippus Van-Waure*, *Leonardus Vanroy*, *Aurelius Piette*, *Jacobus Van-Boſſuyt*, *Nicolaus de Tombeur*, *Joannes Libeus*: in Germania *Sigismundus Buttner*, *Bartholomæus Faber*, *Anſelmus Hormonſeder*; in Italia *Thaddæus Caluſchi*, ſapientiſſimus Præceptor meus *Benedictus Gattinius*, & *Fulgentius Bellelli*, in cujus funere anno 1742. orationem habuit *Nicolaus Maria Troiſius*, vir magno ingenio præditus. Accedit *Thomas* Archiepiſcopus *Cervioni* circa idem tempus fato functus, orator item ac poeta haud ineptus: *Felix Mayr*, cujus extat *Auguſtinus vitæ ſpiritualis Magiſter*: (o) *Jacobus Philippus Gatti* artis Rhetoricæ, & Poeticæ peritus, quantum opera ejus teſtantur: pius ac devotus Aſceticorum librorum Auctor *Jo. Nicolaus Chieſa*. Mitto præſtantes viros *Nicolaum Landini* eloquentiſſimum Oratorem, *Danielem Marcolinum* Theologum, & Poetam, librorumque helluones *Hieronymum Zazzerium*, *Joannem Thomam de Bonis*, *Thomam Rinaldi*, *Antonium Auguſtinum Giorgi*, inter cæteros, quorum conſuetudine uſi fuimus, doctiſſimum

(o) *Silveſter Merani* Ep. Porphyrienſis refutavit Animadverſiones *Phereponi* (id eſt Jo. Cleriei) in Auguſtinum; ſed nondum Opus prodiit in lucem.

ctiſſimum, atque honeſtiſſimum. Alios prætermitto, quos commendant publica litteraria monumenta. Noſtra vero, ſi quis pro ſua benevolentia commemorare velit, poſtremo, & infimo loco recenſeat.

Cunctos Societatis Jeſu Scriptores vel hoc ſeculo vita functos, vel adhuc viventes enumerare arduum eſt. Quorundam tamen mentionem facianus oportet. *Tamburinus* Societatis Præpoſitus Generalis, & *P. Cercerau* noviſſimi inter Probabiliſtas Theologi obierunt anno 1730. Deceſſerunt antea peracuti, ſed luxuriantis ingenii *Harduinus*, & *Daniel*; ille anno 1723. & iſte anno 1728. Theologiam cum delectu quæſtionum & ſententiarum concinnavit *Edmundus Simonetti*. Moralem, ſpeculativam, & dogmaticam nervoſe breviterque complexus eſt *Paulus Gabriel Antoine*, plus externis acceptus, quam ſuis. Conſcripſerunt in ſacras Litteras exercitationes Italico idiomate PP. *Catani*, *Umbertus de Cocconato*, *Calini*, *Nicolai*, *Richa*, alii. Doctrinam & diſciplinam Eccleſiæ expoſuit *Ludovicus du-Meslin*. Plures Italica commendantur eloquentia, inter quos *Antonius Franciſcus Bellati*, & *Jacobus Baſſani*. Apparatum ad Jurisprudentiam, præſertim Eccleſiaſticam, erudite conſcripſit *Joſeph Biner*; Eccleſiaſticam Hiſtoriam *Hadrianus Daude*. Principia Moralia, in quibus aliqua poſtmodum retractavit, vernacula lingua edidit *Nicolaus Ghezzi*. Prophetarum vaticinia *Baltus* vindicavit. Mittimus (*p*) Hiſtoriam *P. Berruyer* Gallice ſcriptam, in quam Abbas *Gaultier* vulgavit nuper tria Epiſtolarum volumina, & librum de frequenti com-

(*p*) Hujus Hiſtoriæ ſecundam partem jam proſcriptam, Italico idiomate iterum editam, una cum adjectis diſſertationibus damnavit rurſus Benedictus XIV. anno 1758. die 17. Februarii. Subiit idem fatum eodem anno die 2. Decembris Pars III. eam damnante *Clemente XIII. P. Iſaac Joſeph Berruyer* deceſſit eodem anno 1758. die 18. Februarii. Plures Hiſtoriam illam confutarunt: locupletiſſime vero *Franciſcus* Epiſcopus *Sueſſionenſis* Inſtructione Paſtorali edita anno 1759. Eodem anno die 30. Auguſti prælaudatus *Clemens XIII.* tomos duos, & Epiſtolam quamdam pro ipſomet P. Berruyer editam condemnavit.

communione *Joannis Pichon*, plurium Episcoporum censuris confixum. Etiam illos prætermittimus, qui suorum auctorum nuperrime scripsere vindicias, *Carolum Nocetum*, *Philibertum Balla*, *Jacobum Sanvitali*, &c. *Franciscus Antonius Zacharias* Orator, historicus, & Criticus in Historia Litteraria horum plures, cæteros, necnon se ipsum celebrat, laudatque.

Ex aliorum quoque Religiosorum virorum Ordinibus nomina saltem quorumdam universæ Italiæ notissima laudabimus. Fratrum Minorum Conventualium Familiam scriptis condecorant *Laurentius Ganganelli* doctrina magis, quam Vaticana Purpura clarus, *Raymundus Missorius*, *Franciscus Leoni*, *Carolus Dominicus de Moja*, *Joannes H. Sbaralea*, *Casimirus Tempesti*, *Dominicus Maria Speroni*, *Antonius Felix Matthæius*, aliique de Historia Ecclesiastica, & de sacra Theologia optime meriti. Minorum, quos *Observantes* vocant, *Antonius Bianchi* Lucensis, *Fortunatus* a Brixia, *Philippus* a Carboneano, *Damasus* Emporiensis. Fratrum Capuccinorum *Franciscus Maria* Cardinalis *Casinus*, *Cajetanus Maria* Bergomas, *Viator* a Coccalio, *Norbertus* a Lotharingia. Clericorum Regularium, quos *Theatinos* appellant, *Antonius Franciscus Vezzosi*, *Joannes Baptista Caraccioli P. G.* Scholarum Piarum, *Alexander Politi Paulinus a S. Joseph* vir eloquentissimus, *Eduardus Corsinius* omnigena eruditione conspicuus, *Joannes Carolus Bossius* illustris Theologus, *Carolus Antoniolus* supra ætatem sapiens, &c. Congregationis Oratorii *Joseph Blanchinus*, *Hieronymus e Prato*, & e Gallia *Joannes Cabassutius*, *Bernardus Lamy*, *Caspar Juenin*, *Paschasius Quesnellus*, cujus sunt 101. propositiones damnatæ in Bulla *Unigenitus*. Eorum, quos appellitant Barnabitas, *Franciscus Rotarius*, *Fortunatus Venerius*, *Niceron*, *Gerdii*, *Homobonus*. Congregationis Sommaschæ *Franciscus Baldini*, &c.

Non fugit nos singularis doctrina, scriptorumque copia *Ambrosii Cardeboschi*, *Petri Thomæ Cacciari*, *Bonaventuræ Blanciotti*, *Petri Thomæ Sanctabar-*

Scabarbara Ord. Carmelitarum, *Honorati a Sancta Maria* Carmelitæ Excalceati: *Francisci Raymundi Adami* Ordinis Servorum: *Antonii Boucat* Ordinis Minorum: *Joannis-Chrysostomi Trombelli* Congregationis Rhenanæ: *Joannis-Dominici Mansi*, *Pompeji Berti*, & *Constantini Ronchaliæ* Congregationis Matris Dei: *C. Constantii Rabbi* (q) Augustinianæ Congregationis Insubricæ, & *Joseph Catalani* presbyteri Oratorii; non, inquam, hæc nos fugiunt: sed operæ pretium est, eos quoque, saltem ex parte, laudibus prosequi, qui nullius Instituti Regularis fuerunt.

Quantas enim laudationes non promerentur *Adrianus Baillet*, qui Sanctorum Vitas, sapientumque virorum Judicia conscripsit, vita functus anno 1706. *Stephanus Baluzius* reconditorum scriptorum quæsitor, editorumque illustrator, mortuus anno 1718. *Petrus Daniel Huetius* Demonstrationis Evangelicæ, Origenianorum, Quæstionum Alnetanarum de Concordia rationis, & fidei, aliorumque librorum scriptor egregius, qui obiit anno 1721. *Ludovicus-Ellies du Pin*, qui præter sacram & prophanam Historiam, & dissertationes de Antiqua Ecclesiæ disciplina, edidit de Scriptoribus Ecclesiasticis permulta volumina, notas in Opera Joannis Gersonii, & S. Optati Milevitani, defunctus anno 1719. *Claudius Fleury* Ecclesiasticæ Historiæ, institutionum Juris Canonici, Cathechismi Historici, librorumque de moribus Judæorum, & Christianorum, auctor

(q) *Carolus Constantius Rabbi* non solum in lucem edita quæ ad matheſim, ad poesim, ad Bononiensis Ecclesiæ historiam, & ad Italicæ Eloquentiæ ornatum attinent, sedulo elucubravit; verum etiam conscripsit Fastorum Consularium amplissima Commentaria, tradita post auctoris obitum *Benedicto XIV.*

ctor percelebris, qui vivere desiit anno 1722. (r) *Melchior* Cardinalis *de Polignac*, qui eloquenti Latino carmine, in Etruscum conversо a *Francisco Maria Riccio*, & *a Petro Bergantino* Clerico Regulari, Lucretii, aliorumque Atheorum refutavit deliramenta, obiitque anno 1741. Verum si diutius moraremur in Galliis, occurrerent permulti litteratissimi viri, puta ex Theologis *Nicolaus L'Herminier*, *Carolus Vitasse*, *Honoratus Tournelius*: ex Christianæ vitæ morumque Institutionibus, *Genettus*, *Besombes*, *Pontas*, & qui ad usum Seminariorum, V. G. Gratianopolitani, & Petrocorensis, perspicue, breviterque Moralem Theologiam concinnarunt: ex Historicis, præter Ephemeridum, (*Journal des Savans*, & *Nouvelles Ecclesiastiques*) Scriptores Anonymos, qui Ecclesiasticam Historiam typis Colonienſibus nuper edidit, cujus volumen XIII. prodiit anno 1754. ne commemoretur altera impressa Agathopoli, (s) contra quam editæ Leodii sunt anno 1755. Epistolæ XXI. (t)

§ Verum non opus est, ad viros longe doctissimos adinveniendos, ut ab Italis discedamus. Quanta eruditio, quanta librorum copia, quantus labor *Joannis Lami* in omnium scientiarum genere præstantissimi? Quanta in veteribus monumentis pervolutandis *Antonii Francisci Gori* sollertia? Quantum antiquitatis sacræ studium in *Francisco Blanchino*, *Joanne Ciampinio*, *Justo Fontanino*, aliisque Romanæ

(r) Juxta Chronologiam *Calmet* anno 1724.

(s) Eadem Civitas est, ac Mons Pessuli, vulgo *Mospellier*, Auctor *Franc. Merenas*, plura mutuatus a P. *Daurigny* Societatis Jesu.

(t) Obiit die 9. Januarii anno 1757. Parisiis *Bernardus Fontenelle* centenarius, quippe natus fuerat anno 1657. die 24. ejusdem mensis vir ingenio paucis secundus.

manæ Curiæ Præſulibus? (u) Strenui ſunt in doctrina morum vindicanda *Ballerinii* Fratres: ſagax fuit in ſelectis Hiſtoriis exornandis *Antonius Sandini*: aſſiduus & eloquens in conſcribendis libris *Scipio Maffejus*. Verum illos mihi commemoranti, qui ſacram Cyclopædiam illuſtrarunt (de aliis enim nonnulla dicam in Appendice) ad mentem redit vir immortalis *Ludovicus Antonius Muratori*, qui magno litterariæ Reipublicæ damno fatis ceſſit anno 1750. in quo ſive Rerum Italicarum *Scriptores*, ſive Diſſertationes *Medii Ævi*, ſive Confutationem *Pheroponi*. ſive Collectionem *Liturgicam*, ſive *Annales* Italiæ, ſive cujuslibet fere argumenti ſcripta pervolutemus; admiremur neceſſe eſt maximum ingenii acumen, memoriam ſingularem, omnigenam eruditionem, ſtyli facilitatem, adeo, ut Italia etiamſi nullum alium ſcriptorem perperiſſet, hoc uno poſſet magnopere gloriari. (x)

(u) Hos inter forent recenſendi præſtantiſſimi viri *Joſeph Simonius Aſſeman*, *Joannes Bottart*, *Michael Angelus Jacomelli*, *Dominicus Giorgi*, *Carolus Boſchi*, *Nicolaus Antonelli* nuper Vaticana Purpura decoratus, *Joſeph Garamphi*, &c.

(x) Inter Ludovici Antonii Muratorii Italica Opera unum extat *Della Regollata divozione*. Plures in iſto comprehendi hæreſes PP. *Plazza*, & *Zacherius* S. J. autumarunt. Vindicias Concivis ſui exornavit doctus ſcriptor *Epiſtolarum Mutinenſium* vernacula lingua editarum. Quibusdam Sociis eumdem Librum proſcriptum eſſe Viennæ affirmantibus, provide, & opportune occurrit ſapientiſſimus ejusdem Metropolis Archiepiſcopus anno 1759.

CAPUT V.

AUGUSTORUM CÆSARUM ABSOLVITUR SERIES, ALIORUM QUORUMDAM PRETIOSA MORTE ADJECTA.

Post obitum Augustissimi Cæsaris Leopoldi consignatum anno 1705. III. Nonas Majas ad Imperium evectus est *Joseph Jacobus Ignatius Joannes Antonius Eustachius*, quem Leopoldo pepererat an. 1678. uxor Eleonora Magdalena Theresia. Joseph coronatus fuerat Hungariæ Rex anno 1687. XV. Cal. Decemb. & Rex Romanorum an. 1690. IX. Cal Febr. Imperium vero ei commissum, statim ac mortuus est Pater, occupatis armorum vi Mantuana, Mediolanensi, & Neapolitana ditione, cum vita dimisit variolarum morbo correptus anno 1711. XV. Cal. Majas.

Ei successit frater *Carolus VI.* natus an. 1685. Cal. Octobr. electus Imperator Romanorum Francofurti eodem anno 1711. die Octobris 12. ibique Augustali corona redimitus die 22. Decemb. Coronatus deinde est anno 1712. XI. Cal. Junias Rex Hungariæ, atque an. 1723. die V. Septemb. Rex Bohemiæ. Renuntiatus fuerat jam ab anno 1703. Rex Hispaniarum, patre Leopoldo, & fratre Joseph in ipsum omne, quod habebant supra Hispanicam Monarchiam, jus transferentibus; quod contigit duodecima die Septemb. Sed quoniam Carolus II. ut alibi diximus, hæredem testamento nuncupaverat Philippum Borbonium, hunc inter & Carolum diuturnum bellum exarsit. Utriusque Siciliæ Regnum adeptus est anno 1722. (y) Innocentio

(y) Circa hæc tempora, id est, anno 1722. Magnus Russiæ & Moscoviæ Dux *Petrus I.* Imperatoris Augusti nomen est assecutus,

centio XIII. quod Clemens XI. noluerat, assentiente. Actum de pace an. 1725 & firmata Viennæ die 30. Aprilis ea conditione, ut Regnum Neapolitanum, Sicilia, Mediolanensis ditio, Belgiumque cederet Austriacæ Genti; de Hispanica Monarchia nullum deinceps oriretur dissidium: eam Philippus V, pacifice possideret: eiusque filio Carolo obvenirent Etruria, & Parmæ ac Placentiæ Ducatus, si forte hæreditarii Principes defeciissent. Tunc Carolus VI. *Pragmaticam* sanctionem edidit, qua Primogenitam suam Mariam Theresiam constituit Regnorum suorum hæredem. Suscepit hanc glorioſissimam Filiam an. 1717. ex Imperatrice Elisabetha Christiana, quam Barcinone an. 1708. sibi sacro conjugii fœdere copulaverat. Post varia cum Turcis, aliisque hostibus gesta bella, ac tandem pacem cum omnibus initam, an. 1740. XIII. Calendas Novembris piissimus & Augustissimus Imperator decessit.

Sopita Electorum dissensione & Praga, quæ Regni Bohemici Caput est, labente anno 1741. a Carolo Alberto Bavariæ Duce occupata, in hunc

cutus, assentientibus tum Anglis, & Hollandiæ Statibus, temporis deinde decursu Principibus aliis. Petrus an. 1727. dum esset Parisiis, Doctoribus Sorbonæ postulantibus promisit se daturum operam, ut Russiæ Magnæ Ecclesiæ Græcorum schismati addicta, cum Romana unionem iniret: sed Russiæ Episcopis contranitentibus, res non est pro votis perfecta. Imperavit post Petrum *Catharina* secunda ejus uxor, quæ obiit anno 1727. biennio post mortem Viri. Tum *Petrus II.* filius Alexii Petrowitz Czarowitz filii Petri I. nam Alexius anno 1718. a patre conspirationis causa degradatus occubuit mœrore. Parens Alexii Eudoxia Petrowna Petri I. cognomento Magni conjux prior. Post Petrum II. vita functum anno 1730. ad imperium evecta est *Anna* filia Yvanis fratris Petri I. Nunc ab anno [illegible] imperat *Elisabeth Petrowna* filia ejusdem Petri I. & Catharinæ Augustæ, secundæ illius uxoris, de qua paulo supra.

devenit ſupremum regimen. Eſt is Imperator *Carolus VII.* inauguratus Francofurti anno 1742. IX. Cal. Februar. Coronatus eſt die eiusdem menſis duodecima, & proximi menſis Martii octava die impoſitum fuit Imperiale Diadema Auguſtæ conjugi Mariæ Amaliæ. At breve, nec tranquillum fuit Caroli VII. Imperium; ſemel enim, iterumque Bavariæ Regnum amiſit, tametſi illud ſemel, ac iterum recuperavit; fuitque ſuprema ejus dies vicesima Januarii anno 1745.

Renunciatus tàmen Imperator eodem anno 1745. *Franciſcus Stephanus*, electus Rex Romanorum die 13. Septemb. & coronatus Auguſtus die 4. Octobris. Is primum Dux Lotharingiæ in lucem editus eſt anno 1708. VIII. Idus Octobris, eique Carolus VI. conjugio junxit anno 1736. die 12. Februarii Mariam Thereſiam Walburgam, quam, ut dictum eſt ſupra, *Pragmatica* Sanctione declaraverat an. 1725. Regnorum ſuorum hæredem, nuptias benedicente Dominico Paſſionei Nuntio Apoſtolicæ Sedis, nunc S. R. E. Cardinali. Nata erat Maria Thereſia 13. Maji. 1717. cui Soror Maria Anna Eleonora: quæ nata ſequenti anno 1718. die 14. Septembr. nupta Carolo Franciſci Imperatoris Fratri, e vivis florentiſſima ætate rapta eſt. At *Franciſcus* inter Imperatores hujus nominis I. ut univerſum pacaret Imperium, anno 1735. Chriſtianiſſimo Regi tutari Sanctionem *Pragmaticam* pollicenti, paternos ceſſerat principatus, conſecuturus poſt obitum Magni Ducis Etruriæ Joannis Gaſtonis hujus ditionis Dominium. Atque id factum eſt eodem Joanne Gaſtone, Gentis Mediceæ poſtremo, fatis functo VII. Idus Julias anno 1737. Ad hanc nobiliſſimam Italiæ partem ſua cohoneſtandam præſentia an. 1739. advenit cum Maria Thereſia Conjuge, renunciata ſingulari ſubditorum plauſu, & gratulatione, a morte Patris Hungarorum Regina; præcipuis Etruriæ urbibus peragratis rediit in Auſtriam. Solemni Franciſci Coronationi celebratæ Francofurti anno dieque prænarratis interfuit potentiſſima Uxor; quæ acclamata Imperatrix Auguſta

ſta in omnes exercuit ſuam vere Cæſaream, Regiamque munificentiam. Imperium modo, Hungariam, Bohemiam, Etruriam, Auſtriam, ditionesque cæteras Auſtriæ Domus, tenent, & provide, feliciter, ſedulo, ac ſancte Auguſtiſſimi Conjuges gubernant; ſervatque Cæſar Felix, Invictus, quod ajebat in VI. Æneidum Anchiſes,

Tu regere imperio populos, FRANCISCE, *memento*,
(*Hæ tibi erunt artes*) *pacisque imponere morem*,
Parcere ſubjectis, & *debellare ſuperbos*.

Permulti cum odore ſanctitatis hoc Seculo migrarunt e vita: ac noſtri Ordinis poſtulat neceſſitudo, ne *Hilarii* a Monte Orthono vita functi anno 1704. *Franciſci Mariæ Querni* Pratenſis defuncti anno 1731. obliteretur memoria. Auximi anno 1746. deceſſit cum odore ſanctitatis *F. Thomas Antonius Arbuatti*. Carmaniolæ *Nicolaus Roppo* anno 1748. *Angelus* Paoli Carmelita e vico Minutiano obiit an. 1721. In Ordine Minorum ſancto fine quievit Romæ an. 1712. *F. Jacobus Antonius* a Romaniano: Belegræ, vulgo *Civitella*, anno 1729. *Thomas Corenſis*: Fucechii an. 1740. *Theophilus* Ceneſti, Curia, vulgo *Corte* in Corſica ortus. *Catharina* Lucenſis an. 1755. Romæ an. 1750 *F. Criſpinus* Ordinis Cappucinorum, & Offidæ in Piceno *Bernardus* a Monte Ulmi ejusdem Ordinis anno 1756. in Domino dormierunt. Liburni anno 1729. *Juniperus* Bargenſis, item Capuccinus. Tiſerni an. 1728. *Veronica* ejusdem Ordinis. *Roſa Maria Serio* Carmelitarum ſoror obiit in Apulia an. 1726. *Maria Clementina* filia Jacobi Sobieski Regii Poloniæ Principis, & conjux Jabobi III. Catholici Angliæ Regis, huic nuptiarum fœdere conjuncta ad Montem Faliſcum anno 1719. immortale matronarum Regumque decus deceſſit Romæ an. 1735. die 18. Januarii. Feſcenniæ an. 1739. Cal. Martii obdormivit in Domino vigilantiſſimus Epiſcopus *Joannes Franciſcus Tenderini*. His vero: quorum ſanctitas ab Eccleſia, quando Domino videbitur ex-

pedire, locupletiori nunciabitur teſtimonio, & de qua judicium ferre noſtra non intereſt, tanquam hujus Seculi coronam addimus invictos Ord. Prædicat. Martyres, *Franciſcum de Federicis*, ſociumque ejus *Matthæum*, a Sinenſibus truncatos capite an. 1746. *Petrus Martyr* Mauricaſtrenſis Epiſcopus itidem capite plexus fuit: *Franciſcus Serranus* Tipaſitanorum Præſul, & Vicarius Apoſtolicus, & ſtrenui hujus commilitones, *Joannes*, *Joachimus*, *Franciſcus*, anno 1747. pro fide Orthodoxa variis ſuppliciis necati; quique Syros Neſtorianos, eorumque Patriarcham ad Romanam revocavit Eccleſiam, & anno 1753. naturæ plenus meritis debitum perſolvit, *Dominicus Codeleoncinus* Mediolanenſis.

CAPUT VI.

DECIMI OCTAVI ECCLESIÆ SECULI DOCTRINA ATQUE DISCIPLINA.

ETiam occaſione Conſtitutionis *Unigenitus* plura ab iis, qui luci tenebras offundunt, excitata fuerint diſſidia, plures etiam calumniæ ab aliis, qui Moliniſticæ Scholæ nimis indulgent, intentatæ fuerint S. P. Auguſtini diſcipulis; nequaquam tamen cenſura notatis Scholarum placitis, quæ ſalva fide, & charitate in utramque partem diſcuti poſſunt, neceſſum eſt, ut Catholici omnes exhibita eidem conſtitutioni omnimoda obedientia, quæ ibidem perſpicue definita ſunt, firmiſſime profiteantur. Et quantum ad Gratiam attinet, præter eam, quæ a nullo duro corde reſpuitur, dari auxiliatricem, cui reluctatur humana voluntas: non eſſe ſupernaturale Dei adjutorium ſolius *Charitatis* & dilectionis Dei inſpirationem, ſed etiam timoris, fidei,

fidei ſpei, aliarumque virtutum, ſeu bonarum actionum; neque omnia, quæ a charitate, & ab amore Dei *propter ſe* non procedunt, ex noxia cupiditate labefactari, vel quæ fiunt aut ab impiis nondum juſtificatis, aut ab infidelibus, inquinamenta eſſe, & peccata. Ante fidem quoque nullam dari gratiam, omnesque gratias per fidem conferri: Gratiam Adami fuiſſe debitam primæ integritati, ſequelam creationis, & produxiſſe merita tantummodo humana: non eſſe ſpem, nec religionem, ubi deeſt charitas: orationem impiorum novum eſſe peccatum, timorem cohibere duntaxat manus; & in Corde ſuo peccatum committere qui ab illo non abſtinet, niſi timore ſupplicii: hæc, aliaque omnia proſcripta in prælaudata Conſtitutione jure meritoque damnata fuerunt. Atque hæc, & cætera omnia, quæ credenda proponit S. Mater Eccleſia, conſtituunt ea veræ doctrinæ capita, quæ nefas eſt oppugnare. (z)

Non ſunt tamen audiendi, qui ajunt prælaudata Conſtitutione proſcripta eſſe, quæ in Catholicorum Scholis propugnantur de gratia per ſemetipſam efficaci, de auxiliis ſufficientibus aliquando impio, aut infideli ſublatis, vel de relatione humanarum actionum in Deum, vel de neceſſitate amoris ſaltem initialis ad obtinendam in Sacramento Pœnitentiæ gratiam Juſtificationis; (a) ſiquidem ipſe Clemens

(z) Ejusdem S. M. E. doctrinam, ac fidem, abjurata hæreſi Lutherana, anno 1712. die 12. Novembris amplexus eſt Bononiæ *Fridericus Auguſtus* Saxo, filius Regis Poloniæ.

(a) Vide *adnot.* ad præcedens caput tertium. Qui in Orthodoxos, & Auguſtini ſectatores Theologos, iſtiusmodi accuſationes ejaculantur, etiam nos ſtuduimus pro noſtra virili confutare. Legatur *Auguſtinianum Syſtema* vindicatum, *Judicioque* Archiepi-

XI. post editam Constitutionem ipsam declaravit non esse cum damnatis erroribus confundendas sententias illas, ac doctrinas, quæ palam & libere in Catholicis Scholis docentur ac defenduntur. Quare universum systema nostrum de Gratia Romæ, & Mediolani Clerici Regulares S. Pauli anno 1755. & seq. scriptis in lucem editis, publicisque thesibus propugnarunt; & necessitatem amoris Dei *propter se* non tantum docuerunt, ac docent Theologi in Italia doctissimi, verum etiam exigit in Epistola Pastorali de Pœnitentia edita anno 1751. *Clarissimus Episcopus Gurcensis*, & *S. R. I.* Princeps Josephus Maria Comes *de Thun*, ne commemorem superiorum temporum monumenta, quæ produxi pertractans de Pœnitentiæ Sacramento.

Perseverat autem in Romana Ecclesia vetus disciplina. Si quæ suborta sunt dubia, fuerunt vigilantia Romanorum Pontificum, præsertim *Benedicti XIV.* explanata; hujus generis sunt Clericos Græce initiatos transeuntes ad Romanam Ecclesiam, etiamsi in Presbyteros sint ordinati, debere ordines suscipere, qui in Latinis conferuntur Ecclesiis: (*b*) optan-

---

chiepiscopi Senonensis discussio. Huc spectant Opuscula a nobis aliisque edita adversus Historiæ Litterariæ, seu scriptorum Italorum, Auctorem. Extant inter eadem Opuscula duorum Eminentissimorum Cardinalium, qui jussu *Benedicti XIV.* Pontificis Maximi nostras Theologicas dissertationes, & accusantium objecta revocarunt ad libratum, accuratissimumque examen, locupletissimæ pro nobis censuræ. Inter permultos, qui nobiscum in propugnanda Augustiniana doctrina conspiderati sunt, commemoro grati animi causa præclaros viros, *Homobonum de Bonis* Cl. Reg. *S.* Pauli, *Felicem Amadeum Franchi* Monachum Calinensem, *Raynorium Guidelli* Monachum Vallisumb. *Viatorem* Ord. Capuc. *Josephum Catalani* Congregat. Oratorii, sodales amicosque *Joannem Papalardi*, *Josephum Dini*, &c. qui me, licet prorsus immeritum, pro singulari humanitate sua laudibus verbo scriptoque cohonestarunt.

(*b*) Quos non susceperunt, id est, *Lector tres minores* omissos: Subdiaconus *Exorcistatum*, quia cum Subdiaconatu censetur etiam *Ostiariatum*, & *Acolythatum* recepisse, &c.

optandum esse, ut in Missis privatis sacram Communionem aliqui Laicorum percipiant; ubique terrarum servandum & celebrandum esse decreto *Clementis XI.* festum Conceptionis B. M. semper Virginis: exercitia spiritualia, ut mandaverat superiori Seculo *Innocentius XI.* non debere ab ordinandis, aliisque viris Ecclesiasticis prætermitti: Festum SS. Nominis Jesu celebrandum Dominica II. post Epiphaniam, & S. Joachim Dominica III. Augusti: Sat esse in quibusdam Festis, in Etruria. & alibi, ad minorem cultum redactis, interesse Sacro, nec opera servilia in iisdem minoribus festivitatibus esse interdicta: Indulgentiam centum dierum, & semel in anno plenariam concessam a *Benedicto XIII.* recitantibus ad signum æris Campani salutationem Angelicam flexis genibus, non requirere, ut ita recitetur tempore Paschali, & diebus Dominicis: denegandam esse in exitu mortis absolutionem Sacramentalem publicis, & notoriis refractariis Constitutionis *Unigenitus*, a judice competente damnatis, prædictæ Constitutioni contumaciter denegantibus venerationem, obsequium, & obedientiam, & eo tempore, quo sacrum Viaticum suscepturi sunt, sponte suam inobedientiam & contumaciam profitentibus. Incœpta anno 1729. Dominicis diebus recitari in Missa *Præfatio* SS Trinitatis, jubente *Clemente XIII.* propterea quod Deus, qui est Pater, Filius: & Spiritus sanctus, sit opifex rerum omnium. *ad quem omnia referenda sunt;* ipso autem die Dominico Deus condiderit lucem, Christus resurrexerit, & Spiritus sanctus descenderit super Apostolos: quæ item sunt causæ, propter quas Catholica Ecclesia sanctificationem diei septimæ in eumdem Dominicum diem transtulit.

Solemni Canonizatione *Clemens XI.* retulit inter Sanctos *Pium V.* Pontificem Maximum, *Andream Avellinum*, *Felicem* a Cantalicio, & *Catharinam* Bononiensem. *Innocentius XIII.* cultum immemorabilem *B. Andreæ* de Comitibus approbavit. A *Benedicto XIII.* Sanctorum Fastis fuerunt adscripti *Franciscus Solanus*, *Jacobus* de Marchia, *Joannes Nepomucenus*, *Joannes a Cruce*, *Aloysius Gonzaga*, *Sta-*

Stanislaus Kofca. Margarita Cortonenſis, aliique plures inter Beatos fuerunt adſciti. *Clemens XII.* inſeruit Sanctorum numero *Vincentium a Paulo, Joannem Franciſcum Regis, Julianam de Falconeriis,* & *Catharinam Fliſcam Adurnam* Januenſem: A *Benedicto XIV. Petrus* agnomine *Regalatus, Joſeph a* Leoneſſa Aprutinus, *Fidelis* a Simaringa, *Catharina de Ricciis, Camillus de Lellis* Sanctorum albo, Beatorumque numero *Joannes* Polonus, *Joſeph Calaſanctius, Gabriel Ferretti* Anconitanus, *Joannes Æmilianus, Ladislaus* e Polonia, *Alexander Sauli, Joſeph* a Copertino, *Franciſca de Chantal*, aliique adſcripti fuerunt. In Beatorum numerum ob perantiquum cultum referendos ſancivit an. 1759. *Clemens XIII.* tres Auguſtinianæ Familiæ alumnos præclariſſimos, *Auguſtinum* Novellum, *Antonium* Aquilanum, & *Antonium* de Amandula. Annum Jubilæi 1725. *Benedictus XIII.* & anno 1750 *Benedictus XIV.* aperuerunt. An. 1759. approbante *Clemente XIII.* confirmata eſt Inſtitutio Religioſorum virorum, qui uno emiſſo voto præſtandi obedientiam Romanæ Congregationi de *propaganda Fide*, prædicando Infidelibus Evangelium ſeſe addicunt. Equeſtres Ordines poſtremo hoc Seculo XVIII. inſtituti fuere titulo *S. Ruperti* an. 1701. ab Ernesto *de Thun* Archiepiſcopo Salisburgenſi, approbante Imperatore Leopoldo. *Aquilæ Nigræ* eodem an. 1701. a Friderico I. Rege Boruſſiæ: *Nobilis Paſſionis* 1704. *Aquilæ Albæ* an. 1705. ab Auguſto II. Poloniæ Rege: *Amoris erga proximum* an. 1708. ab Imperatrice Eliſabetha Chriſtina: *Fidelitatis* an. 1732. a Chriſtiano VI. Rege Daniæ.

AP-

APPENDIX

CÆTERARUM RERUM.

Galliarum Rex invictiſſimus *Ludovicus XIV.* cognomine *Magnus* an. 1715. Cal. Sept. debitum naturæ perſolvit. Proavo ſucceſſit *Ludovicus XV.* natus an. 1710. XV. Cal. Martias ex Ludovico Burgundiæ Duce, qui obiit an. 1712. & Maria Adelaide filia Amadei II. Sardiniæ Regis, Ducisque Sabaudiæ, quæ eodem anno deceſſit. Tutor Regis in minori ætate fuit Philippus Dux Aurelianenſis: coronatus eſt autem Remis an. 1722 VIII. Cal. Novemb. Huic inſanus, & audaciſſimus omnium mortalium Nonis Januarii an. 1757. vulnus inflixit, non tamen lethale, Numine vitam Regis protegente. (c) In Hiſpania *Philippus V.* qui

(c) Parricida Thomas Robertus Franciſcus Damiens exquiſitiſſimis ſuppliciis dilaniatus, ac diſcerptus fuit eodem an. 1757. die 28. Martii.

In Anglia anno 1702. invadente Regnum *Guilelmo* Principe Auraſicano, ſed fatis erepto, regnavit *Anna* Stuard filia Jacobi II. qui ſuperiori anno 1701. obierat in Gallia menſe Septembri, jure Regni ad *Jacobum III.* ipſius filium devoluto. Ad Regni tamen faſtigium evectus eſt *Georgius Ludovicus* Elector Hannoverenſis extinctus anno 1727. menſe Junio. Occupavit exinde Regnum *Georgius Auguſtus II.*

In Polonia in Regem electus anno 1704. *Stanislaus* Regno deturbatur, eique ſuffectus eſt *Fridericus Auguſtus* Elector Saxoniæ Hoc defuncto an. 1733. rurſus *Stanislaus*, gente *Leſczincki*, Socer Ludovici XV. Regis Galliarum, proclamatus eſt: ſed magis

exor-

qui anno 1742. Regnum Ludovico I. quem anno 1707. ei peperérat prima uxor Maria Aloysia Sabaudiæ, dimiserat in Castrum S. Idelphonsi secedens, eodem Ludovico extincto postrema die Augusti eodem anno 1724. rursus Monarchiam regendam assumpsit. Defuncta priore conjuge an. 1714. XVI. Cal. Martii, alteram duxit Principum Regumque parentem, Elisabetham Farnesiam Odoardi II. Ducis Parmensis filiam unicam. Contractæ fuerunt nuptiæ prædicto anno 1714. IX. Cal. Januar. Obiit Philippus V. die 9. Julii anno 1746. eique successit *Ferdinandus VI.* ortus ex priori conjuge anno 1713. die 23. Septemb. coronatus vero præcitato anno 1746. IV. Idus Augusti. Quo vita functo anno 1759. die 10. Augusti, Hispanica Monarchia pertransiit ad *Carolum* utriusque Siciliæ Regem. In Lusitania sublato e vivis *Petro II.* anno 1706. die 9. Decembris, successit *Joannes V.* Regio diademate coronatus Cal. Januar. proximi anni 1707. Huic vita functo anno 1750. suffectus est *Joseph I. Emmanuel*, qui anno 1729. die 19. Januarii conjugium iniit cum Maria Victoria, filia Philippi V. Regis Hispaniarum. (*d*) Turcis post *Achmetem*

---

exortis dissidiis inauguratus eodem anno Elector Saxoniæ *Fridericus Augustus III.*

Borussia ineunte hoc sæculo, id est, anno 1701. a Leopoldo Imperatore in Regnum erecta est, & Rex primus inauguratus *Fridericus I.* Elector Brennoburgensis, Romano Pontifice, & magno Ordinis Theutonici Magistro repugnantibus.

(*d*) Fidelissimo Lusitaniæ Regi Josepho Emanueli anno 1758. die 3. Septembris mors laxata rota, & ignitis glaudibus fuit intentata. Detecti punitique anno proximo sceleris auctores.

rem III. qui ſupremum thronum adſcendit anno 1703. tenuitque Principatum usque ad annum 1730 (*e*) imperavit *Mahumetes V.* quo extincto anno 1754. Idibus Decemb. Imperium indeptus eſt die proxima *Oſmannus* hujus nominis III. natus an. 1697. Oſmanno extincto an. 1756. acclamatus *Muſtafa III.* ejusdem Oſmanni nepos.

Plurima hoc decurrente Seculo patrata ſunt bella. Unus Eugenius Princeps Sabaudiæ Cæſarearum copiarum Imperator invictus uberrimam hiſtoriæ præbuit materiam. Inter alias pugnas eo duce commiſſas, ea inſignis eſt, qua anno 1704. Gallos Bavarosque ingenti clade proſtravit. Poſt biennium, anno ſcilicet 1706. Auguſtam Taurinorum, & ſubinde Inſubriam ac Pedemontum pulſis hoſtium copiis liberavit. Ad Nuceriam in agro Mantuano anno 1702. ad Lilloam munitiſſimam Belgii arcem anno 1708. ad Quercetum in Hannonia anno 1712. fudit Gallorum milites. Turcis vero anno 1716. exercitu illorum attrito eripuit Hungariæ urbem, arcemque Temiſuarium, trucidato paulo antea ad Acumincum (Petrowaradinum vulgo dicunt,) eorumdem Turcarum incredibili numero. Belgradum quo-

---

res. Religioſis viris celeberrimæ in Eccleſia Familiæ hac de cauſa e Luſitaniæ Regnis anno 1759. ejectis, iniquiſſimæ conſpirationis machinationem Ulyſſiponenſes judices adſcripſere. Præ cæteris ejusdem conſpirationis auctores declararunt *Gabrielem Malagridam*, *Joannem de Mathos*, & *Joannem Alexandrum*. Miſſiones vero, templa, ſuppellex, & corpus quoque *S. Franciſci Xaverii* Apoſtoli Indiarum, FF. Prædicatoribus, ut fertur, conceſſa.

(*e*) Achmet III. anno 1713. Oſmannum *Aga*, & Mehemet *Viſirium*, aliosque in ejus vitam conſpirantes condigna pœna mulctavit.

quoque: alias Taurunum, in ſequenti anno 1717. expugnavit, palmisque onuſtus, ipſe inexorabili fato ceſſit anno 1736. XI. Calendas Maias.

Qui de Turcarum exercitibus? Fruſtra Achmetes, qui anno 1715. Corinthum, Naupaliam, (*f*) Coronem, Wethonemque cum reliquis Peloponeſi arcibus expugnaverat, anno proximo 1716. Corcyram cinxit obſidione, Chriſtianis Principibus in Venetorum auxilium convolantibus: bellisque fractus in Serviæ oppido, quod vocant Paſſarovitz, pactis conditionibus an. 1717 die 27. Junii cum Imperatore Carolo VI. & Venetorum Republica iniit concordiam. Verum Chriſtiano nomini infenſiſſimi hoſtes, ab impio Apoſtata Comite de Bonneval, quem appellabant Baſſam Oſmannum, edocti, atque excitati, ruſus anno 1737. in Hungariam irruperunt; varioque marte pugnatum eſt: donec anno 1739. victores recuperarunt Belgradum, totam Serviam & Walachiam. Exinde arma converterunt in Perſas.

Non ſinit præſtituta brevitas, ut ſingula alia bella narremus; cujus generis ſunt diuturna inter Auſtriacos, & Hiſpanos Gallosque diſſidia. Quorum Inſubria anno 1732. & ſeqq. cum Galliæ Ciſalpinæ Urbibus, arcibusque præmunitis theatrum

(*f*) Hac urbe expugnata ob præfecti militum Græcorum proditionem, permulti una cum Archiepiſcopo *Angelo Maria* Ordinis Præd. gladio perempti ſunt. Abierunt plures in barbarorum captivitatem, inter quos Veneti militiæ duces, ac nonnulli Patritiorum cum viliori plebe primum permixti, tum arctiſſima turrium cuſtodia detenti. Mancipia ſupra CC. viliſſimo empta precio a Viſirio ad ludibrium eo ſpectante, quaſi macta tæ Mahumeti hoſtiæ, obtruncata fuere capitibus.

trum fuit; anno 1734. quo Rex Corolus Borbonius Neapolim die Maji decima ingreſſus eſt, Campania, Apulia Peucetica, & Sicilia: 1744. oppidum Latii Velitræ, Pedemontium item, & Belgium. Eodem autem anno 1744. Galli expugnarunt munitiſſimas Belgii arces, Manhemium, Corteriacum, Hypras, atque anno 1747. Trajectum ad Moſam (vulgo Maſtricht) quod putabatur inexpugnabile. Genua, quam anno 1746. milites Auſtriaci occupaverunt, ejecti inde plebis tumultu Decembris menſe, rurſus ſequenti anno cincta fuit, ſed irrito conatu, eorumdem militum obſidione. Adverſus Genevenſem Rempublicam anno 1730. rebellavit indomitus Corſicæ populus: rurſus anno 1734. excitavit rebellionem, eidem ſe ducem & regulum exhibuit Theodorus Antonius, Boruſcus, ut fertur, genere, principio a ſeditioſis libenter exceptus, ſed poſtea Liburnum verſus coactus fugere monachali veſte indutus. Ad eamdem Corſicæ Inſulam iterum appulit ſcenicus Rex Theodorus anno 1743. ſed ſpretus rejectusque in Hollandiam, aut in Angliam (id enim incertum) ſe contulit.

Angli vero, qui an. 1746. in America Portum *Britonem* nuncupatum expugnaverant, pluries ſuperiori an. 1756. fuerunt Galliarum armis devicti, ſuisque propugnaculis expulſi; arcemque præmunitam, portumque ampliſſimum Minoricæ Inſulæ, cui nomen Mago, ſeu *Mahon*, III. Calendas Julias ceſſere victoribus. (g) Verum Angliam, id eſt, regnum ſuum Jacobus Rex Stuardus

(g) Claſſis præfectus *Byng* ob deditam arcem morte affectus die 14. Martii an. 1757.

dus frustra anno 1717. (*h*) tentavit in suam redigere potestatem; atque exul e Galliis quoque discedens, diu Bononiam, postea Romam incoluit, ubi etiamnum magno apud Pontificem maximum honore habitus commoratur. Carolus item Odoardus Catholicus Valliæ Princeps, ipsius Regis Jacobi III. filius cum Gallorum classe adiit Scotiam anno 1746. sed pugna infeliciter commissa V. Calendas Majas, caute prudenterque saluti suæ consulens ingratum litus reliquit. Demum, ne diutius inter arma versemur, Rex Prussiæ Fridericus III. qui an. 1745. sublato e vivis Carolo VII. non procul a Friburgo cum Austriaco Exercitu immani pugna certavit, sed anno ipso ad finem properante cum Hungarorum Regina, & nostra Clementissima Domina Maria Theresia iniit concordiam; rursus anno nuper elapso 1756. & sequenti 1757. ingenti exercitu comparato bellum suscepit, nullatenus Regina invictissima trepidante. (*i*)

Ita.

(*h*) Post obitum *Annæ* Anglorum Reginæ evectus fuit ad Regnum *Georgius* dux Hannoverensis, excluso *Jacobo III.* Catholico, & religiosissimo Principe. Nullum aliud Georgio jus ad Regnum, nisi quia natus fuerat ex *Sophia* filia Elisabeth uxoris Friderici V. Electoris Palatini, postea Regis Bohemiæ. *Elisabeth* vero filia fuerat *Jacobi I.* Anglorum Regis. Contigit *Georgii* in Regem electio anno 1614. die Augusti duodecima, contra quam edita fuit solemnis *Jacobi III.* protestatio die 29. ejusdem mensis. Regina *Anna* prædicto anno 1714. die 10. Augusti defuncta, ipsius Jacobi III. Stuardi soror fuerat.

(*i*) Pugnatum sævo Marte die 6. Maji ad Pragam Bohemorum metropolim: & rursus die 18. & 20. Junii, atritis fugatisque hostibus. Varia deinde contigerunt certamina. Cum ingenti utrinque clade anno 1758. die 25. Augusti Borousique pugnarunt. Eodem anno Prid. Idus Octob. apud Saxones iidem F ousti ab Austriacis devicti & fugati fuerunt. Non semel com-

Italiæ Principum obitus varias attulit regiminum viciſſitudines. In Etruria *Ferdinando* Magno Principe vita functo an. 1713. Cal. Novembris, nulla ex optima Conjuge Violante Beatrice filia Ferdinandi Electoris Bavariæ ſuſcepto filio, neque ſpes relicta eſt futuri Principis hæreditarii. Nam & *Franciſcus Maria* ejus patruus, qui anno 1709. depoſita Vaticana Purpura Uxorem duxerat Eleonoram Gonzagam, absque prole deceſſerat anno 1711. tertio Nonas Februarias. Defuncto autem an. 1733. ultima die Octobris Magno Duce Coſmo III. ſucceſſit *Joannes Gaſto*, qui ab Uxore in Germania commorante divulſus obiit ſterilis anno 1737. VII. Idus Julii. Quomodo deinde Etruriæ Franciſco Stephano Imperatori Auguſto commiſſum ſit regimen, dictum eſt ſupra. Quando etiam Carolus Corbonius, qui in Tuſciam venerat anno 1732. (*k*) hinc Neapolim ad regnum capeſſendum adierit, conſtat ex dictis. Ducatus Parmæ & Placentiæ cum vita reliquit *Franciſcus Forneſius* an. 1727. IV. Cal. Martias. *Antonius* ejus frater ducta Uxore Henricheta Eſtenſi, absque prole deceſſit an. 1731. XIII. Calendas Februarias. Ita Farneſiorum extincta linea, Ducatus pervenit

commiſſum bellum, ſævoque marte pugnatum eſt proximo anno 1759. Auſtriacis, Ruſſis, Fœderatisque Imperii Romani Copiis ex una parte, ex alia Boroussis, Hannoverenſibus, &c. decertantibus. Leopoldus Comes a Daun Auſtriaci exercitus imperator retulit glorioſas de hoſte victorias. Inter Anglos Gallosque non ſemel eodem anno 1759. navali prælio pugnatum eſt. Anno proximo 1760. Laudonius 23. die Junii retulit præclaram de Boroussis victoriam.

(*k*) Regnante *Carolo Borbonio* detecta in Campania Felice non procul a Veſevo, ſeu Veſuvio, & ad regium rus *Porticus*, anno 1738. usq. ad an. 1747. plura antiquæ urbis *Herculanei* rudera & monumenta; cujus tamen veſtigia ab an. 1685. & rurſus ad an. 1711. apparuerant. Sunt, qui *Heracleam* quoque dictam volunt, vocabulo urbibus aliis communi, & eam eſſe, quam Ovidius in XV. Metamorph. appellat *Herculeam Urbem*.

venit ad *Philippum*, alterum filium Eliſabethæ Farneſiæ, & Philippi V. Regum Hiſpaniarum. Idem Philippus Dux an. 1745. hanc adeptus eſt ditionem, ei confirmatam conventionibus inter Supremos Principes ſtatutis Aquisgrani an. 1748. vulgatisque anno proximo. Mantua, hujusque Principatus *an.* 1714. Duci *Ferdinando Carolo Gonzagæ* ablatus fuit: itemque *Franciſcus Picus* expoliatus ducatu Mirandulæ, quem pretio ſoluto obtinuit dux Mutinæ *Rinaldus Eſtenſis*. Hujus nepoti Herculi Rinaldo filio Franciſci III. cum nuptiis Mariæ Thereſiæ filiæ Alderani Cibo Ducis Maſſæ & Carrariæ, iſte quoque ducatus acceſſit. Nata fuerat Maria Thereſia an. 1725. Nupta eſt an. 1741. Immutatus eſt itaque omnis fere Principatus Italiæ, Mantuanus, Mirandulanus, Vaſtallenſis, Parmenſis, Etruriæ, Maſſæ, regnorumque Neapolis, & Siciliæ. (*l*)

Perſeverat apud Italos *Victorii Amædii* Ducis Regisque propago apud ſtrenuiſſimum *Carolum Emmanuelem III.* hujusque natos. Victorius Amædeus an. 1713. inter ſummos Principes firmata pace declaratus Rex Siciliæ, hoc Regnum in alterum Sardiniæ an. 1720. commutavit, iſtud vero cum Ducatu Sabaudiæ, cæterisque ditionis ſuæ provinciis renunciavit anno 1730. regnanti *Carolo Emmanueli* nuper laudato; obiitque an. 1732. Cal. Novembris. Sed Reges, Principes, bella, regnorumque mittamus viciſſitudines.

Quædam nunc occurrunt calamitates. Romam, agrosque finitimos an. 1703. pervaſit aquarum eluvies, inundante Tyberi: Galliæ Togatæ campeſtria usque

(*l*) Occubuit anno 1718. die 11. Decembris in obſidione Friderici Halæ in Norvegia ignito globo percuſſus, dum ageret ætatis ſuæ annum 37. ſtrenuiſſimus vir, & vario bellorum eventu in Hiſtoria percelebris *Carolus XII.* Rex Sveciæ: quem anno 1682. die 27. Junii Carolo XI. pepererat conjux Ulrica Eleonora filia Friderici Daniæ Regis.

usque ad maris Adriatici litora an. 1705. Pado erumpente : Florentiam an. 1740. & rursus an. 1758. superante aggeres Arno ; universalem fere Italiam an. 1755. fluminibus excrescentibus, Galliam quoque Narbonensem, maxime Montem Pessulanum, furente Rhodano, Veronam an. 1757. tumescente Adice. (*m*) Vesuvius Campaniam an. 1727. iterumque an. 1737. magno terrore, erumpentibus flammis, affecit. Eamdem, cæterasque Italiæ Provincias perterrefecit pestilentia, quæ an. 1720. & 21. Massiam, & Occitaniæ fines, atque an. 1743. Messanam amplam Siciliæ Urbem immani cæde vexavit. Aeris quoque inclementiam, frigusque maximum experti sumus, anno præsertim 1709. quo Padus constrictus est gelu, vitesque, & aliæ fructiferæ arbores perierunt. Boum epidemia an. 1712. longe lateque grassata est : sæviit rursus an. 1747. in Vicetino, Veronensi, & Mantuano districtu, atque an. 1748. in Romandiola, & Æmilia. Terræmotus denique Urbes plurimas concusserunt. Anno 1703. Romam, Nursiam vero in Umbria, Aquilam, & Civitatem Ducalem, aliaque Aprutii loca cum incolis obruerunt. Panormo præcedentibus igneis trabibus, & quibusdam aliis phænomenis aeris, intulerunt terrorem & damnum maximum. Rursus Nursiam an. 1730. in lapidum verterunt acervum : Campaniam, Lucaniam, Magnam Græciam, & Calabriam Citeriorem excusserunt, Equotutico Apuliæ oppido, quod *Foggiam* vocant, penitus everso. Haud levi itidem motu terræ an. 1742. Liburnus concussus est. Anno demum 1755. Cal. Novembris corruit ingenti terræmotu, quem & incendium subsecutum est, pars magna Regiæ Urbis Ulyssiponensis metropolis Lusitaniæ, ejusdemque mensis die 18. in ea Africæ Regione, quam *Barbarium* appellamus, multæ Urbes dirutæ sunt ; tellurisque Hiatu absorpti cum camelis jumentisque sex millia Arabum. Percrebuit an. 1758. rebellantium adversus Lusitaniæ,

(*m*) Ingens pluvia Neapolim, & patriæ nostræ campestris anno 1757. pariter damno maximo affecit.

Hiſpaniarumque Reges in America Meridionali, maxime incolarum *Paraguajæ*, vulgaris rumor, ſparſique palam de hac rebellione, & conſtituta ibidem *Republica* libelli, non absque Religioſæ cujusdam Familiæ, cujus famæ nullatenus detrahere volumus, ignominia & dedecore.

Litterarum incremento ac ſplendori ſummi Principes hoc præſertim ſeculo animum applicuerunt. Academias ſacræ ac profanæ Hiſtoriæ in Urbe Roma Benedictus XIV. inſtituit: Præmia ſolventibus difficiliora problemata Galli, Angli, Ruſſi, aliique etiam olim inculti, ut ad ſtudia allicerent, decrevere. Novam docendi methodum ſcholis Rex Luſitanus præſcripſit. In Viennenſi Univerſitate Auguſtinenſem unum, & Thomiſtam alterum Theologum Imperatrix & Regina Auguſtiſſima Thereſia imbuendis ſacra Doctrina præfecit. Ex Auguſtinenſibus præelectus *Joſeph Azoni Senenſis*, uberrima ornatus eruditione.

Præter viros, quorum capite IV. meminimus, Eruditionis cujuslibet ornarunt ſpartam Scriptores accuratiſſimi. Quorum ut recenſeamus perpaucos; Græcam, Latinam, & Italicam eloquentiam excoluerunt, Florentiæ *Antonius Maria Salvini*, Patavii *Dominicus Lazzarinus*, *Jacobus Facciolati*, *Joannes Gratianus*, *Joannes Antonius Vulpius*, Piſis prælaudati *Alexander Politi*, *Eduardus Corſinius*, *Leopoldus Guadagni*, præſtantiſſimus quoque Jureconſultus. In Poeſi ſumma cum laude exercuerunt ingenii acumen *Joſeph Urſius*, *Scipio Maffejus*, *Joannes Petrus Zamotti*, *Petrus Metaſtaſius*, *Antonius Vannuchi*, ut mittam *Joannem Lamium*, *Antonium Philippum Adami*, & Etruriæ noſtræ, quæ muſarum dici poteſt domicilium, alios quamplurimos. Fuerunt inſuper, ac ſunt modo apud Italos, qui ex tempore verſus eloquentiſſimos dulciſſimis rythmis cecinere; quibus præteritis nuper annis præeminebat *Bernardinus Eques Perfetti* Senenſis, in Capitolio Poetica laurea coronatus anno 1725. quod ab ætate Franciſci Petrarchæ nunquam viderat

Ro-

Romanus populus. De Etrusca lingua, & hujus vetustate Editores amplissimi vocabularii, cujus volumen ultimum prodiit Florentiæ anno 1738. & alii complures optime promerentur, eosque sectatur *D. Salvator Corticellius* Cl. Regularis S. Pauli. De Matheſi pertractarunt editis in lucem voluminibus *Eustachius Manfredius*, *Thomas Perelli*, *Joannes Poleni*, *Julius Accetta* Augustinianus, *Franciscus Jaquier*, & *Thomas le-Seur* Ordinis Minimorum, *Joannes Baptista* Caraccioli Theatinus, *Octavianus Cametti* Ordinis Vallisumbrosæ, *Paulus Frisius* Clericus Regularis S. Pauli, *Rogerius Joseph Boscovich*, & *Leonardus Ximenes* Societatis Jesu, &c. De Philosophia scripsere post *Cl. Newton* permulti, manibusque nostratium teruntur libri *Petri*, & *Nicolai de Martino*, *Joannis Mariæ a Turre*, *Petri Van-Moschenbroeck*, *Antonii Genuensis*, *Verney*, *Gravesand*, *Joan. Alberti de Soria*, *Fortunati* a Brixia, *Joannis Baptistæ Beccaria*, aliorum. Qui pro Cartesii pugnarunt systemate, *Antonius le Grand*, *Franciscus de Regis*, *Edmundus Purchotius*, videntur jam exolescere. Philosophica Opera *Benedicti Stay* conscripta Latino carmine, singulari excepta sunt plausu. Nec desunt Aristotelicæ propugnatores sententiæ, quos commemorare non vacat. De re Medica *Antonius Vallisnerius*, *Richardus Mead*, *Hermannus Boerhaave*, *Antonius Cocchi*, *Janus Planeus*, *Dominicus Brogianus* solide eleganterque differuerunt. Jurisprudentiam illustrarunt *Zegerus-Bernardus Van-Espen*, *Joseph Averanius* Benedicti viri eloquentissimi frater, *Janus Vincentius Gravina*, qui libro I. *Originum Juris* celebriorum Auctorum censum agit. Adde compilatores Codicum *Amæderi* & *Friderici*: auctorem Operis inscripti *de l' Esprit des Loix*, *Franciscum Verde*, ne contexentes longiorem Catalogum etiam *Heinnecium*, *Voet*, *Puffendorfium*, *Barbeyracium*, *Cocceium*, *Boehmerum*, cæter sque recensendo, plusquam oporteat prolixum conficiamus Opusculum. (*n*) In hujus autem

(*n*) Eamdem ob causam plures hujus Seculi egregios poetas prætermisimus. Decesserat enim Londini anno 1701. *Joannes Dry-*

autem exitu apprecamur vita functus in Ecclesiæ communione æternam requiem, viventibus diuturnam vitam nominisque incrementum, nobisque a doctoribus veniam, ab æqualibus benevolentiam, ab inferioribus, si qui sunt, qualem nos cunctis impendimus, dilectionem.

Drydem: Parisiis anno 1702. Jo. *Commirius Soc. Jesu.* Eadem in Urbe anno 1703. *Carolus Perault:* Illic item anno 1705. *Stephanus Ravillon*: Herefordiæ in Anglia anno 1708. *Joannes Philipi:* Eodem anno Parisiis *Petrus Cornelius:* Ibidem anno 1710. *Alexander Lainez*? rursus anno 1711. *Eustachius le Noble*: Pariter anno 1713. *Franciscus Seraphinus Des-Marais:* in Hibernia anno 1719. *Willelmus Congreve:* S. Germani in Ledia anno 1720. *Antonius Hamilton:* Parisiis anno 1725. *Carolus de la Rue* Societatis Jesu, anno 1731. *Antonius Odoardus de la Mothe*; & anno 1741. *Carolus Rollin* Anno 1747. in eadem regia Parisiorum urbe *Franciscus Michael Descamps.* Mathematicos, *Heilbronnerum, Alembertum*, & *Eulerum*, Medicos præstantissimos *Haller, van Swieten*, rhetoresque ac Theologos *Sonellum*, a *Petra rubra*, aliosque nemo unus ignorat.

FINIS.

TABU-

TABULA
INDICUM.

Index I. *Chronologia Roman. Pontificum.*

Index II. *Chronol. Rom. Imperator.*

Index III. *Chronol. Conciliorum.*

Index IV. *Chronol. Hæreticorum.*

Index V. *Chronol. Sanctorum & Martyrum.*

Index VI. *Chronol. Scriptor. Ecclesiasticorum.*

Index VII. *Chronol. Scriptorum Profanorum.*

Index VIII. *Disciplinæ Eccles. & Rerum Notab.*

INDEX I.

CHRONOLOGICUS,

in quo Rom. Pontificum Electio & Obitus notatur.

S. Petrus *electus*	an. 40.	*obiit*	an. 65.	*p.* 67.	T. I.
S. Linus	an. 65.		an. 76.	*p.* 68.	T. I.
S. Cletus	an. 76.		an. 89.	*p.* -	T. I.
S. Clemens I.	an. 89.		an. 100.	*p.* -	T. I.
Anacletus	an. 98.		an. 100.	*p.* 94.	T. I.
S. Evaristus	an. 100.		an. 109.	*p.* 95.	T. I.
S. Alexander I.	an. 109.		an. 117.	*p.* -	T. I.
S. Sixtus I.	an. 117.		an. 127.	*p.* -	T. I.
S. Telesphorus	an. 127.		an. 138.	*p.* -	T. I.
S. Hyginus	an. 138.		an. 142.	*p.* 96.	T. I.
S. Pius I.	an. 142.		an. 156.	*p.* -	T. I.
S. Anicetus	an. 156.		an. 168.	*p.* -	T. I.
Soter	an. 168.		an. 177.	*p.* -	T. I.
S. Eleutherus	an. 177.		an. 192.	*p.* -	T. I.
Victor I.	an. 192.		an. 201.	*p.* -	T. I.
Zephyrinus	an. 201.		an. 219.	*p.* 117.	T. I.
S. Callistus I.	an. 219.		an. 224.	*p.* -	T. I.
S. Urbanus I.	an. 224.		an. 231.	*p.* 118.	T. I.
S. Pontianus	an. 231.		an. 235.	*p.* -	T. I.
Antherus	an. 236.		an. 236.	*p.* -	T. I.
S. Fabianus	an. 236.		an. 250.	*p.* -	T. I.
S. Cornelius	an. 250.		an. 252.	*p.* 119.	T. I.
Lucius I.	an. 252.		an. 253.	*p.* -	T. I.
Stephanus I.	an. 253.		an. 257.	*p.* -	T. I.
Sixtus II.	an. 257.		an. 258.	*p.* -	T. I.
Dyonisius	an. 258.		an. 271.	*p.* -	T. I.
S. Felix I.	an. 271.		an. 276.	*p.* 120.	T. I.
S. Eutychianus	an. 276.		an. 283.	*p.* -	T. I.
Cajus	an. 283.		an. 296.	*p.* -	T. I.
Marcellinus	an. 296.		an. 304.	*p.* 142.	T. I.
Marcellus I.	an. 304.		an. 309.	*p.* -	T. I.
S. Eusebius	an. 309.		an. 311.	*p.* 143.	T. I.
S. Melchiades	an. 311.		an. 313.	*p.* -	T. I.
S. Silvester I.	an. 314.		an. 335.	*p.* -	T. I.
S. Marcus	an. 336.		an. 336.	*p.* -	T. I.
S. Julius I.	an. 336.		an. 352.	*p.* -	T. I.
Liberius	an. 352.		an. 366.	*p.* -	T. I.
S. Felix II.			an. 380.	*p.* 144.	S. Dama-

S. Damasus I.	*elect.* an. 366.	*obiit*	an. 384.	*p.* 144.	T. I.
S. Siricius	an. 384.		an. 398.	*p.* -	T. I.
S. Anastasius I.	an. 398.		an. 402.	*p.* -	T. I.
Innocentius I.	an. 402.		an. 417.	*p.* 172.	T. I.
Zosimus	an. 417.		an. 418.	*p.* -	T. I.
S. Bonifacius I.	an 418.		an. 423.	*p.* -	T. I.
S. Cælestinus I.	an. 423.		an. 432.	*p.* 173.	T. I.
Sixtus III.	an. 432.		an. 440.	*p.* -	T. I.
S. Leo I. Magnus	an. 440.		an. 461.	*p.* -	T. I.
Hilarius	an. 461.		an. 467.	*p.* -	T. I.
S. Simplicius	an. 467.		an. 483.	*p.* 174.	T. I.
Felix III.	an. 483.		an. 492.	*p.* -	T. I.
S. Gelasius I.	an. 497.		an. 496.	*p.* -	T. I.
Anastasius II.	an. 496.		an. 498.	*p.* -	T. I.
Symmachus	an. 498.		an. 514.	*p.* -	T. I.
Hormisdas	an. 514.		an. 523.	*p.* 201.	T. I.
S. Joannes I.	an. 523.		an. 526.	*p.* 202.	T. I.
S. Felix IV.	an. 526.		an. 530.	*p.* -	T. I.
Bonifacius II.	an. 530.		an. 532.	*p.* -	T. I.
Dioscorus Antipapa				*p.* 153.	T. I.
Joannes II.	an. 532.		an. 535.	*p.* 203.	T. I.
S. Agapitus I.	an. 535.		an. 536.	*p.* -	T. I.
Silverius	an. 536.		an. 540.	*p.* -	T. I.
Vigilius	an. 540.		an. 555.	*p.* 204.	T. I.
Pelagius	an. 555.		an. 560.	*p.* -	T. I.
Joannes III.	an. 560.		an. 573.	*p.* -	T. I.
Benedictus I.	an. 574.		an. 578.	*p.* -	T. I.
Pelagius II.	an. 578.		an. 590.	*p.* 205.	T. I.
Gregorius M.	an. 590.		an. 604.	*p.* -	T. I.
Sabinianus	an. 604.		an. 606.	*p.* 233.	T. I.
Bonifacius III.	an. 607.		an. 607.	*p.* -	T. I.
Bonifacius IV.	an. 607.		an. 615.	*p.* 234.	T. I.
S. Deusdedit	an. 615.		an. 618.	*p.* -	T. I.
Bonifacius V.	an. 618.		an. 625.	*p.* -	T. I.
Honorius I.	an. 625.		an. 638.	*p.* -	T. I.
Severinus	an. 639.		an. 640.	*p.* -	T. I.
Joannes IV.	an. 640.		an. 642.	*p.* -	T. I.
Theodorus I.	an. 642.		an. 649.	*p.* 235.	T. I.
S. Martinus I.	an. 649.		an. 655.	*p.* -	T. I.
S. Eugenius I.	an. 655.		an. 657.	*p.* -	T. I.
S. Vitalianus	an. 657.		an. 672.	*p.* -	T. I.
Adeodatus	an. 672.		an. 676.	*p.* -	T. I.

Donus I. *electus*	an. 676. *obiit*	an. 678.	p. 235	T. I
S. Agatho	an. 678.	an. 682.	p. 236	T. I
S. Leo II.	an. 682.	an. 683.	p. -	T. I
S. Benedictus II.	an. 684.	an. 685.	p. -	T. I
Joannes V.	an. 685.	an. 686.	p. -	T. I
Conon	an. 686.	an. 687.	p. -	T. I
Sergius I.	an. 687.	an. 701.	p. -	T. I
Joannes VI.	an. 701.	an. 705.	p. 259	T. I
Joannes VII.	an. 705.	an. 707.	p. -	T. I
Sisinnius	an. 708.	an. 708.	p. 260	T. I
Constantinus	an. 708.	an. 715.	p. -	T. I
S. Gregorius II.	an. 715.	an. 731.	p. 261	T. I
Gregorius III.	an. 731.	an. 741.	p. -	T. I
Zacharias	an. 741.	an. 752.	p. -	T. I
Stephanus II.	an. 752.	an. 757.	p. 262	T. I
S. Paulus I.	an. 757.	an. 767.	p. 263	T. I
Constantinus Antipapa			p. -	T. I
Stephanus III.	an. 768.	an. 772.	p. -	T. I
Hadrianus I.	an. 772.	an. 795.	p. -	T. I
Leo III.	an. 795.	an. 816.	p. 264	T. I
Stephanus IV.	an. 816.	an. 817.	p. 288	T. I
S. Paschalis I.	an. 817.	an. 824.	p. -	T. I
Eugenius II.	an. 824.	an. 827.	p. 289	T. I
Valentinus	an. 827.	an. 827.	p. -	T. I
Gregorius IV.	an. 827.	an. 844.	p. -	T. I
Sergius II.	an. 844.	an. 847.	p. 290	T. I
S. Leo IV.	an. 847.	an. 855.	p. -	T. I
Benedictus III.	an. 855.	an. 858.	p. -	T. I
Anastasius Antipapa			p. -	T. I
S. Nicolaus I.	an. 858.	an. 867.	p. 292	T. I
Hadrianus II.	an. 867.	an. 872.	p. -	T. I
Joannes VIII.	an. 872.	an. 882.	p. 293	T. I
Marinus I.	an. 882.	an. 884.	p. -	T. I
Hadrianus III.	an. 884.	an. 885.	p. -	T. I
Stephanus V.	an. 885.	an. 891.	p. -	T. I
Formosus	an. 891.	an. 896.	p. 294	T. I
Bonifacius VI.	an. 896.	an. 896.	p. 295	T. I
Stephanus VI.	an. 896.	an. 897.	p. -	T. I
Romanus	an. 897.	an. 898.	p. 296	T. I
Theodorus II.	an. 898.	an. 898.	p. -	T. I
Joannes IX.	an. 898.	an. 900.	p. -	T. I
Benedictus IV.	an. 900.	an. 903.	p. 319	T. I

Leo V. *electus*	an. 903	*obiit* an. 903	*p.* 319	T. I
Christophorus	an. 903	an. 904	*p.* -	T. I
Sergius III.	an. 904	an. 911	*p.* 320	T. I
Anastasius III.	an. 911	an. 913	*p.* -	T. I
Landus	an. 913	an. 914	*p.* -	T. I
Joannes X.	an. 914	an. 928	*p.* 320	T. I
Leo VI.	an. 928	an. 929	*p.* -	T. I
Stephanus VII.	an. 929	an. 931	*p.* -	T. I
Joannes XI.	an. 931	an. 936	*p.* 321	T. I
Leo VII.	an. 936	an. 939	*p.* -	T. I
Stephanus VIII.	an. 939	an. 942	*p.* -	T. I
Marinus II.	an. 942	an. 946	*p.* -	T. I
Agapetus II.	an. 946	an. 957	*p.* -	T. I
Joannes XII.	an. 957	an. 964	*p.* 322	T. I
Leo VIII. Antipapa			*p.* -	T. I
Benedictus V.	an. 964	an. 965	*p.* -	T. I
Joannes XIII.	an. 965	an. 972	*p.* 323	T. I
Benedictus VI.	an. 972		*p.* -	T. I
Bonifacius VII. Antipapa			*p.* -	T. I
Donus II.	an. 974	an. 975	*p.* -	T. I
Benedictus VII.	an. 975	an. 984	*p.* -	T. I
Joannes XIV.	an. 984	an. 985	*p.* -	T. I
Joannes XV.	an. 985	an. 996	*p.* 324	T. I
Gregorius V.	an. 996	an. 999	*p.* -	T. I
Silvester II.	an. 999	an. 1003	*p.* -	T. I
Joannes XVII.	an. 1003	an. 1003	*p.* 57	T. II
Joannes XVIII.	an. 1003	an. 1009	*p.* 58	T. II
Servius IV.	an. 1009	an. 1009	*p.* -	T. II
Benedictus VIII.	an. 1009	an. 1024	*p.* -	T. II
Joannes XIX.	an. 1024	an. 1033	*p.* 59	T. II
Benedictus IX.	an. 1033	an. 1044	*p.* -	T. II
Gregorius VI.	an. 1044	an. 1046	*p.* -	T. II
Clemens II.	an. 1046	an. 1047	*p.* -	T. II
Damasus II.	an. 1047	an. 1048	*p.* -	T. II
S. Leo IX.	an. 1048	an. 1054	*p.* -	T. II
Victor II.	an. 1055	an. 1057	*p.* 60	T. II
Stephanus IX.	an. 1057	an. 1058	*p.* -	T. II
Benedictus X. Antipapa			*p.* -	T. II
Nicolaus II.	an. 1059	an. 1061	*p.* -	T. II
Alexander II.	an. 1061	an. 1073	*p.* 61	T. II
Honorius II. Antipapa			*p.* -	T. II
S. Gregorius VII.	an. 1073.	an. 1085	*p.* -	T. II

Clemens III. Antipapa obiit			*p.* 62	T. 2
Victor III. *elect.*	an. 1086	an. 1087	*p.* 63	T. 2
Urbanus II.	an. 1087	an. 1099	*p.* -	T. 2
Paschalis II.	an. 1099	an. 1118	*p.* -	T. 2
Gelasius II.	an. 1118	an. 1119	*p.* 89	T. 2
Callistus II.	an. 1119	an. 1124	*p.* -	T. 2
Honorius II.	an. 1124	an. 1130	*p.* 90	T. 2
Innocentius II.	an. 1130	an. 1143	*p.* -	T. 2
Cælestinus II.	an. 1143	an. 1144	*p.* 91	T. 2
Lucius II.	an. 1144	an. 1145	*p.* -	T. 2
Eugenius III.	an. 1145	an. 1153	*p.* -	T. 2
Anastasius IV.	an. 1153	an. 1154	*p.* 92	T. 2
Hadrianus IV.	an. 1154	an. 1159	*p.* -	T. 2
Alexander III.	an. 1159	an. 1181	*p.* -	T. 2
Lucius III.	an. 1181	an. 1185	*p.* 94	T. 2
Urbanus III.	an. 1185	an. 1187	*p.* -	T. 2
Gregorius VIII.	an. 1187	an. 1187	*p.* -	T. 2
Clemens III.	an. 1188	an. 1191	*p.* -	T. 2
Cælestinus III.	an. 1191	an. 1198	*p.* -	T. 2
Innocentius III.	an. 1199	an. 1216	*p.* -	T. 2
Honorius III.	an. 1216	an. 1227	*p.* 122	T. 2
Gregorius IX.	an. 1227	an. 1241	*p.* 123	T. 2
Cælestinus IV.	an. 1241	an. 1243	*p.* 124	T. 2
Innocentius IV.	an. 1243	an. 1254	*p.* -	T. 2
Alexander IV.	an. 1254	an. 1261	*p.* -	T. 2
Urbanus IV.	an. 1261	an. 1264	*p.* -	T. 2
Clemens IV.	an. 1265	an. 1268	*p.* 125	T. 2
Gregorius X.	an. 1271	an. 1276	*p.* -	T. 2
Innocentius V.	an. 1276	an. 1276	*p.* -	T. 2
Hadrianus V.	an. 1276	an. 1276	*p.* 126	T. 2
Joannes XXI.	an. 1276	an. 1277	*p.* -	T. 2
Nicolaus III.	an. 1277	an. 1281	*p.* -	T. 2
Martinus IV.	an. 1281	an. 1285	*p.* -	T. 2
Honorius IV.	an. 1285	an. 1287	*p.* 127	T. 2
Nicolaus IV.	an. 1287	an. 1292	*p.* -	T. 2
Cælestinus V.	an. 1294	an. 1294	*p.* -	T. 2
Bonifacius VIII.	an. 1294	an. 1303	*p.* 128	T. 2
Benedictus XI.	an. 1303	an. 1304	*p.* 158	T. 2
Clemens V.	an. 1305	an. 1314	*p.* -	T. 2
Joannes XXII.	an. 1316	an. 1334	*p.* 159	T. 2
Benedictus XII.	an. 1334	an. 1342	*p.* 160	T. 2
Clemens VI.	an. 1342	an. 1352	*p.* 161	Inno-

Innocent. VI.	*elect.* an. 1352	*obiit* an. 1362	*p.* -	T. 2
Urbanus V.	an. 1362	an. 1369	*p.* -	T. 2
Gregorius XI.	an. 1370	an. 1378	*p.* 162	T. 2
Urbanus VI.	an. 1378	an. 1389	*p.* -	T. 2
Bonifacius IX.	an. 1389	an. 1403	*p.* -	T. 2
Innocentius VII.	an. 1404	an. 1406	*p.* 191	T. 2
Gregorius XII.	an. 1406	an. 1417	*p.* 192	T. 2
Alexander V.	an. 1409	an. 1410	*p.* -	T. 2
Joannes XXIII.	an. 1410	an. 1415	*p.* 193	T. 2
Martinus V.	an. 1417	an. 1431	*p.* -	T. 2
Eugenius IV.	an. 1431	an. 1447	*p.* 194	T. 2
Nicolaus V.	an. 1447	an. 1455	*p.* 195	T. 2
Calixtus III.	an. 1455	an. 1458	*p.* 196	T. 2
Pius II.	an. 1458	an. 1464	*p.* -	T. 2
Paulus II.	an. 1464	an. 1471	*p.* 197	T. 2
Sixtus IV.	an. 1471	an. 1484	*p.* -	T. 2
Innocentius VIII.	an. 1484	an. 1492	*p.* -	T. 2
Alexander VI.	an. 1492	an. 1503	*p.* 198	T. 2
Pius III.	an. 1503	an. 1503	*p.* 227	T. 2
Julius II.	an. 1503	an. 1513	*p.* -	T. 2
Leo X.	an. 1513	an. 1521	*p.* 228	T. 2
Hadrianus VI.	an. 1522	an. 1523	*p.* 230	T. 2
Clemens VII.	an. 1523	an. 1534	*p.* -	T. 2
Paulus III.	an. 1534	an. 1549	*p.* 231	T. 2
Julius III.	an. 1550	an. 1555	*p.* -	T. 2
Marcellus II.	an. 1555	an. 1555	*p.* 232	T. 2
Paulus IV.	an. 1555	an. 1559	*p.* -	T. 2
Pius IV.	an. 1559	an. 1565	*p.* 233	T. 2
S. Pius V.	an. 1566	an. 1572	*p.* -	T. 2
Gregorius XIII.	an. 1572	an. 1585	*p.* -	T. 2
Sixtus V.	an. 1585	an. 1590	*p.* 234	T. 2
Urbanus VII.	an. 1590	an. 1590	*p.* 235	T. 2
Gregorius XIV.	an. 1590	an. 1591	*p.* 236	T. 2
Innocentius IX.	an. 1591	an. 1591	*p.* -	T. 2
Clemens VIII.	an. 1592	an. 1605	*p.* -	T. 2
Leo XI.	an. 1605	an. 1605	*p.* 293	T. 2
Paulus V.	an. 1605	an. 1621	*p.* -	T. 2
Gregorius XV.	an. 1621	an. 1623	*p.* 294	T. 2
Urbanus VIII.	an. 1623	an. 1644	*p.* -	T. 2
Innocentius X.	an. 1644	an. 1655	*p.* 296	T. 2
Alexander VII.	an. 1655	an. 1667	*p.* 297	T. 2
Clemens IX.	an. 1667	an. 1669	*p.* -	T. 2

Clemens X. *elect.*	an. 1669	*obiit* an. 1676	*p.* 298	T. 2
Innocentius XI.	an. 1676	an. 1689	*p.* -	T. 2
Alexander VIII.	an. 1689	an. 1691	*p.* 299	T. 2
Innocentius XII.	an. 1691	an. 1700	*p.* -	T. 2
Clemens XI.	an. 1700	an. 1721	*p.* 300	T. 2
Innocentius XIII.	an. 1721	an. 1724	*p.* 347	T. 2
Benedictus XIII.	an. 1724	an. 1730	*p.* 348	T. 2
Clemens XII.	an. 1730	an. 1740	*p.* 350	T. 2
Benedictus XIV.	an. 1740	an. 1758	*p.* 351	T. 2
Clemens XIII.	an. 1758		*p.* 352	T. 2

Clem XIV Pius VI
Pius VII Leo XII Pio VIII

Gregorius XVI. 1831.

INDEX II.

CHRONOLOGICUS,

in quo Rom. Imperatorum Obitus notatur.

Octavianus Aug.	*obiit*	an. 14	*p.* 77	T. 1
Tiberius		an. 17	*ibid.*	
C. Caligula		an. 41	*p.* 78	T. 1
Claudius		an. 54	*p.* 79	
Nero		an. 68	*ibid.*	T. 1
Galba		an. 68	*p.* 80	
Otho		an. 68	*ibid.*	
Vitellius		an. 69	*ibid.*	
Veſpaſianus		an. 70	*ibid.*	T. 1
Titus Veſpaſianus		an. 81	*p.* 81	
Domitianus		an. 96	*ibid.*	T. 1
Nerva Coccejus		an. 98	*p.* 82	T. 1
M. Ulpius Trajanus		an. 107	*p.* 105	T. 1
Ælius Hadrianus		an. 138	*p.* 106	T. 1
Antonius Pius		an. 161	*p.* 107	
M. Aurelius Antoninus Verus		an. 180	*ibid.*	T. 1
L. Aurelius Commodus		an. 192	*p.* 108	T. 1
P. Helvius Pertinax		an. 193	*p* 109	
Septimius Severus		an. 211	*ibid.*	

M. Aurelius Baſſianus *obiit.* Antonius Caracalla	an. 217	*p.* 129	T. 1
Opelius Severus Macrinus	an. 221	*p.* 130	
Aur. Severus Alexander	an. 235	*ibid.*	
Julius Maximus	an. 236	*p.* 131	T. 1
M. Ant. Gordianus	an. 237	*ibid.*	
M. Ant. Gord. Junior	an. 244	*p.* 132	
Philippus	an. 249	*p.* 132	T. 1
Q. Trajanus Decius	an. 251	*ibid.*	
C. Vibius Trebonian. Gal. cum Voluſ.	an. 254	*p.* 133	T. 1
M. Emilianus	an. 257	*ibid.*	
P. Licin. Valerianus	an. 259	*ibid.*	
P. Licin. Gallienus	an. 268	*ibid.*	
M. Aur. Claudius	an. 270	*p.* 134	T. 1
L. Domit. Aurelian.	an. 275	*ibid.*	
M. Claudius Tacitus	an. 276	*p.* 135	T. 1
M. Annius Florian.	an. 276	*ibid.*	
Probus	an. 282	*ibid.*	
M. Aur. Carinus	an. 283	*ibid.*	
M. Aur. Numerian.	an. 284	*ibid.*	
Valerius Diocletianus, & M. Aurelius Maximianus	an. 305	*p.* 135 & 186	
Maximianus Galerius, & Conſtantius Chlorus	an. 306	*p.* 158 & 159	T. 1
Conſtantinus M.	an. 337	*p.* 159	
Fratres Conſtantin.	an. 340	*p.* 161	T. 1
Fratres Conſtans	an. 350	*ibid.*	
Fratres Conſtantius	an. 361	*ibid.*	
Julianus Apoſtata	an. 363	*p.* 162	
Jovianus	an. 364	*ibid.*	T. 1
Valentinianus Sen.	an. 375	*p.* 163	
Gratianus	an. 383	*ibid.*	
Valentinianus Jun.	an. 392	*ibid.*	
Theodoſius	an. 395	*ibid.*	

A Theodosii Imp. morte divisum est Imperium inter
IMPERATORES
OCCIDENTIS.

Honorius	*obiit*	an. 423	*p.* 163	T. I
Valentinianus III.		an. 455	*p.* 168	T. I
Petronius Maximus		an. 455	*p.* 187	
Fl. Mæcilius Avitus		an. 457	*ibid.*	
Fl. Jul. Majoran.		an. 461	*ibid.*	
Vibius Severus		an. 465	*ibid.*	
Fl. Anthemius		an. 471	*p.* 188	
Fl. Anicius Olybrius		an. 472	*ibid.*	
Glycerius		an. 474	*ibid.*	
Julius Nepos		an. 475	*ibid.*	
Augustulus		an. 476	*ibid.*	T. I

Imperium Occidentis intermittitur
ad VIII. Seculum
usque.

Impe-

&

IMPERATORES ORIENTIS.

Arcadius	*obiit*	an. 408	*p.* 163	T. 1
Theodosius Junior		an. 450	*p.* 188	T. 1
Fl. Valer. Marcianus		an. 457	*p.* 189	
- - - - -				
- - - - -				
- - - - -				
Leo I.		an. 474	*p.* 189	
Leo II.		an. 474	*ibid.*	
- - - - -				
- - - - -				
Zeno		an. 401	*ibid.*	
Fl. Valer. Anastasius		an. 518	*ibid.*	T. 1
Fl. Anic. Justinus		an. 527	*p.* 220	T. 1
Fl. Justinianus		an. 565	*p.* 222	T. 1
Justinus Junior		an. 578	*p.* 223	T. 1
Tib. Constantinus		an. 582	*ibid.*	T. 1
Mauritius		an. 602	*ibid.*	
Phocas		an. 610	*p.* 245	T. 1
Heraclius		an. 641	*p.* 246	T. 1
Constantinus III.		an. 641	*p.* 247	
Heracleonas		an. 641	*p.* 247	T. 1
Heracl. Constans II.		an. 668	*ibid.*	T. 1
Constantinus IV.		an. 685	*p.* 248	
Justinianus II.		an. 695	*p.* 249	T. 1
Leontius		an. 698	*ibid.*	
Absimarus		an. 705	*ibid.*	
Justinianus II. iterum Imp.		an. 711	*p.* 250	T. 1
Phileppicus		an. 713	*p.* 273	
Arthemius sive Anastasius II.		an. 715	*p.* 274	T. 1
Theodosius III.		an. 717	*ibid.*	
Leo III.		an. 741	*ibid.*	
Constantinus Copronymus		an. 775	*p.* 275	T. 1
Leo IV.		an. 780	*p.* 276	
Constantinus VI.		an. 797	*ibid.*	
Irenes hujus mater		an. 802	*p.* 277	

IMPERATORES OCCIDENTIS.

Imperium Occidentale revivisçit in Carolo Magno.

Carolus Magnus	an. 814	*p.* 305	T. 1
Ludovicus Pius	an. 840	*p.* 306	
Lotharius	an. 855	*ibid.*	T. 1
Ludovicus II.	an. 875	*p.* 307	
Carolus II.	an. 877	*p.* 308	T. 1
Carolus III.	an. 886	*ibid.*	
Wido	an. 894	*ibid.*	
Lambertus	an. 896	*p.* 309	
Arnulphus	an. 899	*ibid.*	
Ludovicus III.	an. 902	*ibid.*	T. 1
Interregnum, licet alii accenseant Impp.			
Berengarium	an. 924	*ibid.*	T. 1
Conradum		*p.* 232	T. 1
Henricum		*ibid.*	
Otho I. Magnus	an. 962	*p.* 331	T. 1
Otho II.	an. 983	*p.* 332	
Otho III.	an. 1002	*ibid.*	T. 1
Henricus II.	an. 1024	*p.* 74	T. 2
Conradus II.	an. 1039	*p.* 76	
Henricus III.	an. 1067	*ibid.*	
Henricus IV.	an. 1106	*p.* 77	T. 2
Henricus V.	an. 1125	*p.* 108	T. 2

Lotha-

IMPERATORES ORIENTIS.

Nicephorus	an. 811	*p.* 310	T. 1
Michael Curopalat.	an. 813	*ibid.*	
Leo V.	an. 820	*ibid.*	
Michael II.	an. 829	*ibid.*	
Michael III.	an. 867	*ibid.*	
- - - - - -			
- - - - - -			
- - - - - -			
Basilius Macedo	an. 886	*ibid.*	
- - - - - -			
- - - - - -			
- - - - - -			
Leo VI.	an. 911	*ibid.*	
Constantinus VII.	an. 959	*p.* 334	T. 1
Romanus	an. 961	*ibid.*	T. 1
Nicephorus Phocas	an. 969	*p.* 335	
Joannes Tzimisces	an. 976	*ibid.*	
- - - - - -			
- - - - - -			
Basilius II.	an. 1005	*ibid.*	
Constantinus VIII. ejus frater.	an. 1028	*ibid.*	
Romanus Argyrus	an. 1034	*p.* 78	T. 2
Michael Paphlago	an. 1041	*ibid.*	
Michael V. Calaph.	an. 1042	*ibid.*	
Constantinus Monomachus	an. 1054	*ibid.*	
Theodora	an. 1055	*ibid.*	
Michael VI.	an. 1056	*ibid.*	
Isaacius Comnenus	an. 1059	*ibid.*	
Constantinus Ducas	an. 1067	*ibid.*	
Eudocia	an. 1071	*ibid.*	
Michael VII.	an. 1078	*ibid.*	
Nicephorus Botoniates	an. 1081	*ibid.*	
Alexius Comnenus	an. 1118	*ibid.*	
- - - - - -			
Joannes Comnenus	an. 1143	*p.* 111	T. 2
- - - - - -			
- - - - - -			

IMPERATORES OCCIDENTIS.

Lotharius II. *obiit*	an. 1137	*p.* 109	
Conradus III.	an. 1152	*ibid.*	
Fridericus Ænobarbus	an. 1190	*p.* 110	T. 2
Henricus VI.	an. 1197	*ibid.*	
Otho IV.	an. 1214	*p.* 142	
Fridericus II.	an. 1245	*p.* 143	T. 2
Rodulphus Magnus	an. 1291	*p.* 146	T. 2
Adulphus	an. 1298	*p.* 147	
Albertus Monocol.	an. 1308	*ibid.*	
Henricus VII.	an. 1313	*p.* 176	T. 2
Fridericus III.	an. 1330	*p.* 177	
Ludovicus Bavar.	an. 1347	*ibid.*	
Carolus IV.	an. 1378	*ibid.*	T. 2
Vinceslaus	an. 1400	*p.* 178	
Rupertus Bavarus	an. 1410	*ibid.*	
Sigismundus	an. 1437	*p.* 211	T. 2
Albertus II. Austriacus	an. 1439	*p.* 212	
Fridericus IV.	an. 1493	*p.* 213	T. 2
Maximilianus I.	an. 1519	*ibid.*	
Carolus V.	an. 1556	*p.* 272	T. 2

IMPERATORES ORIENTIS.

Manuel	*obiit*	an. 1180	*ibid.*	
Alexius		an. 1183	*ibid.*	
Andronicus		an. 1185	*ibid.*	
Isaacius Angelus		an. 1195	*ibid.*	
Alexius Angelus.		an. 1203	*ibid.*	T. 2
Alexius Ducas		an. 1204	*p.* 148	T. 2

Dehinc divisum est Imperium Orientis, etenim Adrianopoli regnarunt,

Theodorus Lascaris				
Joannes Ducas				
Theodorus Lascaris Junior				
Joannis filius		an. 1261	*p.* 148	T. 2

Trapezunte regnarunt Impp. VIII.

Comneni		an. 1262	*p.* 149	T. 2
Balduinus I.		an. 1205	*ibid.*	
Henricus Frater		an. 1216	*ibid.*	
Petr. de Cortimaco		an. 1217	*ibid.*	
Rubertus		an. 1228	*ibid.*	
Balduinus II.		an. 1261	*ibid.*	
Michael Palæologus		an. 1280	*ibid.*	
Andronicus II. Palæol.				
Andronicus Junior			*ibid.*	
Andronicus III.		an. 1341	*p.* 180	T. 2
Joannes Cantacuzenus		an. 1355	*ibid.*	
Joannes I. Palæol.		an. 1391	*ibid.*	& *seq.*
Manuel Palæol.		an. 1423	*ibid.*	T. 2
Joannes Palæologus II.		an. 1449	*p.* 214	T. 2
Constantinus Palæologus		an. 1453	*ibid.*	

IMPERATORES OCCIDENTIS.

Ferdinandus I.	*obiit*	an. 1564	*p.* 273	T. 2
Maximilianus II.		an. 1576	*ibid.*	
Rodulphus II.		an. 1612	*p.* 274	
Mathias		an. 1619	*p.* 328	T. 2
Ferdinandus II.		an. 1637	*ibid.*	
Ferdinandus III.		an. 1657	*ibid.*	
Leopoldus		an. 1705	*p.* 329	T. 2
Joſeph		an. 1711	*p.* 372	T. 2
Carolus VI		an. 1740	*ibid.*	
Carolus VII.		an. 1745	*p.* 374	T. 2
Franciſcus Stephanus		an. 1765	*ibid.*	

INDEX III.

CONCILIORUM

Alphabetico-Chronologicus.

Abrineatenſe	an. 1171	*p.* 98	T. 2
Africanum	an. 401	*p.* 177	T. 1
Africanum	an. 425	*ibid.*	T. 1
Agathenſe	an. 506	*p.* 211	T. 1
Alexandrinum	an. 230	*p.* 121	T. 1
Alexandrinum	an. 315	*p.* 146	T. 1
Alexandrinum	an. 349	*p.* 147	T. 1
Alexandrinum	an. 399	*p.* 148	T. 1
Alexandrinum	an. 633	*p.* 137	T. 1
Altinenſe	an. 802	*p.* 197	T. 1
Anciranum	an. 314	*p.* 146	T. 1
Anglicanum	an. 679	*p.* 238	T. 1
Anicienſe	an. 1130	*p.* 97	T. 2
Anſanum	an. 1112	*p.* 96	T. 2
Antiochenum	an. 265	*p.* 122	T. 1
Antiochenum	an. 270	*ibid.*	
Antiochenum	an. 417	*p.* 176	T. 1
Apoſtolorum I.		*p.* 70	T. 1
Apoſtolorum II.		*ibid.*	

IMPERATORES ORIENTIS.

Apoſtolorum III.	an. 50	*ibid.*	
Aquenſe	an. 1584	*p.* 241	T. 2
Aquilejenſe	an. 381	*p.* 148	T. 1
Aquilejenſe	an. 553	*p.* 210	T. 1
Aquilejenſe	an. 695	*p.* 239	T. 1
Aquilejenſe	an. 1596	*p.* 241	T. 2
Aquiſgranenſe	an. 797	*p.* 268	T. 1
Aquiſgranenſe	an. 799	*p.* 267	T. 1
Aquiſgranenſe	an. 802	*p.* 299	T. 1
Aquiſgranenſe	an. 816	*ibid.*	
Aquiſgranenſe	an. 828	*ibid.*	
Arauſicanum	an. 441	*p.* 177	T. 1
Arauſicanum	an. 529	*p.* 209	T. 1
Arelatenſe	an. 314	*p.* 146	T. 1
Arelatenſe	an. 427	*p.* 176	T. 1
Arelatenſe	an. 452	*p.* 177	T. 1
Arelatenſe	an. 813	*p.* 299	T. 1
Arelatenſe	an. 1210	*p.* 131	T. 2
Ariminenſe	an. 359	*p.* 147	T. 1
Avenionenſe	an. 1209	*p.* 131	T. 2
Avenionenſe	an. 1270	*p.* 132	
Avenionenſe	an. 1594	*p.* 241	T. 2
Aurelianenſe	an. 511	*p.* 211	T. 1
Aurelianenſe	an. 533	*ibid.*	
Aurelianenſe	an. 645	*p.* 238	T. 1

Aurelianenſe	an. 1017	*p.* 66	T. 2
Auſcitanum	an. 1308	*p.* 165	T. 2
Auximanum	an. 1077	*p.* 302	T. 2

B.

Bagenſe	an. 394	*p.* 146	T. 1
Barcinonenſe	an. 540	*p.* 211	T. 1
Barcinonenſe	an. 599	*p.* 212	
Barcinonenſe	an. 1387	*p.* 165	T. 2
Barenſe	an. 1097	*p.* 66	T. 2
Bellovacenſe	an. 1114	*p.* 96	T. 2
Beneventanum	an. 1087	*p.* 65	T. 2
Beneventanum	an. 1117	*p.* 97	T. 2
Bituricenſe	an. 1438	*p.* 203	T. 2
Blachernenſe	an. 754	*p.* 266	T. 1
Boſtrenum	an. 244	*p.* 121	T. 1
Bracarenſe	an. 563	*p.* 209	T. 1
Bracarenſe	an. 572	*p.* 211	T. 1
Brionenſe	an. 1050	*p.* 66	T. 2
Burdigalenſe	an. 385	*p.* 148	T. 1
Burdigalenſe	an. 1079	*p.* 66	T. 2
Burdigalenſe	an. 1624	*p.* 302	T. 2
Burgundienſe	an. 935	*p.* 325	T. 1
Byzacenum	an. 507	*p.* 209	T. 1
Byzacenum	an. 646	*p.* 238	

C.

Cabilonenſe	an. 579	*p.* 208	T. 1
Cabilonenſe	an. 833	*p.* 299	T. 1
Cæſarauguſtanum	an. 380	*p.* 148	T. 1
Cæſarauguſtanum	an. 592	*p.* 212	T. 1
Cæſareenſe	an. 334	*p.* 147	T. 1
Cæſenatenſe	an. 1693	*p.* 333	T. 2
Cantuarienſe	an. 969	*p.* 326	T. 1
Capuanum	an. 389	*p.* 148	T. 1
Capuanum	an. 1118	*p.* 69	T. 2
Cariſiacum	an. 849	*p.* 299	T. 1
Carthaginenſe	an. 215	*p.* 121	T. 1
Carthaginenſe	an. 251	*ibid.*	
Carthaginenſe	an. 252	*ibid.*	
Carthaginenſe	an. 254	*ibid.*	
Carthaginenſe	an. 255	*ibid.*	

Carthaginense	an. 256	*ibid.*	
Carthaginense	an. 256	*ibid.*	
Carthaginense	an. 306	*p.* 146	T. 1
Carthaginense	an. 348	*ibid.*	
Carthaginense	an. 390	*ibid.*	T. 1
Carthaginense	an. 398	*ibid.*	
Carthaginense	an. 399	*ibid.*	
Carthaginense	an. 403	*p.* 177	T. 1
Carthaginense	an. 404	*p.* 175	T. 1
Carthaginense	an. 405	*ibid.*	
Carthaginense	an. 406	*ibid.*	
Carthaginense	an. 411	*ibid.*	
Carthaginense	an. 418	*p.* 176	
Carthaginense	an. 646	*p.* 238	T. 1
Chalcedonense IV. Oecum.	an. 451	*p.* 176	T. 1
Cirtense	an. 305	*p.* 145	T. 1
Claromontanum	an. 1055	*p.* 66	T. 2
Clovelhovienſe	an. 742	*p.* 268	T. 1
Colonienſe	an. 1118	*p.* 96	T. 2
Colonienſe	an. 1536	*p.* 241	T. 2
Compendienſe	an. 756	*p.* 268	T. 1
Compendienſe	an. 1303	*p.* 167	T. 2
Conſtantienſe	an. 1122	*p.* 96	T. 2
Conſtantienſe	an. 1414	*p.* 201	T. 2
Conſtantinopol.	an. 336	*p.* 147	T. 1
Conſtantinopol. II. Oecum.	an. 381	*p.* 148	T. 1
Conſtantinopol.	an. 417	*p.* 176	T. 1
Conſtantinopol.	an. 448	*ibid.*	T. 1
Conſtantinopol.	an. 518	*p.* 209	T. 1
Conſtantinopol. V. Oecum.	an. 551	*ibid.*	T. 1
Conſtantinopol.	an. 639	*p.* 237	T. 1
Conſtantinopol. VI. Oecum.	an. 680	*p.* 238	T. 1
Conſtantinopol.	an. 754	*p.* 266	T. 1
Conſtantinopol.	an. 806	*p.* 297	T. 1
Conſtantinopol.	an. 814	*p.* 298	T. 1
Conſtantinopol.	an. 842	*ibid.*	
Conſtantinopol.	an. 854	*ibid.*	T. 1
Conſtantinopol.	an. 861	*ibid.*	

Constantinopol. VIII. Oecum.	an. 869	*ibid.*	T. 1
Constantinopol.	an. 879	*ibid.*	
Constantinopol.	an. 902	*p.* 326	T. 1
Constantinopol.	an. 944	*p.* 325	T. 1
Constantinopol.	an. 1143	*p.* 97-81	T. 2
Constantinopol.	an. 1185	*p.* 131	T. 2
Constantinopol.	an. 1341	*p.* 166	T. 2
Constantinopol.	an. 1638	*p.* 301	T. 2
Constantinopol.	an. 1642	*ibid.*	
Constantinopol.	an. 1672	*ibid.*	
Copenhagense	an. 1425	*p.* 203	T. 2
D.			
Dertosanum	an. 1429	*p.* 203	T. 2
Diospolitanum	an. 415	*p.* 176	T. 1
Divionense	an. 1199	*p.* 98	T. 2
Duisburgense	an. 927	*p.* 326	T. 1
E.			
Eliberitanum	an. 305	*p.* 145	T. 1
Ephesinum	an. 255	*p.* 122	T. 1
Ephesinum III. Oecum.	an. 431	*p.* 176	T. 1
Erfordiense	an. 1074	*p.* 66	T. 2
F.			
Florentinum	an. 1105	*p.* 97	T. 2
Florentinum XVI. Oecum.	an. 1438	*p.* 102	T. 2
Francofordiense	an. 794	*p.* 267	T. 1
Frisingense	an. 1440	*p.* 203	T. 2
G.			
Gerundense	an. 517	*p.* 211	T. 1
Gentiliacum	an. 767	*p.* 266	T. 1
H.			
Hafniense	an. 1425	*p.* 203	T. 2
Hierosolymitanum	an. 633	*p.* 237	T. 1
Hierosolymitanum	an. 1111	*p.* 96	T. 2
Hierosolymitanum	an. 1142	*p.* 97	T. 2

Hipponense	an. 393	*p.* 146	T. 1
Hispanicum	an. 447	*p.* 177	T. 1
	I.		
Ilerdense	an. 524	*p.* 211	T. 1
	L.		
Lambesitanum	an. 240	*p.* 121	T. 1
Lateranense	an. 769	*p.* 267	T. 1
Lateranense	an. 1102	*p.* 95	T. 2
Lateranense	an. 1104	*ibid.*	
Lateranense	an. 1110	*ibid.*	
Lateranense	an. 1112	*ibid.*	
Lateranense	an. 1116	*ibid.*	
Lateranense IX. Oecum.	an. 1123	*p.* 96	T. 2
Lateranense X. Oecum.	an. 1130	*p.* 97	
Lateranense	an. 1168	*ibid.*	
Lateranense XI. Oecum.	an. 1179	*ibid.*	
Lateranense XII. Oecum.	an. 1215	*p.* 130	T. 2
Lateranense XVI. Oecum.	an. 1512	*p.* 239	T. 2
Lateranense	an. 1724	*p.* 353	T. 2
Lippiense	an. 780	*p.* 268	T. 1
Londinense	an. 1268	*p.* 132	T. 2
Londinense	an. 1382	*p.* 166	T. 2
Londinense	an. 1396	*ibid.*	
Londinense	an. 1420	*p.* 203	T. 2
Londinense	an. 1486	*ibid.*	
Lugdunense	an. 1055	*p.* 65	T. 2
Lucense	an. 1661	*p.* 301	T. 2
Lucense	an. 1681	*ibid.*	
Lugdunense XIII. Oecum.	an. 1245	*p.* 150	T. 2
Lugdunense XIV. Oecum.	an. 1274	*p.* 131	T. 2
	M.		
Machlinienſe	an. 1570	*p.* 241	T. 2

Machlinienſe	an. 1607	*p.* 302	T.	2
Maglonenſe	an. 1214	*p.* 131	T.	2
Mantuanum	an. 1064	*p.* 64	T.	2
Matiſconenſe	an. 581	*p.* 211	T.	1
Matritenſe	an. 1473	*p.* 203	T.	2
Mediolanenſe	an. 355	*p.* 147	T.	1
Mediolanenſe	an. 390	*p.* 148	T.	1
Mediolanenſe	an. 679	*p.* 238	T.	1
Mediolanenſe	an. 1565	*p.* 241	T.	2
Mediolanenſe	an. 1569	*ibid.*		
Mediolanenſe	an. 1573	*ibid.*		
Mediolanenſe	an. 1576	*ibid.*		
Mediolanenſe	an. 1579	*ibid.*		
Mediolanenſe	an. 1582	*ibid.*		
Meldenſe	an. 962	*p.* 325	T.	1
Metenſe	an. 863	*p.* 297	T.	1
Middleſexienſe	an. 959	*p.* 325	T.	1
Milevitanum	an. 416	*p.* 176	T.	1
Moguntinum	an. 848	*p.* 299	T.	1
Moguntinum	an. 1049	*p.* 65	T.	2
Moguntinum	an. 1071	*ibid.*	T.	2
Moguntinum	an. 1074	*p.* 66	T.	2
Moguntinum	an. 1085	*ibid.*	T.	2
		in not.		73
Moguntinum	an. 1105	*p.* 98	T.	2
Montislibani	an. 1736	*p.* 355	T.	2
Montispelienſe	an. 1214	*p.* 131	T.	2
Mopſueſtenum	an. 550	*p.* 209	T.	1
Muretenſe	an. 1213	*p.* 131	T.	2

N.

Narbonenſe	an. 589	*p.* 211	T.	1
Narbonenſe	an. 788	*p.* 267	T.	1
Narbonenſe	an. 701	*p.* 268	T.	1
Narbonenſe	an. 1207	*p.* 131	T.	2
Narbonenſe	an. 1235	*p.* 132		
Narbonenſe	an. 1374	*p.* 165	T.	2
Narbonenſe	an. 1609	*p.* 302	T.	2
Neapolitanum	an. 1680	*ibid.*		
Nicænum I. Oecum.	an. 325	*p.* 146	T.	1

Nicænum VII. Oecum.	an. 787	*p.* 267	T. 1
Numidicum	an. 646	*p.* 238	T. 1

O.

Oxonianum	an. 1480	*p.* 203	T. 2

P.

Palentinum	an. 1388	*p.* 165	T. 2
Papiense	an. 1160	*p.* 97	T. 2
Parisiense	an. 551	*p.* 208	T. 1
Parisiense	an. 615	*p.* 239	T. 1
Parisiense	an. 767	*p.* 167	T. 1
Parisiense	an. 824	*p.* 299	T. 1
Parisiense	an. 1050	*p.* 66	T. 2
Parisiense	an. 1105	*p.* 97	T. 2
Parisiense	an. 1147	*ibid.*	T. 2
Parisiense	an. 1201	*p.* 131	T. 2
Parisiense	an. 1209	*ibid.*	
Parisiense	an. 1223	*ibid.*	
Parisiense	an. 1254	*p.* 132	T. 2
Parisiense	an. 1612	*p.* 301	T. 2
Parisiense	an. 1656	*p.* 303	T. 2
Perpinianense	an. 1408	*p.* 203	T. 2
Petricoviense	an. 1607	*p.* 301	T. 2
Pisanum	an. 1134	*p.* 97	T. 2
Pisanum	an. 1409	*p.* 200	T. 2
Pisanum	an. 1708	*p.* 256	T. 2
Pisanum	an. 1717	*ibid.*	
Pisanum	an. 1726	*ibid.*	
Placentinum	an. 1005	*p.* 66	T. 2
Placentinum	an. 1132	*p.* 97	T. 2
Pragense	an. 1405	*p.* 203	T. 2

Q.

Quinisextum	an. 692	*p.* 238	T. 1

R.

Ratisponense	an. 792	*p.* 267	T. 1
Raudense	an. 1473	*p.* 203	T. 2
Ravennatense	an. 904	*p.* 326	T. 1
Ravennatense	an. 1307	*p.* 165	T. 2

Ravennatenſe	an. 1310	*ibid.*	
Ravennatenſe	an. 1311	*ibid.*	
Ravennatenſe	an. 1314	*ibid.*	
Ravennatenſe	an. 1317	*ibid.*	
Regienſe	an. 1285	*p.* 132	T. 2
Rhemenſe	an. 813	*p.* 299	T. 1
Rhemenſe	an. 935	*p.* 325	T. 1
Rhemenſe	an. 935	*ibid.*	
Rhemenſe	an. 1049	*p.* 65	T. 2
Rhemenſe	an. 1119	*p.* 96	T. 2
Rhemenſe	an. 1131	*p.* 97	T. 2
Rhemenſe	an. 1408	*p.* 203	T. 2
Rhemenſe	an. 1583	*ibid.*	T. 2
Romanum	an. 198	*p.* 97	T. 1
Romanum	an. 251	*p.* 121	T. 1
Romanum	an. 313	*p.* 146	T. 1
Romanum	an. 342	*p.* 147	T. 1
Romanum	an. 370	*ibid.*	
Romanum	an. 378	*ibid.*	
Romanum	an. 417	*p.* 176	T. 1
Romanum	an. 430	*ibid.*	
Romanum	an. 433	*p.* 177	T. 1
Romanum	an. 501	*p.* 207	T. 1
Romanum	an. 531	*p.* 208	T. 1
Romanum	an. 532	*p.* 209	T. 1
Romanum	an. 595	*p.* 208	T. 1
Romanum	an. 610	*p.* 239	T. 1
Romanum	an. 640	*p.* 237	T. 1
Romanum	an. 646	*p.* 238	T. 1
Romanum	an. 649	*ibid.*	T. 1
Romanum	an. 726	*p.* 266	
Romanum	an. 731	*ibid.*	
Romanum	an. 732	*ibid.*	
Romanum	an. 743	*p.* 267 *in not.*	T. 1
Romanum	an. 745	*ibid.*	T. 1
Romanum	an. 800	*p.* 268	T. 1
Romanum	an. 853	*p.* 297	T. 1
Romanum	an. 861	*ibid.*	T. 1
Romanum	an. 862	*p.* 298	T. 1
Romanum	an. 863	*ibid.*	T. 1
Romanum	an. 864	*p.* 297	T. 1

Romanum	an. 368	p. 298	T. 1
Romanum	an. 881	p. 297	T. 1
Romanum	an. 897	*ibid.*	
Romanum	an. 898	*ibid.*	
Romanum	an. 963	p. 325	T. 1
Romanum	an. 964	*ibid.*	
Romanum	an. 903	p. 326	T. 1
Romanum	an. 906	*ibid.*	
Romanum	an. 1047	p. 64	T. 2
Romanum	an. 1049	*ibid.*	
Romanum	an. 1051	p. 66	T. 2
Romanum	an. 1059	*ibid.*	
Romanum	an. 1065	*ibid.*	
Romanum	an. 1074	*ibid.*	
Romanum	an. 1075	p. 65	T. 2
Romanum	an. 1078	*ibid.*	
Romanum	an. 1079	p. 66	T. 2
Romanum	an. 1080	p. 65	T. 2
Romanum	an. 1081	*ibid.*	
Romanum	an. 1099	*ibid.*	
Romanum	an. 1302	p. 165	T. 2
Rotomagense	an. 1050	p. 65	T. 2
Rotomagense	an. 1330	p. 165	T. 2
Rotomagense	an. 1445	p. 203	T. 2
Rotomagense	an. 1581	p. 241	T. 2

S.

Salisburgense	an. 1420	p. 203	T. 2
Salmanticense	an. 1381	p. 165	T. 2
Salmanticense	an. 1410	p. 203	T. 2
Sardiniense	an. 521	p. 209	T. 1
Senense	an. 1423	p. 203	T. 2
Senonense	an. 1140	p. 97	T. 2
Senonense	an. 1429	p. 203	T. 2
Senonense	an. 1485	p. 203	T. 1
Stramiacense	an. 836	p. 297	T. 1
Sueſſionense	an. 941	p. 325	T. 1
Sutrinum	an. 1046	p. 64	T. 2
Sutrinum	an. 1059	*ibid.*	

T.

Tarraconense	an. 516	p. 211	T. 1

Tarraconenſe	an. 1242	p. 113	T. 2
Tarraconenſe	an. 1244	*ibid.*	
Tarſenſe	an. 1177	p. 98	T. 2
Ticinenſe	an. 997	p. 326	T. 1
Toletanum	an. 405	*ibid.*	T. 1
Toletanum	an. 527	p. 211	T. 1
Toletanum	an. 694	p. 239	T. 1
Toletanum	an. 610	*ibid.*	T. 1
Toletanum	an. 1323	p. 165	T. 2
Toletanum	an. 1324	*ibid.*	
Toletanum	an. 1330	*ibid.*	
Toletanum	an. 1355	*ibid.*	
Toletanum	an. 1473	p. 203	T. 2
Toletanum	an. 1565	p. 241	T. 2
Toletanum	an. 1056	p. 64 *in not.*	T. 2
Toloſanum	an. 1210	p. 131	T. 2
Toloſanum	an. 1229	p. 132	T. 2
Trajectenſe	an. 697	p. 239	T. 1
Trevirenſe	an. 1549	p. 241	T. 2
Tridentinum XVII. Oecum.	an. 1563	p. 240	T. 2
Trullanum	an. 692	p. 238	T. 1
Turonenſe	an. 567	p. 211	T. 1
Turonenſe	an. 813	p. 299	T. 1
Turonenſe	an. 1236	p. 132	T. 2
Tyrium	an. 335	p. 147	T. 1
Tyrium	an. 518	p. 209	T. 1

V.

Vaſenſe	an. 529	p. 211	T. 1
Vaurenſe	an. 1213	p. 131	T. 2
Venetum	an. 1177	p. 97	T. 2
Vercellenſe	an. 1050	p. 66	T. 2
Verdunenſe	an. 947	p. 325	T. 1
Vermerienſe	an. 752	p. 268	T. 1
Veſuntinum	an. 1648	p. 303	T. 2
Viennenſe XV. Oecum.	an. 1307	p. 164	T. 2
Utinenſe	an. 1409	p. 203	T. 2

INDEX IV.

HÆRETICORUM,

Alphabetico Chronologicus.

A.

Abeliani	Seculo V.	*p.* 180	T. 1
Acephali	ſeculo V.	*p.* 180	T. 1
Adamitæ	ſeculo XV.	*p.* 295	T. 2
Agiomachi	ſeculo VIII.	*p.* 269	T. 1
Agnoetæ	ſeculo VI.	*p.* 213	T. 1
Albigenſes	ſeculo XIII.	*p.* 133	T. 2
Almaricus	ſeculo XIII.	*p.* 133	T. 2
Anabaptiſtæ	ſeculo XVI.	*p.* 258	T. 2
Andreas Bavarus	ſeculo XVI.	*p.* 248	T. 2
Andreas Carloſtadius	ſeculo XVI.	*p.* 245	T. 2
Andreas Muſculus	ſeculo XVI.	*p.* 248	T. 2
Angelici	ſeculo III.	*p.* 124	T. 1
Antidicomarianitæ	ſeculo IV.	*p.* 153	T. 1
Antoniola Bourignonia	ſec. XVII.	*p.* 314	T. 2
Antonius Sanctarellus	ſec. XVII.	*p.* 314	T. 2
Antonius Zinganella	ſec. XVII.	*p.* 313	T. 2
Authropomorphitæ	ſec. IV.	*p.* 153	T. 1
Apollinaris	ſec. IV.	*p.* 151	T. 1
Apollonius Thyanæus	ſeculo I.	*p.* 73	T. 1
Apoſtolici	ſeculo III.	*p.* 124	T. 1
Apoſtolici	ſeculo XII.	*p.* 102	T. 2
Appellantes	ſec. XVIII.	*p.* 360	T. 2
Archontici	ſeculo II.	*p.* 99	T. 1
Arius	ſeculo IV.	*p.* 149	T. 1
Arnaldus Brixienſis	ſeculo XII.	*p.* 100	T. 2

Arnaldus de Villanova	Sec. XIV.	p. 170	T. 2
Athei	ſec. XVII.	p. 312	T. 2
B.			
Baſilides	Seculo I.	p. 72	T. 1
Begardi	ſeculo XIV.	p. 166	T. 2
Beguini	ſeculo *ibid.*	p. 166	T. 2
Benedictus Spinoſa	ſec. XVII.	p. 312	T. 2
Berengarius	ſeculo XI.	p. 68	T. 2
Bernardinus Ochinus	ſec. XVI.	p. 274	T. 2
Bernardus Rothmannus	ſec. XVI.	p. 250	T. 2
Beryllus	ſeculo III.	p. 122	T. 1
Blondellus Presbyterianus	ſec. XVII.	p. 304 & 307	T. 2
Bogomili	ſeculo XI.	p. 67	T. 2
Bogomilus	ſeculo XII.	p. 99	T. 2
C.			
Calixtini	ſeculo XV.	p. 205	T. 2
Capito	ſeculo XVI.	p. 252	T. 2
Carpocrates	ſeculo II.	p. 98	T. 1
Cerinthus	ſeculo I.	p. 72	T. 1
Chryſtolytæ	ſeculo VII.	p. 241	T. 1
Claudius Salmaſius Divionenſis	ſec. XVII.	p. 304	T. 2
Clemens Marotus	ſec. XVI.	p. 255	T. 2
Clericus	ſec. XVIII.	p. 357	T. 2
Conradus Geſnerus	ſec. XVI.	p. 257	T. 2
Conradus Worſtius	ſec. XVII.	p. 307	T. 2
Conſtantinus Chryſomalus	ſec. XII.	p. 99	T. 2
Contraremonſtratenſes	ſec. XVIII.	p. 357	T. 2
Cornelius	ſec. XVI.	p. 250	T. 2

Cornelius Janſenius	Sec. XVII.	*p.* 310	T. 2
Corrupticolæ	ſeculo VI.	*p.* 212	T. 1
Collyridiani	ſeculo IV.	*p.* 153	T. 1
D.			
Daniel Sciamier	ſec. XVII.	*p.* 308	T. 2
David Blondellus	ſec. XVII.	*p.* 304 & 307	T. 2
Dinantius Belga	ſec. XIII.	*p.* 136	T. 2
Donatiſtæ	ſec. IV.	*p.* 148	T. 1
Dulcinus Novarienſis	ſec. XIV.	*p.* 162	T. 2
E.			
Ebion	ſeculo I.	*p.* 72	T. 1
Echardus Guido	ſec. XIV.	*p.* 170	T. 2
Edmundus Richerius	ſec. XVII.	*p.* 309	T. 2
Eduardus VI.	ſec. XVI.	*p.* 260	T. 2
Eduardus Seimer	ſec. *ibid.*		
Elipandus	ſeculo VIII.	*p.* 269	T. 1
Eliſabetha Annæ Bolenæ filia	ſec. XVI.	*p.* 246 250 & 262	T. 2
Emmanuel Tremellius	ſec. XVI.	*p.* 247	T. 2
Encratitæ	ſeculo II.	*p.* 100	T. 1
Ethnophroni	ſeculo VII.	*p.* 241	T. 1
Eudon	ſeculo XII.	*p.* 102	T. 2
Eutyches	ſeculo V.	*p.* 179	T. 1
Exidus	ſeculo VIII.	*p.* 268	T. 1
Ezechiel Meden	ſec. XVII.	*p.* 313	T. 2
F.			
Fanatici	ſec. XVII.	*p.* 312	T. 2

Fauſtus Socinus	Sec. XVI.	p. 254	T. 2
Felix	ſec. VIII.	p. 269	T. 1
Flagellantes	ſec. XIV.	p. 167	T. 2
Foſſarii	ſec. XV.	p. 206	T. 2
Franciſcus Borri	ſec. XVII.	p. 313	T. 2
Franciſcus David	ſec. XVI.	p. 153	T. 2
Franciſcus de Fenelon	ſec. XVII.	p. 311	T. 2
Franciſcus Gomarus	ſec. XVII.	p. 305	T. 2
Franciſcus Malavallius	ſec. XVII.	p. 311	T. 2
Fraticelli	ſec. XIII.	p. 135	T. 2

G.

Georgius Blandrata	ſec. XVI.	p. 253	T. 2
Georgius Buchananus	ſec. XVI.	p. 257	T. 2
Georgius Paraſius	ſec. XVI.	p. 261	T. 2
Gerardus Segarellus	ſec. XIII.	p. 136	T. 2
Gilbertus Porretanus	ſec. XII.	p. 101	T. 2
Gnoſimachi	ſec. VII.	p. 241	T. 1
Gomariſtæ	ſec. XVII.	p. 307	T. 2
Gujonia	ſec. XVII.	p. 311	T. 2
Guilelmus Ameſius	ſec. XVII.	p. 304	T. 2
Guilelmus de S. Amore	ſec. XIII.	p. 134	T. 2
Guilelmus Farellus	ſec. XVI.	p. 251	T. 2
Guilelmus Henricus Vorſtius	ſec. XVII.	p. 307	T. 2
P. Guillore Jeſuita	ſec. XVII.	p. 311	T. 2

H.

Hadrianus Junius Belga	Sec. XVI.	p. 257	T. 2
Helcesitæ	sec. II.	p. 99	T. 1
Helvidius	seculo IV.	p. 149	T. 1
Henricus VIII.	sec. XVI.	p. 260	T. 2
Henricus de Ceva	sec. XIV.	p. 166	T. 2
Henricus Tolosanus	sec. XII.	p. 99	T. 1
Heribertus	sec. XI.	p. 97	T. 2
Hieronymus de Praga	sec. XV.	p. 204	T. 2
Hieronymus Zanchius	sec. XVI.	p. 247	T. 2
Hugo Grotius	sec. XVII.	p. 305	T. 2
Huguenoti	sec. XVI.	p. 258	T. 2
Huldericus Zwinglius	sec. XVI.	p. 245	T. 2

I.

Jacobus Andreas	Sec. XVI.	p. 249	T. 2
Jacobus Arminius	sec. XVI.	p. 256	T. 2
Jacobus Nailor	sec. XVII.	p. 312	T. 2
Iconoclastæ	sec. VIII.	p. 268	T. 1
Illuminati	sec. XVII.	p. 308	T. 2
Incestuosi	sec. XI.	p. 67	T. 2
Incorrupticolæ	sec. VI.	p. 212	T. 1
Joachimus Abbas	seculo XII.	p. 98	T. 2
Joachimus Camerarius	sec. XVI.	p. 257	T. 2
Joannes Oecolampadius	sec. XVI.	p. 245	T. 2
Joannes Agricola	sec. XVI.	p. 248	T. 2
Joannes Balæus	sec. XVI.	p. 257	T. 2
Joannes Brentius	sec. XVI.	p. 249	T. 2

Joannes Calvinus	Sec. XVI.	*p.* 251	T. 2
Joannes Clericus	sec. XVII.	*p.* 306	T. 2
Joannes Dallæus	sec. XVII.	*p.* 307	T. 2
Joannes Gerardus Voſſius	*ibid.*	*p.* 307	T. 2
Joannes Guignard	sec. XVII.	*p.* 315	T. 2
Joannes Hemula	sec. V.	*p.* 179	T. 1
Joannes Hopper	sec. XVI.	*p.* 261	T. 2
Joannes Hus	seculo XV.	*p.* 204	T. 2
Joannes de Jandun	sec. XIV.	*p.* 169	T. 2
Joannes Knox	sec. XVII.	*p.* 304	T. 2
Joannes Leidenſis	sec. XVI.	*p.* 256	T. 2
Joannes Mercerus	sec. XVI.	*p.* 257	T. 2
Joannes de Mercuria	sec. XIV.	*p.* 170	T. 2
Joannes Paulus Alciatus	sec. XVI.	*p.* 257	T. 2
Joannes Piſcator	sec. XVII.	*p.* 307	T. 2
Joannes Philoponus	sec. VI.	*p.* 213	T. 1
Joannes Viclefus	sec. XIV.	*p.* 170	T. 2
Joannes Vilelmus	sec. XVI.	*p.* 250	T. 2
Joannes Volchelius	sec. XVII.	*p.* 307	T. 2
Joannes Ziſcha	sec. XV.	*p.* 205	T. 2
Joſeph Beccarellus	sec. XVIII.	*p.* 356	T. 2
Jovinianus	seculo IV.	*p.* 152	T. 1
Iſaac Peyrerius	sec. XVII.	*p.* 308	T. 2

L.

Lælius Socinus	Sec. XVI.	p. 254	T. 2
P. Le Combe Barnabita	ſec. XVII.	p. 311	T. 2
Liberi Muratori	ſec. XVIII.	p. 361	T. 2
Liſoius	ſec. XI.	p. 67	T. 2
Lock	ſec. XVIII.	p. 357	T. 2
Lolhardi	ſec. XIV.	p. 168	T. 2
Luciferiani	ſec. IV.	p. 149	T. 2
Lucilius Vanini	ſec. XVII.	p. 313	T. 1

M.

Macedonius	Sec. IV.	p. 150	T. 1
Malabarici ritus	ſec. XVIII.	p. 358	T. 2
Manichæi	ſec. III.	p. 123	T. 1
Marcion	ſec. II.	p. 100	T. 1
Marcus Antonius de Dominis	ſec. XVII.	p. 310	T. 2
Marcus Stuber	ſec. XVI.	p. 250	T. 2
Maria Soror III. Ord. S. Franciſci	ſec. XVII.	p. 313	T. 2
Martinus Bucerus	ſec. XVI.	p. 246	T. 2
Martinus Chemnitius	ſec. XVI.	p. 257	T. 2
Martinus Lutherus	ſec. XVI.	p. 242	T. 2
Marſilius de Padua	ſec. XIV.	p. 169	T. 2
Mathias Flaccus Illyricus	ſec. XVI.	p. 244	T. 2
Mathias Kunzen	ſec. XVII.	p. 313	T. 2
Meletiani	ſec. IV.	p. 149	T. 1
Menander	ſec. I.	p. 72	T. 1
Mennonitæ	ſec. XVI.	p. 250	T. 2

Meſſaliani	Seculo IV.	p. 153	T. 1
Metahporiſtæ	ſec. XVII.	p. 308	T. 2
Michael Agricola	ſec. XVI.	p. 248	T. 2
Michael de Cæſena	ſec. XIV.	p. 167	T. 2
Michael Cerularius	ſec. XI.	p. 69	T. 2
Michael Molinos	ſec. XVII.	p. 311	T. 2
Michael Servetus	ſec. XVI.	p. 253	T. 2
Milicius Millecxi	ſec. XIV.	p. 170	T. 2
Milo Coverdal	ſec. XVI.	p. 261	T. 2
Molliores	ſec. XVI.	p. 243	T. 2
Monothelitæ	ſec. VII.	p. 240	T. 1
Montanus	ſec. II.	p. 100	T. 1

N.

Neſtoriani	Seculo V.	p. 178	T. 1
Nicolaitæ	ſeculo I.	p. 73	T. 1
Nicolaitæ	ſeculo XI.	p. 67	T. 2
Nicolaus Storchius	ſec. XVI.	p. 250	T. 2
Noetus	ſeculo III.	p. 122	T. 1
Novatus	ſeculo III.	p. 123	T.

O.

Ophitæ	Seculo II.	p. 99	T. 1
Orphani	ſeculo XV.	p. 205	T. 2
Oſiander	ſec. XVI.	p. 248	T. 2

P.

Palamitæ	ſeculo XIV.	p. 169	T. 2
Patermenitæ	ſeculo VII.	p. 241	T. 1
Paulus Fagius	ſec. XVI.	p. 246	T. 2
Paulus Samoſatenſis	ſeculo III.	p. 123	T. 1
Pelagini	ſec. XVII.	p. 309	T. 2
Pelagius	ſec. V.	p. 177	T. 1

Petrus Abaclardus	Seculo XII.	p. 99	T. 2
Petrus Bayle	ſec. XVIII.	p. 358	T. 2
Petrus de Bruis	ſec. XII.	p. 99	T. 2
Petrus Fullo	ſec. V.	p. 179	T. 1
F. Petrus Joannes Olivi	ſec. XIV.	p. 166	T. 2
Petrus Martyr Vermilius.	ſec. XVI.	p. 246	T. 2
Petrus Moggus	ſec. V.	p. 179	T. 1
Petrus Molinæus	ſec. XVII.	p. 306	T. 2
Petrus Waldus	ſec. XII.	p. 101	T. 2
Philippus a Limborch	ſec. XVII.	p. 306	T. 2
Philippus Melanchthon	ſec. XVI.	p. 243	T. 2
Photinus	ſec. IV.	p. 149	T. 1
Pichardus	ſec. XV.	p. 206	T. 2
Presbyteriani ſeu Puritani	ſec. XVII.	p. 304	T. 2
Priſcillianus	ſec. IV.	p. 149	T. 1
Proteſtantes	ſec. XVIII.	p. 357	T. 2

Q.

Quieſcentes	Sec. XIV.	p. 170	T. 2
Quietiſtæ	ſec. XVII.	p. 311	T. 2
Quirinus Kuhlmannus	ſec. XVII.	p. 314	T. 2

R.

Raymund. Lullus	Seculo XIV.	p. 170	T. 2
Remonſtrantes	ſec. XVIII.	p. 357	T. 2
Roſcellinus	ſec. XI.	p. 68	T. 2

S.

Sabellius	Seculo III.	p. 122	T. 1
Sacramentarii	ſec. XVI.	p. 258	T. 2
Salmaſius	ſec. XVII.	p. 304	T. 2
Samuel Mareſius	ſec. XVII.	p. 306	T. 2

Sebaſtianus Caſtalio	Sec. XVI.	p. 252	T. 2
Sebaſtianus Munſterus	ſec. XVI.	p. 257	T. 2
Semipelagiani	ſec. V.	p. 178	T. 1
Sibraudus Lubbertus	ſec. XVII.	p. 307	T. 2
Simon	ſec. I.	p. 71	T. 1
Simon Epiſcopius	ſec. XVII.	p. 306	T. 2
Simon Morinus	ſec. XVII.	p. 313	T. 2
Sinenſes Ritus	ſec. XVIII.	p. 358	T. 2
Socinianiſmus	ſec. XVI.	p. 254	T. 2
Stephanus Courcellejus	ſec. XVII.	p. 306	T. 2
Subſtantialiſtæ	ſec. XVI.	p. 244	T. 2

T.

Tranchelinus	Sec. XII.	p. 98	T. 2
Thaboritæ	ſec. XV.	p. 205	T. 2
Theodorus Beza	ſec. XVI.	p. 255	T. 2
Theomachi	ſec. VIII.	p. 269	T. 1
Theopaſchitæ	ſec. VI.	p. 213	T. 1
Thomas Cramnerus	ſec. XVI.	p. 261	T. 2
Thomas Montzerus	ſec. XVI.	p. 250	T. 2
Tremblantes ſeu Quakeri	ſec. XVII.	p. 312	T. 2
Tritheitæ	ſec. VI.	p. 213	T. 1
Turlupini	ſec. XIV.	p. 169	T. 2

V.

Valentinus	Seculo II.	p. 98	T. 1
Valentinus Gentilis	ſec. XVI.	p. 257	T. 2
Valeſii	ſec. III.	p. 124	T. 1
Ubiquiſtæ	ſec. XVI.	p. 249	T. 2
Wecilo	ſec. XI.	p. 68	T. 2
Venerius	ſec. XVII.	p. 313	T. 2
Vigilantius	ſec. V.	p. 180	T. 1

Wilelmus Augustotitii	Sec. XIII.	p. 134	T. 2
Vilelmus Ochamus	sec. XIV.	p. 167	T. 2
F. Vincentius Augustinian.	sec. XVII.	p. 313	T. 2
Unitarii	sec. XVI.	p. 253	T. 2
Wolfangus Musculus	sec. XVI.	p. 249	T. 2

Z.

Zwinglius	sec. XVI.	p. 245	T. 2

INDEX V.

SANCTORUM, & MARTYRUM ILLUSTRIORUM.

Alphabetico-Chronologicus.

A.

Abbon	Seculo XI.	p. 79	T. 2
Achilleus	seculo I.	p. 81	T. 1
Adalbertus	seculo X.	p. 336	T. 1
Adauctus	seculo IV.	p. 125	T. 1
Adelaides	seculo X.	p. 336	T. 1
Agatha	sec. III.	p. 133	T. 1
Agathonica	sec. II.	p. 108	T. 1
Agilbertus	sec. VII.	p. 250	T. 1
Agnes	sec. XIV.	p. 179	T. 2
Albertus	sec. XII.	p. 111	T. 2
Albertus	sec. XIII.	p. 143	T. 2
Alexander	sec. II.	p. 108	T. 1
Alexander	sec. V.	p. 191	T. 1
Alexander Oliva	sec. XV.	p. 215	T. 2
Alipius	sec. V.	p. 190	T. 1
Aloysius Gonzaga	sec. XVI.	p. 275	T. 2

Alphon-

Alphonſus de Orozco	Sec. XVI.	p. 275	T. 2
Alvelmus	ſec. VIII.	p. 274	T. 1
Amandus	ſec. VII.	p. 250	T. 1
Amantius	ſec. II.	p. 107	T. 1
Ambroſius	ſec. IV.	p. 156	T. 1
Ambroſius	ſec. XV.	p. 215	T. 2
Anaſtaſia	ſec. I.	p. 79	T. 1
Anaſtaſius	ſec. VII.	p. 246	T. 1
Andochius	ſec. II.	p. 108	T. 1
Andreas Apoſt.	ſec. I.	p. 81	T. 1
Andreas	ſec. VIII.	p. 275	T. 1
Andr. Chienſis	ſec. XV.	p. 215	T. 2
Andreas Corſinius	ſec. XIV.	p. 179	T. 2
Angela	ſec. XIV.	p. 179	T. 2
Angelus	ſec. XIII.	p. 144	T. 2
Angelus Paoli	ſec. XVIII.	p. 375	T. 2
Anſelmus	ſec. XI.	p. 69	T. 2
Anſelmus	ſec. XI.	p. 80	T. 2
Anthelmus	ſec. XII.	p. 111	T. 2
Antipas	ſec. I.	p. 81	T. 1
Antoninus	ſec. V.	p. 190	T. 1
Antoninus	ſec. XV.	p. 208 & 215	T. 2
Antonius	ſec. IV.	p. 154	T. 1
Antonius	ſec. IX.	p. 310	T. 1
Antonius de Amandula	ſec. XV.	p. 215	T. 2
Antonius Aquilanus	ſec. XV.	p. 215	T. 2
Antonius de Padua	ſec. XIII.	p. 145	T. 2
Antonius de Ripolis	ſec. XV.	p. 215	T. 2
Apollonia	ſec. III.	p. 132	T. 1
Arſenius	ſec. V.	p. 191	T. 1
Aſclepiades	ſec. III.	p. 133	T. 1
Aſterius	ſec. III.	p. 130	T. 1
Athanaſia	ſec. IX.	p. 308	T. 1
Athanaſius	ſec. IV.	p. 154	T. 1
Auguſtinus	ſec. V.	p. 139	T. 1

Aurea	Seculo III.	p. 130	T. 1
Aurelianus	sec. VI.	p. 222	T. 1
Aurelius	sec. IX.	p. 308	T. 1

B.

Babyla	Seculo III.	p. 132	T. 1
Barbara	sec. III.	p. 131	T. 1
Barbea	sec. II.	p. 105	T. 1
Barnabas	sec. I.	p. 78	T. 1
Barsimæus	sec. II.	p. 105	T. 1
Bartholomæus Apost.	sec. I.	p. 81	T. 1
Basilissa	sec. I.	p. 79	T. 1
Basilius	sec. IV.	p. 155	T. 1
Bathildes	sec. VII.	p. 249	T. 1
Benedictus	sec. VI.	p. 222	T. 1
Benedictus	sec. IX.	p. 309	T. 1
Benignus	sec. II.	p. 108	T. 1
Beno	sec. XII.	p. 111	T. 2
Bernardinus Senensis	sec. XV.	p. 208 & p. 215	T. 2
Bernardus	sec. IX.	p. 308	T. 1
Bernardus	sec. XII.	p. 104	T. 2
Bernardus Florentinus	sec. XII.	p. 111	T. 2
Bernardus Tironensis	sec. XII.	p. 111	T. 2
Bernon	sec. X.	p. 336	T. 1
Bertharius	sec. IX.	p. 309	T. 1
Bertradus	sec. XII.	p. 111	T. 2
Birgitta	sec. XIV.	p. 171	T. 2
Blanda	sec. III.	p. 130	T. 1
Bonaventura Balneoregiensis *Fr.*	sec. XIII.	p. 138	T. 2
Bonifacius	sec. IV.	p. 160	T. 1
Bonitus	sec. VIII.	p. 274	T. 1
Brittus	sec. XVII.	p. 330	T. 2
Bruno	sec. XI.	p. 79	T. 2

C.

Cæcilia	Seculo III.	p. 130	T. 1
Cæsarius	sec. II.	p. 105	T. 1
Cæsarius	sec. V.	p. 190	T. 1
Cajetanus Thienæus	sec. XVI.	p. 174	T. 2
Calepodius	sec. III.	p. 130	T. 1
Camillus de Lellis	sec. XVII.	p. 329	T. 2
Canutus	sec. XI.	p. 80	T. 2
Carolus	sec. XV.	p. 215	T. 2
Carolus Borromæus	sec. XVI.	p. 275	T. 2
Carolus Spinula	sec. XVII.	p. 330	T. 2
Casimirus	sec. XV.	p. 215	T. 2
Catharina	sec. III.	p. 131	T. 1
Catharina	sec. XIV.	p. 179	T. 2
Catharina Bononiensis	sec. XV.	p. 216	T. 2
Catharina Lucensis	sec. XVIII.	p. 375	T. 2
Catharina Senensis	sec. XIV.	p. 179	T. 2
Cechardus	sec. VI.	p. 225	T. 1
Celsus	seculo I.	p. 79	T. 1
Chariton	sec. III.	p. 135	T. 1
Clara	sec. XIII.	p. 145	T. 2
Claudius Bernardus	sec. XVII.	p. 331	T. 2
Clemens Papa	seculo I.	p. 75	T. 1
Clotildes	sec. VI.	p. 222	T. 1
Coletta	sec. XV.	p. 216	T. 2
Colmanus	sec. XI.	p. 79	T. 2
Columbanus	sec. VI.	p. 218	T. 1
Comerius	sec. VIII.	p. 278	T. 1
Conradus	sec. X.	p. 336	T. 1
Conradus	sec. XIV.	p. 179	T. 2
Cutbertus Mayno	sec. XVI.	p. 276	T. 2
Cyprianus	sec. III.	p. 126	T. 1
Cyriacus	sec. VI.	p. 223	T. 2
Cyrillus	sec. IV.	p. 155	T. 1
Cyrillus	sec. V.	p. 182	T. 1

D.

Dagobertus	Seculo VII.	p. 250	T. 1
Daniel Stylita	sec. V.	p. 145	T. 1
Deicola	sec. VII.	p. 247	T. 1
Desiderius	sec. VII.	p. 246	T. 1
Didacus	sec. XVI.	p. 275	T. 2
Dionysius Areopag.	sec. I.	p. 82	T. 1
Dominicus Loricatus	sec. XI.	p. 79	T. 2
Dominicus	sec. XIII.	p. 144	T. 2
Dominicus Codeleoncinus	sec. XVIII.	p. 376	T. 2
Donatianus	sec. IV.	p. 160	T. 1
Dormientes Septem	sec. III.	p. 133	T. 1
Dunstanus	sec. X.	p. 336	T. 1

E.

Edita	Sec. X.	p. 336	T. 1
Edmundus Campianus	sec. XVI.	p. 276	
Eduardus	sec. X.	p. 335	T. 2
Eduardus	sec. XI.	p. 80	T. 1
Eligius	sec. VII.	p. 249	T. 2
Elisabeth	sec. XII.	p. 108	T. 1
Elisabeth	sec. XIII.	p. 145	T. 2
Elphegus	sec. XI.	p. 79	T. 2
Emmeramus	sec. VII.	p. 249	T. 2
Engelbertus	sec. XIII.	p. 145	T. 1
Ephrem Syrus	sec. IV.	p. 155	T. 2
Epiphanius	sec. IV.	p. 156	T. 1
Epiphanius	sec. V.	p. 190	T. 1
Ermericus	sec. XI.	p. 79	T. 1
Ethelwoldus	sec. X.	p. 336	T. 2
Evaristus	sec. II.	p. 106	T. 1
Eucherius	sec. V.	p. 190	T. 1
Eugenia	sec. III.	p. 134	T. 1
Eugenius	sec. VII.	p. 249	T. 1
Eulogius	sec. XV.	p. 215	T. 1
Eugenius	sec. IX.	p. 308	T. 2

Evodius	Seculo I.	p. 80	T. 1
Euſebius	ſec. III.	p. 133	T. 1
Euſtaſius	ſec. VII.	p. 247	T. 1
Euſtochium	ſec. V.	p. 190	T. 1
Euthymius	ſec. IX.	p. 306	T. 1
Exuperius	ſec. V.	p. 190	T. 1

F.

Famianus	Sec. XII.	p. 112	T. 2
Fauſtinus	ſec. II.	p. 107	T. 1
Felicitas	ſec. III.	p. 129	T. 1
Felicula	ſec. I.	p. 81	T. 1
Felix	ſec. III.	p. 130	T. 1
Felix	ſec. III.	p. 135	T. 1
Felix	ſec. IV.	p. 160	T. 1
Felix	ſec. IX.	p. 308	T. 1
Felix a Cantalicio	ſec. XVI.	p. 275	T. 2
Felix de Valois	ſec. XIII.	p. 142	T. 2
Ferrutius	ſec. II.	p. 108	T. 1
Fidelis de Sigmaringa	ſec. XVII.	p. 330	T. 2
Flavia Domitilla	ſec. I.	p. 81	T. 1
Flavia	ſec. VI.	p. 222	T. 1
Flavianus	ſec. V.	p. 190	T. 1
Flora	ſec. IX.	p. 308	T. 1
Florentius	ſec. III.	p. 134	T. 1
Franciſca Romana	ſec. XV.	p. 216	T. 2
Franciſcus	ſec. XIII.	p. 145	T. 2
Franciſcus Borgia	ſec. XVI.	p. 275	T. 2
Franciſcus de Regis	ſec. XVII.	p. 330	T. 2
Franciſcus Solanus	ſec. XVII.	p. 330	T. 2
Franciſcus Maria Quernus	ſec. XVIII.	p. 375	T. 2
Franciſcus de Federicis	ſec. XVIII.	p. 376	T. 2
Franciſcus Saleſius	ſec. XVII.	p. 316	T. 2
Franciſcus Serranus.	ſec. XVIII.	p. 376	T. 2
Fridericus	ſec. IX.	p. 306	T. 1

Fulbertus	Sec. XI.	p. 79	T. 2
Fulgentius	sec. VI.	p. 214	T. 1

G.

Galdinus	Sec. XII.	p. 112	T. 2
Gaudentius	sec. V.	p. 190	T. 1
Genovefa	sec. V.	p. 191	T. 1
Gerardus	sec. XII.	p. 112	T. 2
Germanus	sec. V.	p. 190	T. 1
Germanus	sec. VIII.	p. 275	T. 1
Gervasius	sec. I.	p. 97	T. 1
Getulius	sec. II.	p. 107	T. 1
Gilbertus	sec. XII.	p. 112	T. 2
Glyceria	sec. II.	p. 108	T. 1
Godticus	sec. XII.	p. 112	T. 2
Gothardus	sec. XI.	p. 79	T. 2
Gothofridus	sec. XII.	p. 111	T. 2
Gregorius Neocæsar.	sec. III.	p. 126	T. 1
Gregorius Nissenus	sec. IV.	p. 156	T. 1
Gregorius Nazianzenus	sec. IV.	p. 156	T. 1
Gregorius Turonensis	sec. VI.	p. 216	T. 1
Gregorius	sec. VIII.	p. 278	T. 1
Guiboratia	sec. X.	p. 335	T. 1
Guilelmus	sec. XI.	p. 79	T. 2
Guilelmus	sec. XII.	p. 112	T. 2

H.

Hatoldus	sec. X.	p. 335	T. 1
Hedwiges	sec. XIII.	p. 145	T. 2
Henricus	sec. XII.	p. 112	T. 2
Henricus Michael	sec. XVII.	p. 331	T. 2
Hera	sec. III.	p. 129	T. 1
Heraclides	sec. III.	p. 129	T. 1
Herculanus	sec. VI.	p. 222	T. 1
Heribertus	sec. XI.	p. 79	T. 2
Herodion	sec. I.	p. 79	T. 1
Hesychius	sec. III.	p. 130	T. 1

Hieronimus	Seculo V.	p. 181	T. 1
Hilarius	sec. IV.	p. 155	T. 1
Hilarius	sec. V.	p. 190	T. 1
Hilarius a Monte Orthono	sec. XVIII.	p. 375	T. 2
Hildegardes	sec. XII.	p. 108	T. 2
Hippolytus	sec. III.	p. 125	T. 1
Homobonus	sec. XII.	p. 112	T. 2
Honoratus	sec. V.	p. 190	T. 1
Hugo	sec. XII.	p. 112	T. 2
Hyacinthus	sec. II.	p. 105	T. 1
Hyacinthus	sec. XIII.	p. 146	T. 2

I.

Jacobus	Seculo I.	p. 75	T. 1
Jacobus	sec. V.	p. 190	T. 1
Jacobus Picenus	sec. XV.	p. 215	T. 2
Jacobus Labourna	sec. XVI.	p. 277	T. 2
Januarius	sec. IV.	p. 160	T. 1
Ida	sec. XII.	p. 112	T. 2
Ildophonsus	sec. VII.	p. 244	T. 1
Ignatius	sec. II.	p. 101	T. 1
Ignatius	sec. IX.	p. 310	T. 1
Ignatius Loyola	sec. XVI.	p. 274	T. 2
Joannes Franciſca Fremiot	sec. XVII.	p. 331	T. 2
Joannes Evang.	sec. I.	p. 81	T. 1
Joannes Chryſoſtomus	sec. IV.	p. 156	T. 1
Joannes Silentiarius	sec. V.	p. 191	T. 1
Joannes Climacus	sec. VI.	p. 218	T. 1
Joannes	sec. VII.	p. 250	T. 1
Joannes Damaſcenus	sec. VIII.	p. 271	T. 1
Joannes	sec. IX.	p. 308	T. 1
Joannes Gualbertus	sec. XI.	p. 80	T. 2
Joannes de Matha	sec. XIII.	p. 142	T. 2
Joannes a Capiſtrano	sec. XV.	p. 215	T. 2

Joannes Sahaugunenſis	Sec. XV.	p. 215	T. 2
Joannes de Deo	ſec. XVI.	p. 274	T. 2
Joannes a Cruce	ſec. XVI.	p. 275	T. 2
Joannes Avila	ſec. XVI.	p. 275	T. 2
Joannes Hail	ſec. XVI.	p. 276	T. 2
Joannes Foreſtus	ſec. XVI.	p. 276	T. 2
Joannes Cardinalis Roffenſis	ſec. XVI.	p. 276	T. 2
Joannes Franciſcus Tenderini	ſec. XVIII.	p. 374	T. 2
Joannicius	ſec. IX.	p. 307	T. 1
Joſeph a Leoniſſa	ſec. XVII.	p. 330	T. 2
Joſeph Calaſanctius	ſec. XVII.	p. 331	T. 2
Jovita	ſec. II.	p. 107	T. 1
Iræneus	ſec. II.	p. 102	T. 1
Iſaac	ſec. IX.	p. 308	T. 1
Iſaacus	ſec. VI.	p. 223	T. 1
Iſchirion	ſec. III.	p. 132	T. 1
Iſidorus Peluſiota	ſec. V.	p. 183	T. 1
Iſidorus Hiſpalenſis	ſec. VII.	p. 243	T. 1
Judas	ſec. I.	p. 75	T. 1
Julianus	ſec. II.	p. 105	T. 1
Julianus	ſec. VII.	p. 250	T. 1
Julius	ſec. III.	p. 130	T. 1
Ivo Bellovacenſis	ſec. XI.	p. 70	T. 2
Ivo	ſec. XIV.	p. 179	T. 2
Juſtinus	ſec. II.	p. 106	T. 1
L.			
Ladislaus	Sec. XI.	p. 80	T. 2
Lambertus	ſec. VII.	p. 250	T. 1
Laurentius	ſec. III.	p. 133	T. 1
Laurentius Juſtinianus	ſec. XV.	p. 215	T. 2
Leo	ſec. XI.	p. 80	T. 2
Leonides	ſec. III.	p. 129	T. 1
Leopoldus	ſec. XII.	p. 112	T. 2
Libentius	ſec. XI.	p. 79	T. 2
Lidvina	ſec. XV.	p. 216	T. 2

Lucas	Seculo I.	p. 74	T. 1
Ludmilla	ſec. X.	p. 335	T. 1
Ludovicus Rex	ſec. XIII.	p. 146	T. 2
Ludovicus Toloſanus	ſec. XIII.	p. 148	T. 2
Ludovicus Cardin.	ſec. XV.	p. 215	T. 2
Ludovicus Florez	ſec. XVII.	p. 330	T. 2
Ludgerus	ſec. IX.	p. 305	T. 1
Lupus	ſec. V.	p. 190	T. 1

M.

Macarius	Seculo IV.	p. 154	T. 1
Macarius	ſec. XI.	p. 79	T. 2
Majolus	ſec. X.	p. 336	T. 1
Mamantes	ſec. III.	p. 135	T. 1
Mamertus	ſec. V.	p. 190	T. 1
Marcella	ſec. III.	p. 129	T. 1
Marcellinus	ſec. XIII.	p. 145	T. 2
Marcianus	ſec. VIII.	p. 275	T. 1
Marcus Evang.	ſec. I.	p. 74	T. 1
Margarita	ſec. IX.	p. 80	T. 2
Margarita	ſec. XIII.	p. 148	T. 2
Maria	ſec. IX.	p. 308	T. 1
Maria Scotor. Reg.	ſec. XVI.	p. 277	T. 2
Maria Magdalena de Pazzis	ſec. XVII.	p. 330	T. 2
Maria Agreda	ſec. XVII.	p. 330	T. 2
Maria de Cyz	ſec. XVII.	p. 331	T. 2
Maria Clementina	ſec. XVIII.	p. 375	T. 2
Marius	ſec. II.	p. 107	T. 1
Maro	ſec. V.	p. 191	T. 1
Martina	ſec. III.	p. 130	T. 1
Martinianus	ſec. I.	p. 79	T. 1
Martinianus	ſec. V.	p. 190	T. 1
Martinus	ſec. IV.	p. 164	T. 1
Marutha	ſec. V.	p. 190	T. 1
Maſſa Candida ſeu 300. Martyres	ſec. III.	p. 134	T. 1
Mathildes	ſec. X.	p. 336	T. 1
Matthæus	ſec. I.	p. 74	T. 1

Mauritius	Seculo XI.	p. 80	T. 2
Maxima	ſec. V.	p. 190	T. 1
Maximus	ſec. VII.	p. 243	T. 1
Medardus	ſec. VI.	p. 222	T. 1
Melania	ſec. V.	p. 191	T. 1
Meneleus	ſec. VIII.	p. 275	T. 1

N.

Nazarius	Seculo I.	p. 79	T. 1
Nereus	ſec. I.	p. 81	T. 1
Nicephorus	ſec. IX.	p. 306	T. 1
Nicetas	ſec. IX.	p. 306	T. 1
Nicolaus Tolentinas	ſec. XIV.	p. 179	T. 2
Nicolaus Albergati	ſec. XV.	p. 215	T. 2
Nicolaus Roppo	ſec. XVIII.	p. 375	T. 2
Nicomedes	ſec. I.	p. 81	T. 1
Nilus Junior	ſec. XI.	p. 79	T. 2
Norbertus Præmonſtratenſis	ſec. XII.	p. 105	T. 2

O.

Odilon	Seculo IX.	p. 97	T. 2
Odo	ſec. X.	p. 336	T. 1
Olavus	ſec. XI	p. 79	T. 2
Olympias	ſec. I.	p. 79	T. 1
Oſualdus	ſec. X.	p. 336	T. 1
Otho	ſec. XII.	p. 111	T. 2

P.

Pachomius	Seculo IV.	p. 154	T. 1
Patianus	ſec. IV.	p. 155	T. 1
Palmarius	ſec. III.	p. 130	T. 1
Pantaleo	ſec. IV.	p. 160	T. 1
Papulus	ſec. II.	p. 108	T. 1
Parpus	ſec. II.	p. 108	T. 1
Paſtor	ſec. II.	p. 107	T. 1
Patritius	ſec. V.	p. 190	T. 1
Paulinus	ſec. VII.	p. 249	T. 1
Paulinus	ſec. VIII.	p. 271	T. 1
Paulinus	ſec. IX.	p. 305	T. 1

Paulus	Seculo I.	p. 74	T. 1
Paulus Eremita	ſec. III.	p. 133	T. 1
Paulus Martyr	ſec. III.	p. 133	T. 1
Perpetua	ſec. III.	p. 129	T. 1
Petronius	ſec. V.	p. 100	T. 1
Petrus	ſec. I.	p. 57	T. 1
Petrus	ſec. III.	p. 133	T. 1
Petrus Chryſologus	ſec. V.	p. 182	T. 1
Petrus Damiani	ſec. XI.	p. 69	T. 2
Petrus	ſec. XI.	p. 79	T. 2
Petrus Ep. Palæocaſtri	ſec. XII.	p. 111	T. 2
Petrus Tarantaſiæ	ſec. XII.	p. 111	T. 2
Petrus Nolaſcus	ſec. XIII.	p. 145	T. 2
Petrus Cæleſtinus	ſec. XIII.	p. 148	T. 2
Petrus Paſchalis	ſec. XIII.	p. 148	T. 2
Pdtrus Thomas	ſec. XIV.	p. 179	T. 2
Petrus Senenſis	ſec. XIV.	p. 179	T. 2
Petus de Alcantara	ſec. XVI.	p. 275	T. 2
Petrus Davila	ſec. XVII.	p. 330	T. 2
Petrus Guillerius	ſec. XVII.	p. 331	T. 2
Petrus Martyr	ſec. XVIII.	p. 376	T. 2
Petrus Zuniga	ſec. XVII.	p. 330	T. 2
Philaſtrius	ſec. IV.	p. 156	T. 1
Philippus Benitius	ſec. XIII.	p. 147	T. 2
Philippus Nerius	ſec. XVI.	p. 274	T. 2
Philomenus	ſec. III.	p. 135	T. 1
Pionius	ſec. II.	p. 108	T. 1
Placidus	ſec. VI.	p. 222	T. 1
Platonius	ſec. IX.	p. 306	T. 1
Plutarchus	ſec. III.	p. 129	T. 1
Polycarpus	ſec. II.	p. 102	T. 1
Pontianus	ſec. II.	p. 108	T. 1
Potitus	ſec. II.	p. 108	T. 1
Prætextatus	ſec. VI.	p. 225	T. 1
Praxedes	ſec. II.	p. 107	T. 1
Proceſſus	ſec. I.	p. 79	T. 1
Proſper	ſec. V.	p. 184	T. 1

Protaſius	Seculo I.	p. 79	T. 1
Proterius	ſec. V.	p. 190	T. 1
Prudentius	ſec. IX.	p. 302	T. 1
Publius	ſec. II.	p. 107	T. 1
Pudentiana	ſec. II.	p. 107	T. 1
Pulcheria	ſec. V.	p. 190	T. 1

Q.

Quiriacus	Seculo III.	p. 130	T. 1

R.

Radegundes	Seculo VI.	p. 225	T. 1
Rambrrtus	ſec. IX.	p. 306	T. 1
Raymundus	ſec. XIII.	p. 146	T. 2
Remigius	ſec. VI.	p. 222	T. 1
Remigius	ſec. IX.	p. 302	T. 1
Richardus	ſec. XII.	p. 112	T. 2
Rigobeitus	ſec. VIII.	p. 275	T. 1
Rita	ſec. XV.	p. 216	T. 2
Robertus	ſec. XI.	p. 80	T. 2
Rogatianus	ſec. IV.	p. 160	T. 1
Romualdus	ſec. XI.	p. 79	T. 2
Romulus	ſec. II.	p. 106	T. 1
Roſa a S. Maria	ſec. XVII.	p. 330	T. 2
Roſa Maria Serio	ſec. XVIII.	p. 375	T. 2
Roſalia	ſec. XVI.	p. 275	T. 2
Rupertus	ſec. VIII.	p. 275	T. 1
Rynaldus	ſec. XVI.	p. 266	T. 2

S.

Sabba	Seculo V.	p. 191	T. 1
Sabina	ſec. II.	p. 107	T. 1
Sarbelius	ſec. II.	p. 105	T. 1
Saturianus	ſec. V.	p. 190	T. 1
Scholaſtica	ſec. VI.	p. 222	T. 1
Sebaſtianus	ſec. IV.	p. 160	T. 1
Seraphia	ſec. II.	p. 107	T. 1
Sergius	ſec. VIII.	p. 278	T. 1
Severianus	ſec. VI.	p. 222	T. 1
Severinus	ſec. V.	p. 190	T. 1
Silveſter	ſec. XIII.	p. 146	T. 2
Simeon	ſec. II.	p. 105	T. 1

Simeon Stylita	Seculo V.	p. 191	T. 1
Simeon Stylita Junior	ſec. VI.	p. 218	T. 1
Simeon Stock	ſec. XIII.	p. 145	T. 2
Sophronius	ſec. VII.	p. 242 & 243	T. 1
Stanislaus	Sec. XI.	p. 80	T. 2
Stanislaus Koſtka	ſec. XVI.	p. 275	T. 2
Stephanus	ſec. XI.	p. 80	T. 2
Suitbertus	ſec. VIII.	p. 278	T. 1
Syagrius	ſec. VI.	p. 225	T. 1
Symphorianus	ſec. II.	p. 108	T. 1
Symphoroſa	ſec. II.	p. 107	T. 1

T.

Taraſius	Sec. IX.	p. 305	T. 1
Tetricus	ſec. VIII.	p. 274	T. 1
Theodora	ſec. IX.	p. 308	T. 1
Theodoricus	ſec. XI.	p. 79	T. 2
Theodorus	ſec. III.	p. 127	T. 1
Theodorus	ſec. VI.	p. 225	T. 1
Theodorus	ſee. VII.	p. 250	T. 1
Theodorus Studita	ſec. IX.	p. 306	T. 1
Teophanes	ſec. VIII.	p. 276	T. 1
Thereſia	ſec. XVI.	p. 274	T. 2
Thomas Martyr	ſec. XII.	p. 106	T. 2
Thomas Aquinas	ſec. XIII.	p. 137	T. 2
Thomas a Villanova	ſec. XVI.	p. 271 & 275	T. 2
Thomas Anton. Arbuatti	ſec. XVIII.	p. 375	T. 2
Thomas Corenſis	ſec. XVIII.	p. 375	T. 2
Thomas Jeſu	ſec. XVI.	p. 274	T. 2
Thomas Morus	ſec. XVI.	p. 276	T. 2
Turibius	ſec. V.	p. 190	T. 1

V.

Valerianus	Sec. III.	p. 130	T. 1
Walfridus	ſec. VIII.	p. 274	T. 2
Veronica	ſec. XV.	p. 216	T. 2
Victorinus	ſec. III.	p. 127	T. 1

Victor	Seculo V.	p. 184	T. 1
Vincentius Ferrerius	sec. XV.	p. 215	T. 2
Vincentius a Paulo	sec. XVII.	p. 331	T. 2
Winceslaus	sec. X.	p. 335	T. 1
Virgilius	sec. VIII.	p. 278	T. 1
Uldaricus	sec. X.	p. 336	T. 1
Wolphangus	sec. X.	p. 336	T. 1

Z.

Zenno	Seculo IV.	p. 155	T. 1

INDEX VI.

SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM

Alphabetico-Chronologicus.

Scriptores Monachi designantur literis hisce Ag. Augustiniani; Bn. Benedictini; Br. Barnabitæ; Bs. Basiliani: Cm. Camaldulenses; Cn. Cluniacenses; Cr. Carmelitæ; Ct. Cistercienses; Fr. Franciscani; Is. Jesuitæ; Or. Oratorii Patres; Pd. Prædicatores; Sm. Sommaschus Ordo; SP. Scholarum. Piar. Patres; Tn. Theatini; Vs. Vallisumbrosæ Fratres.

A.

Abbo	Seculo X.	p. 329	T. 1
Acyndinus	sec. XIV.	p. 175	T. 2
Adamus Canonic. Bremens.	sec. XI.	p. 72	T. 2
Adelboldus	sec. XI.	p. 73	T. 2
Adelmannus	sec. XI.	p. 71	T. 2
Adelmarus	sec. XI.	p. 72	T. 2
Adeodatus Nuzzi	sec. XVIII.	p. 366	T. 2
Ado	sec. IX.	p. 302	T. 1
Adrianus de Valois	sec. XVII.	p. 324	T. 2

Adrianus de Walemburch	sec. XVII.	p. 325	T. 2
Adrianus Baillet	sec. XVIII.	p. 369	T. 2
Ægidius Romanus *Ag.*	sec. XIII.	p. 139	T. 2
Ægidius Viterbiensis *Ag.*	sec. XVI.	p. 264	T. 2
Aelfricus	sec. X.	p. 330	T. 1
Aelfridus	sec. IX.	p. 303	T. 1
Æneas Silvius Piccolomineus	sec. XV.	p. 210	T. 2
Agobardus	sec. IX.	p. 301	T. 1
Agobardus	sec. IX.	p. 303	T. 1
Aimoinus Aquitanus	sec. XI.	p. 72	T. 2
A Lapide *Is.*	sec. XVII.	p. 326	T. 2
Albericus	sec. XI.	p. 71	T. 2
Albertin. Mussatus	sec. XIV.	p. 174	T. 2
Albertus Magnus *Pd.*	sec. XIII.	p. 138	T. 2
Albertus Pighius	sec. XVI.	p. 266	T. 2
Alexander de Hales *Fr.*	sec. XIII.	p. 137	T. 2
Alexander Politi *SP.*	sec. XVIII.	p. 368	T. 2
Alexander de S. Elpidio *Ag.*	sec. XIV.	p. 172	T. 2
Aloysius Legionensis	sec. XVI.	p. 265	T. 2
Aloysius Torelli *Ag.*	sec. XVII.	p. 322	T. 2
Alphanus	sec. XI.	p. 73	T. 2
Alphonsus Vargas *Ag.*	sec. XIV.	p. 173	T. 2
Alphonsus Tostatus	sec. XV.	p. 209	T. 2
Alphonsus Salmeron *Is.*	sec. XVI.	p. 267	T. 2
Alphonsus a Castro *Fr.*	sec. XVI.	p. 267	T. 2
Alulphus	sec. XI.	p. 73	T. 2

Amalarius Fortunatus	Seculo IX.	p. 303	T. 1
Amatus	sec. XI.	p. 72	T. 2
Ambrosius	sec. IV.	p. 156	T. 1
Ambrosius de Altamura *Fr.*	sec. XIV.	p. 172	T. 2
Ambrosius *Cm.*	sec. XV.	p. 210	T. 2
Ambrosius Catharinus *Pd.*	sec. XVI.	p. 265	T. 2
Ambrosius Flandinus *Ag.*	sec. XVI.	p. 266	T. 2
Ambrosius Cardebosch	sec. XVIII.	p. 368	T. 2
Ammonius Alexand.	sec. III.	p. 125	T. 1
Amulus	sec. IX.	p. 301	T. 1
Anastasius Sinaita	sec. VII.	p. 142 & 244	T. 1
Anastasius	sec. IX.	p. 302	T. 1
Andreas Agnellus	sec. IX.	p. 302	T. 1
Andreas Bilius *Ag.*	sec. XV.	p. 207	T. 2
Andreas Barbatius	sec. XV.	p. 211	T. 2
Andreas Vega *Fr.*	sec. XVI.	p. 265	T. 2
Adrichomius Batavus	sec. XVI.	p. 270	T. 2
Andronicus Comnenus Byzantinus	sec. XII.	p. 108	T. 2
Angelus Rocca *Ag.*	sec. XVII.	p. 319	T. 2
Angelus Maria Quirinus *Bn.* Card.	sec. XVIII.	p. 364	T. 2
Angelus Calogera *Cm.*	sec. XVIII.	p. 364	T. 2
Anicia Falconia Proba	sec. V.	p. 185	T. 1
Anna Comnena	sec. XII.	p. 108	T. 2
Anonymus Byzantinus	sec. X.	p. 328	T. 1

Anſelmus	Sec. XI.	p. 70	T. 2
Anſelmus Leodicenſis	ſec. XI.	p. 72	T. 2
Anſelmus Coſtadoni *Cm.*	ſeo. XVIII.	p. 364	T. 2
Anſelmus Hormonſeder	ſec. XVIII.	p. 366	T. 2
Antiochus	ſec. VII.	p. 242	T. 1
Antonius Archiepiſc. *Pd.*	ſec. XV.	p. 208	T. 2
Antonius Reginaldus *Pd.*	ſec. XVII.	p. 319	T. 2
Antonius Bremond *Pd.*	ſec. XVIII.	p. 365	T. 2
Antonius Maſſouile *Pd.*	ſec. XVIII.	p. 364	T. 2
Antonius	ſec. IV.	p. 154	T. 1
Antonius Patavinus	ſec. XIII.	p. 139	T. 2
Antonius Aragonius	ſec. XIV.	p. 171	T. 2
Antonius a Butrio	ſec. XV.	p. 211	T. 2
Antonius Auguſtinus	ſec. XVI.	p. 271	T. 2
Antonius Pagius	ſec. XVII.	p. 322	T. 2
Antonius Gallonius *Or.*	ſec. XVII.	p. 323	T. 2
Antonius Arnaldus	ſec. XVII.	p. 326	T. 2
Antonius Guerrero	ſec. XVIII.	p. 366	T. 2
Antonius Auguſtinus Giorgi *Ag.*	ſec. XVIII.	p. 366	T. 2
Antonius Franciſcus, Bellati *If.*	ſec. XVIII.	p. 367	T. 2
Antonius Felix Matthæius *Fr.*	ſec. XVIII.	p. 368	T. 2
Antonius Bianchi *Fr.*	ſec. XVIII.	p. 368	T. 2
Antonius Franciſcus Vezzoſi *Tn.*	ſec. XVIII.	p. 368	T. 2

Antonius Boncat	Sec. XVIII.	*p.* 369	T. 2
Antonius Franciscus Gori	sec. XVIII.	*p.* 370	T. 2
Antonius Sandini	sec. XVIII.	*p.* 371	T. 2
Arator	sec. VI.	*p.* 219	T. 1
Arias Montanus	sec. XVI.	*p.* 267	T. 2
Arnobius	sec. IV.	*p.* 157	T. 1
Arnoldus Carnotensis	sec. XII.	*p.* 108	T. 2
Athanasius	sec. IV.	*p.* 154	T. 1
Augustinus	sec. V.	*p.* 181	T. 1
Augustin. Triumphus *Ag.*	sec. XIII.	*p.* 139	T. 2
Augustinus Asculanus *Ag.*	sec. XIV.	*p.* 173	T. 2
Augustin. Steuchus	sec. XVI.	*p.* 270	T. 2
Augustin. Gibbon *Ag.*	sec. XVII.	*p.* 319	T. 2
Augustinus Lubinus *Ag.*	sec. XVII.	*p.* 319	T. 2
Augustin. Calmet *Bn.*	sec. XVIII.	*p.* 364	T. 2
Augustin Ricchinus *Pd.*	sec. XVIII.	*p.* 365	T. 2
Augustin. Arpe *Ag.*	sec. XVIII.	*p.* 366	T. 2
Augustin. Vit. spirit. Mag.	sec. XVIII.	*p.* 366	T. 2
Aurelius Piette *Ag.*	sec. XVIII.	*p.* 366	T. 2
Azorius *If.*	sec. XVII.	*p.* 326	T. 2

B.

Bajus	Sec. XVI.	*p.* 264	T. 2
Balduinus Anglus	sec. XII.	*p.* 108	T. 2
Baldus Ubaldus	sec. XIV.	*p.* 174	T. 2
Baltus *If.*	sec. XVIII.	*p.* 365	T. 2
Baptista Platina	sec. XV.	*p.* 210	T. 2
Barnabas	sec. I.	*p.* 76	T. 1
Bartholomæus Albitius *Pd.*	sec. XVI.	*p.* 172	T. 2

Bartholom. Urbinas *Ag.*	Sec. XIV.	*p.* 172	T. 2
Bartholomæus Medina *Pd.*	sec. XVI.	*p.* 265	T. 2
Bartholom. de Cerranza	sec. XVI.	*p.* 270	T. 2
Bartholom. Peres *If.*	sec. XVII.	*p.* 318	T. 2
Bartholom. Faber	sec. XVIII.	*p.* 366	T. 2
Basilius Magnus	sec. IV.	*p.* 155	T. 1
Basilius Cilix	sec. VI.	*p.* 216	T. 1
Basilius Imp.	sec. IX.	*p.* 304	T. 1
Basilius Poncius *Ag.*	sec. XVI.	*p.* 265	T. 2
Baunius *If.*	sec. XVII.	*p.* 326	T. 2
Beda	sec. VIII.	*p.* 270	T. 1
Bellator	sec. VI.	*p* 214	T. 1
Benedictus	sec. VI.	*p.* 218	T. 1
Benedictus	sec. IX.	*p.* 303	T. 1
Benedictus Perrerius *If.*	sec. XVII.	*p.* 318	T. 2
Benedictus Justinianus *If.*	sec. XVII.	*p.* 318	T. 2
Bened. Mittarelli *Cm.*	sec. XVIII.	*p.* 364	T. 2
Bened. Gattinius	sec. XVIII.	*p.* 366	T. 2
Berengosus Abbas	sec. XII.	*p.* 107	T. 2
Bernardinus Senensis *Fr.*	sec. XV.	*p.* 208	T. 2
Bernardin. Rosignolius *If.*	sec. XVII.	*p.* 318	T. 2
Bernardus *Ct.*	sec. XII.	*p.* 104	T. 2
Bernardus Abbas Cassinen. *Bn.*	sec. XIV.	*p.* 173	T. 2
Bernardus de Rubeis *Pd.*	sec XVIII.	*p.* 365	T. 2
Bernardus Desirant	sec. XVIII.	*p.* 366	T. 2
Bernardus Lamy *Or.*	sec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Berno	sec. XI.	*p.* 73	T. 2

Berruyer *If.*	Sec. XVIII.	*p.* 367	T. 2
Bertharius	ſeculo IX.	*p.* 301	T. 1
Bertrandus de Trilla	ſeculo XIV.	*p.* 172	T. 2
Beſombus	ſec. XVIII.	*p.* 370	T. 2
Beſſarion	ſec. XV.	*p.* 208	T. 2
Birgitta	ſec. XIV.	*p.* 175	T. 2
Blaſius Paſchalis	ſec. XVII.	*p.* 326	T. 2
Bonaventura Balneoregienſis *Fr.*	ſec. XIII.	*p.* 138	T. 2
Bonitius	ſec. XI.	*p.* 74	T. 2
Bonus Merbeſius	ſec. XVII.	*p.* 326	T. 2
Bruno Colonienſis	ſeculo XI.	*p.* 70	T. 2
Bruno	ſec. XI.	*p.* 71	T. 2
Burchardus	ſec. X.	*p.* 330	T. 1
Buſembaum *If.*	ſec. XVII.	*p.* 326	T. 2

C.

Cæleſtinus Sfondratus	ſec. XVII.	*p.* 320	T. 2
Cæſar Baronius *Or.*	ſec. XVII.	*p.* 319	T. 2
Cæſarius	ſec. VI.	*p.* 318	T. 1
Cajetan. Maria Bergomas *Fr.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Calini *If.*	ſec. XVIII.	*p.* 367	T. 2
Cardinalis de Lugo *If.*	ſec. XVII.	*p.* 318	T. 2
Carolus Magnus	ſec. IX.	*p.* 304	T. 1
Carolus Borromæus	ſec. XVI.	*p.* 271	T. 2
Carolus Nocetus *If.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Carolus Dominicus de Mola *Fr.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Carolus Antoniolus *SP.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Carolus Vitaſſe	ſec. XVIII.	*p.* 370	T. 2
Caſimirus Tempeſti *Fr.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Caſſiodorus	ſec. VI.	*p.* 216	T. 1

Caſtus Innocentius *Pd.*	Sec. XVIII.	*p.* 365	T. 2
Catani *Iſ.*	ſec. XVIII.	*p.* 367	T. 2
Catharina Senenſis	ſec. XIV.	*p.* 175	T. 2
Cercerau *Iſ.*	ſec. XVIII.	*p.* 367	T. 2
Chriſtianus Lupus *Ag.*	ſec. XVII.	*p.* 319	T. 2
Chriſtianus Druthmarus	ſec. IX.	*p.* 301	T. 1
Chriſtophorus Cobos *Iſ.*	ſec. XVII.	*p.* 318	T. 2
Chromatius	ſec. V.	*p.* 183	T. 1
Ciaconius Toletanus	ſec. XVI.	*p.* 271	T. 2
Cido Catalanus *Ag.*	ſec. XIV.	*p.* 173	T. 2
Claudianus Mamertus	ſeculo V.	*p.* 186	T. 1
Claudius	ſec. IX.	*p.* 300	T. 1
Claudius Fraſſen *Fr.*	ſec. XVII.	*p.* 319	T. 2
Claudius du Vert *Cn.*	ſec. XVIII.	*p.* 364	T. 2
Claudius Fromondus *Cm.*	ſec. XVIII.	*p.* 364	T. 2
Claudius Fleury	ſec. XVIII.	*p.* 369	T. 2
Clemens Papa	ſeculo I.	*p.* 75	T. 1
Clemens Alexandr.	ſec. II.	*p.* 103	T. 1
Clemens Florentinus *Ag.*	ſeculo XIV.	*p.* 173	T. 2
Clichtoveus Pariſienſis	ſec. XVI.	*p.* 266	T. 2
Columbanus	ſeculo VI.	*p.* 218	T. 1
Conradus Præmonſtratenſis	ſec. XIII.	*p.* 140	T. 2
Conſtantinus Porphyrogen.	ſec. X.	*p.* 328	T. 1
Conſtantinus Manaſſes	ſeculo XII.	*p.* 107	T. 2
Conſtantinus Her-			

menopolus	Sec. XII.	p. 108	T. 2
Conſtantinus Ronchalia	ſec. XVIII.	p. 369	T. 2
Conſtantinus Rabbi *Ag.*	ſec. XVIII.	p. 369	T. 2
Cornelius Muſſus *Fr.*	ſeculo XVI.	p. 265	T. 2
Cornelius Janſenius	ſeculo XVI.	p. 268	T. 2
Cyprianus	ſeculo III.	p. 126	T. 1
Cyrillus Jeroſolym.	ſec. IV.	p. 155	T. 1
Cyrillus Alexandr.	ſec. V.	p. 182	T. 1

D.

Dacius	Seculo VI.	p. 216	T. 1
Damaſus Emporienſis *Fr.*	ſec. XVIII.	p. 368	T. 2
Daniel Concina *Pd.*	ſec. XVIII.	p. 365	T. 2
Daniel Marcolinus	ſec. XVIII.	p. 366	T. 2
Daniel *Iſ.*	ſec. XVIII.	p. 367	T. 2
David Syrus	ſec. XI.	p. 73	T. 2
Deſiderius Eraſmus	ſec. XVI.	p. 269	T. 2
Didacus Alvarez *Pd.*	ſec. XVII.	p. 318	T. 2
Dionyſius Alexandr.	ſeculo III.	p. 126	T. 1
Dionyſius Exiguus	ſec. VI.	p. 217	T. 1
Dionyſius Carthuſian.	ſec. XV.	p. 209	T. 2
Dionyſius Petavius *Iſ.*	ſec. XVII.	p. 321	T. 2
Dionyſius Sammarthan. *Bn.*	ſec. XVIII.	p. 363	T. 2
Ditmarus Germanus	ſec. XI.	p. 72	T. 2
Dominicus	ſeculo XIII.	p. 132	T. 2

Dominicus Soto *Pd.*	sec. XVI.	*p.* 264	T. 2
Dominicus Bannes *Pd.*	sec. XVII.	*p.* 317	T. 2
Dominicus Maria Speron *Fr.*	sec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Dungalus	seculo IX.	*p.* 301	T. 1
Dunstanus	sec. X.	*p.* 330	T. 1
Durandus a S. Portiano *Pd.*	sec. XIV.	*p.* 172	T. 2
Durandus Normannus *Bn.*	sec. XIV.	*p.* 173	T. 2

E.

Eadmerus *sive* Emundus Monach. Anglus	Sec. XII.	*p.* 107	T. 2
Eberardus Ratisbonensis	sec. XIV.	*p.* 174	T. 2
Echius Svecus	sec. XVI.	*p.* 266	T. 2
Edmundus Martene *Bn.*	sec. XVIII.	*p.* 363	T. 2
Edmundus Simonetti *Is.*	sec. XVIII.	*p.* 367	T. 2
Eduardus Corsinius *SP.*	sec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Eginhardus	sec. IX.	*p.* 302	T. 1
Elias Cretensis	sec. VIII.	*p.* 273	T. 1
S. Elisabeth	sec. XII.	*p.* 108	T. 2
Emanuel a Schelstrate	sec. XVII.	*p.* 324	T. 2
Ennodius	sec. VI.	*p.* 219	T. 1
Ephrem Syrus	sec. IV.	*p.* 155	T. 1
Ephræmius Antiochenus	sec. VI.	*p.* 215	T. 1
Epiphanius	sec. IV.	*p.* 156	T. 1
Ernoldus Nigellus	seculo IX.	*p.* 302	T. 1
Escobarius *Is.*	sec. XVII.	*p.* 326	T. 2
Estius	sec. XVI.	*p.* 266	T. 2
Eudocia Augusta	sec. V.	*p.* 185	T. 1
Eulogius	sec. IX.	*p.* 302	T. 1

Euſebius Vercellenſis	Sec. IV.	*p.* 155	T. 1
Euſtachius Theſſalonicenſis	ſec. XII.	*p.* 108	T. 2
Eutychianus	ſec. VI.	*p.* 217	T. 1
Eutychius	ſec. X.	*p.* 328	T. 1
Euthymius Zigabenus	ſeculo XII.	*p.* 104	T. 2

F.

Facundus	ſec. VI.	*p.* 215	T. 1
Felinus Ferrarienſis	ſec. XV.	*p.* 211	T. 2
Felix Pratenſis *Ag.*	ſec. XVI.	*p.* 267	T. 2
Felix Mayr	ſec. XVIII.	*p.* 366	T. 2
Ferdinandus Ughelli *Ct.*	ſec. XVII.	*p.* 323	T. 2
FidelisSoldani *Vſ.*	ſec. XVIII.	*p.* 364	T. 2
Filiutius *Iſ.*	ſec. XVII.	*p.* 326	T. 2
Flaccus Alcuinus	ſeculo VIII.	*p.* 271	T. 1
Flaminius Nobilius	ſec. XVI.	*p.* 268	T. 2
Flavius Blondus	ſec. XV.	*p.* 209	T. 2
Flodoardus	ſeculo X.	*p.* 329	T. 1
Florus	ſec. IX.	*p.* 301	T. 1
Fonſeca *Iſ.*	ſec. XVII.	*p.* 319	T. 2
Fortunatus a Brixia *Fr.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Fortunatus Venerius *Br.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Franciſcus	ſec. XIII.	*p.* 139	T. 2
Franciſc. Mayronis *Fr.*	ſec. XIV.	*p.* 171	T. 2
Franciſc. Zabarella	ſec. XV.	*p.* 211	T. 2
Franciſc. a Victoria *Pd.*	ſec. XVI.	*p.* 265	T. 2
Franciſc. Titelmannus *Fr.*	ſec. XVI.	*p.* 265	T. 2
Franciſc. Turrianus *Iſ.*	ſec. XVI.	*p.* 265	T. 2

Franciſc. Card. Toletus *Iſ.*	Sec. XVI.	*p.* 267	T. 2
Franciſc. Vatablus	ſec. XVI.	*p.* 267	T. 2
Franciſc. Card. Ximenius *Fr.*	ſec. XVI.	*p.* 267	T. 2
Franciſcus Saleſius	ſec. XVII.	*p.* 316	T. 2
Franc. Zumel	ſec. XVII.	*p.* 317	T. 2
Franciſc. Suareſius *Iſ.*	ſec. XVII.	*p.* 318	T. 2
Franciſc. Sylvius	ſec. XVII.	*p.* 319	T. 2
Franciſc. Macedo *Fr.*	ſec. XVII.	*p.* 319	T. 2
Franciſc. Pagius	ſec. XVII.	*p.* 322	T. 2
Franciſc. Combeſis *Pd.*	ſec. XVII.	*p.* 324	T. 2
Franciſc. Fevardentius *Fr.*	ſec. XVII.	*p.* 325	T. 2
Franciſc. Annatus	ſec. XVII.	*p.* 327	T. 2
Franciſc. Anton. Zacharias *Iſ.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Franciſc. Leoni *Fr.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Franciſc. Maria Card. Caſinus *Fr.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Franciſc. Rotarius *Bn.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Franciſc. Baldini *Sm.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Franciſc. Raymundus Adamus	ſec. XVIII.	*p.* 369	T. 2
Franciſc. Maria Riccius	ſec. XVIII.	*p.* 370	T. 2
Franciſc. Blanchinius	ſec. XVIII.	*p.* 370	T. 2
Fredegarius	ſec. VIII.	*p.* 272	T. 1
Fridegodus	ſec. X.	*p.* 330	T. 1
Fulbertus	ſec. XI.	*p.* 73	T. 2
Fulgentius	ſec. VI.	*p.* 215	T. 1

Fulgentius Ferrandus	Sec. VI.	p. 215	T. 1
Fulgentius Bellelli	ſec. XVIII.	p. 366	T. 2

G.

Gabriel Radulphus *Cn.*	Sec. XI.	p. 72	T. 2
Gabriel Biel	ſeculo XV.	p. 208	T. 2
Gabriel Vaſquez *If.*	ſec. XVII.	p. 318	T. 2
Gabriel Henno *If.*	ſec. XVII.	p. 319	T. 2
Gabriel Albaſpinæus	ſec. XVII.	p. 325	T. 2
Galeſinius	ſec. XVI.	p. 270	T. 2
Gaſparus Caſalius *Ag.*	ſec. XVI.	p. 265	T. 2
Gaſparus Juvenin *Or.*	ſec. XVIII.	p. 368	T. 2
Gaultier	ſec. XVIII.	p. 367	T. 2
Gelaſius	ſec. V.	p. 184	T. 1
Genettus	ſec. XVIII.	p. 370	T. 2
Gennadius	ſec. V.	p. 185	T. 1
Gentianus Hervetus	ſec. XVI.	p. 271	T. 2
Georgius Cedrenus	ſec. XI.	p. 72	T. 2
Georgius Caſſander	ſec. XVI.	p. 267	T. 2
Gerardus	ſec. XI.	p. 73	T. 2
Gerdil *Br.*	ſec. XVIII.	p. 368	T. 2
Germanus	ſec. VIII.	p. 270	T. 1
Gilbertus Genebrardus	ſec. XVI.	p. 270	T. 2
Gilbertus Porretanus	ſeculo XII.	p. 107	T. 2
Gildas	ſeculo VI.	p. 217	T. 1
Gothefridus Hermant	ſec. XVII.	p. 327	T. 2
Gotheſchalchus	ſec. IX.	p. 301	T. 1
Gratianus	ſec. XII.	p. 105	T. 2
Gregorius Neocæſar.	ſeculo III.	p. 126	T. 1

Gregor. Niſſænus	Seculo IV.	*p.* 156	T. 1
Gregorius Nazianz	ſec. IV.	*p.* 156	T. 1
Gregor. Turon.	ſec. VI.	*p.* 216	T. 1
Gregor. Acropolites	ſec. XIII.	*p.* 141	T. 2
Gregor. Bachymeres	ſec. XIV.	*p.* 175	T. 2
Gregorius	ſec. XIV.	*p.* 175	T. 2
Gregor. Nunnius *Ag.*	ſec. XVII.	*p.* 318	T. 2
Gregor. de Valentia *If.*	ſec. XVII.	*p.* 318	T. 2
Gualfredus	ſec. XI.	*p.* 73	T. 2
Guido	ſec. XI.	*p.* 73	T. 2
Guido Grandi *Cm.*	ſec. XVIII.	*p.* 364	T. 2
Guido Carthuſianus	ſec. XII.	*p.* 107	T. 2
Guilbertus Normannus	ſec. XII.	*p.* 107	T. 2
Guilelmus Claræ-vallenſis	ſec. XII.	*p.* 108	T. 2
Guilelm. e Scilliniaco	ſec. XIII.	*p.* 137	T. 2
Guilelm. Gallus	ſec. XIII.	*p.* 137	T. 2
Guilelmus Arvernus	ſec. XIII.	*p.* 140	T. 2
Guilelm. Ochamus *Fr.*	ſec. XIV.	*p.* 171	T. 2
Guilelm. de Nangiaco *Bn.*	ſec. XIV.	*p.* 173	T. 2
Guilelm. Lindanus	ſec. XVI.	*p.* 267	T. 2
Guilelm. Eſtius	ſec. XVII.	*p.* 319	T. 2
Guilelm. Bonjour	ſec. XVIII.	*p.* 365	T. 2
Guitmundus	ſec. XI.	*p.* 71	T. 2
Gummarus Huygens	ſec. XVII.	*p.* 319	T. 2

H.

Hadrianus Daude *If.*	Sec. XVIII.	*p.* 367	T. 2

Haymo	Sec. XI.	p. 300	T. 1
Harduinus *If.*	sec. XVIII.	p. 367	T. 2
Hegesippus	sec. II.	p. 104	T. 1
Helinandus Monachus Cistercienf.	sec. XIII.	p. 140	T. 2
Henricus Gandavenfis	sec. XIII.	p. 138	T. 2
Henricus Suso *Pd.*	sec. XIV.	p. 172	T. 2
Henricus de Urimania *Ag.*	sec. XIV.	p. 172	T. 2
Henricus de Hassia	sec. XIV.	p. 173	T. 2
Henric. Monach. Rebdorfienfis	sec. XIV.	p. 175	T. 2
Henricus Noris *Ag.*	sec. XVII.	p. 320	T. 2
Henric. Spondanus	sec. XVII.	p. 321	T. 2
Henric. de Valois	sec. XVII.	p. 324	T. 2
Henric. a S. Ignatio *Cr.*	sec. XVII.	p. 326	T. 2
Henric. Florez	sec. XVIII.	p. 366	T. 2
Heraclianus	sec. VI.	p. 216	T. 1
Herigerus	sec. X.	p. 329	T. 1
Hermas	sec. I.	p. 76	T. 1
Hervæus Britto *Pd.*	sec. XIV.	p. 172	T. 2
Gervæus Cenomanenfis *Bn.*	sec. XIV.	p. 173	T. 2
Hieronymus	sec. V.	p. 181	T. 1
Hieronymus Savonarola *Pd.*	sec. XV.	p. 209	T. 2
Hieronymus Seripandus *Ag.*	sec. XVI.	p. 267	T. 2
Hieron. Zazerius	sec. XVIII.	p. 366	T. 2
Hieron. e Prato *Or.*	sec. XVIII.	p. 368	T. 2
Hilarius	seculo IV.	p. 155	T. 1
Hildebertus *Cn.*	sec. XI.	p. 73	T. 2
Hildegardes	seculo XII.	p. 109	T. 2
Hincmarus	sec. IX.	p. 302	T. 1

Hippolytus	Seculo III.	p. 125	T. 1
Hippolytus	ſec. X.	p. 338	T. 1
Homobonus *Br.*	ſec. XVIII.	p. 368	T. 2
Honoratus a S. Maria *Cr.*	ſec. XVIII.	p. 369	T. 2
Honoratus Tournelius	ſec. XVIII.	p. 370	T. 2
Honorius Auguſtodunenſ.	ſec. XII.	p. 104	T. 2
Honuphrius Stecutus *Ag.*	ſec. XV.	p. 209	T. 2
Hugo *Cn.*	ſec. XI.	p. 71	T. 2
Hugo de S. Victore *Ag.*	ſec. XII.	p. 104	T. 2
Hugo de S. Caro *Pd.*	ſec. XIII.	p. 140	T. 2
Hugo Menardus *Bn.*	ſec. XVII.	p. 323	T. 2
Hugo Etherianus	ſec. XII.	p. 106	T. 2
Hugolinus Urbevetanus *Ag.*	ſec. XIV.	p. 173	T. 2
Humbertus	ſec. XI.	p. 71	T. 2
Hyacinthus Tonti	ſec. XVIII.	p. 366	T. 2

I.

Jacobus	Seculo I.	p. 75	T. 1
Jacobus de Vitriaco	ſec. XIII.	p. 140	T. 2
Jacobus de Voragine *Pd.*	ſec. XIII.	p. 140	T. 2
Jacobus Viterbienſis *Ag.*	ſec. XIV.	p. 172	T. 2
Jacobus Toloſanus *Ag.*	ſec. XIV.	p. 172	T. 2
Jacobus Magnus *Ag.*	ſec. XV.	p. 208	T. 2
Jacobus Perez *Ag.*	ſec. XV.	p. 209	T. 2
Jacobus Philippus Bergomenſis *Ag.*	ſec. XVI.	p. 269	T. 2
Jacobus Faber	ſec. XVI.	p. 268	T. 2

Jacob. Card. Sadoletus	Sec. XVI.	p. 268	T. 2
Jacobus Billius	sec. XVI.	p. 271	T. 2
Jacobus Pamelius	sec. XVI.	p. 271	T. 2
Jacob. le Boſſu *Bn.*	sec. XVII.	p. 318	T. 2
Jacob. David Peronius	sec. XVII.	p. 319	T. 2
Jacob. Sirmondus *If.*	sec. XVII.	p. 321	T. 2
Jacob. Benignus Boſſuet	sec. XVII.	p. 321	& seq. T. 2
Jacob. Laderchius *Or.*	sec. XVII.	p. 322	T. 2
Jacob. Goarius *Pd.*	sec. XVII.	p. 324	T. 2
Jacob. Hyacinthus Serry *Pd.*	sec. XVIII.	p. 365	T. 2
Jacob. Van-Boſſuyt	sec. XVIII.	p. 366	T. 2
Jacob. Philippus Gatti	sec. XVIII.	p. 366	T. 2
Jacob. Baſſani *If.*	sec. XVIII.	p. 367	T. 2
Jacob. Sanvitali *If.*	sec. XVIII.	p. 368	T. 2
Ildephonſus	sec. VII.	p. 242	T. 1
Ignatius	ſeculo II.	p. 101	T. 1
Ignatius Loyola	ſeculo XVI.	p. 271	T. 2
Ignatius Hyacinthus de Graveſon *Pd.*	sec. XVIII.	p. 365	T. 2
Ingulphus Anglus	sec. XI.	p. 72	T. 2
Joachimus Calaber *Ct.*	sec. XIII.	p. 139	T. 2
Joannes	sec. I.	p. 74	T. 1
Jo. Chryſoſtomus	sec. IV.	p. 156	T. 1
Jo. Caſſianus	ſeculo V.	p. 183	T. 1
Jo. Maxentius	sec. VI.	p. 215	T. 1
Jo. Climacus	ſeculo VI.	p. 218	T. 1
Jo. Antiochenus	sec. VII.	p. 242	T. 1
Jo. Moſchus	sec. VII.	p. 242	T. 1

Jo. Damasc.	Sec. VIII.	p. 271	T. 1
Jo. Erigena	seculo IX.	p. 301 & 302	T. 1
Jo. Xiphilinus	sec. XI.	p. 72	T. 2
Jo. Scylitzes	sec. XI.	p. 72	T. 2
Jo. Sarisburiensis	seculo XII.	p. 105	T. 2
Jo. Zonaras	seculo XII.	p. 108	T. 2
Jo. a S. Geminiano *Pd.*	sec. XIII.	p. 140	T. 2
Jo. Vecchus	seculo XIII.	p. 141	T. 2
Jo. Duns Scotus *Fr.*	sec. XIV.	p. 171	T. 2
Jo. de S. Geminiano *Pd.*	sec. XIV.	p. 172	T. 2
Jo. Schadland *Pd.*	sec. XIV.	p. 172	T. 2
Jo. Tambacensis *Pd.*	sec. XIV.	p. 172	T. 2
Jo. Bacco *Cr.*	sec. XIV.	p. 173	T. 2
Jo. Angrianus, cognomento Incognitus *Cr.*	seculo XIV.	p. 173	T. 2
Jo. Tolosanus agnomine Grossus *Cr.*	sec. XIV.	p. 173	T. 2
Jo. Rysbrokius Canon. Regular.	seculo XIV.	p. 173	T. 2
Jo. Andreas	sec. XIV.	p. 174	T. 2
Jo. Cantacuzenus	seculo XIV.	p. 175	T. 2
Joannes Cyparissiota	sec. XIV.	p. 175	T. 2
Jo. Gersonius	seculo XV.	p. 207	T. 2
Jo. Card. de Turrecremata *Pd.*	seculo XV.	p. 207	T. 2
Jo. Capreolus *Pd.*	sec. XV.	p. 207	T. 2
Jo. a Capistrano *Fr*	seculo XV.	p. 208	T. 2
Jo. Gobelinus	seculo XV.	p. 210	T. 2
Jo. Trithemius *Bn.*	seculo XV.	p. 210	T. 2
Jo. de Ligniano	sec. XV.	p. 211	T. 2
Jo. de Imola	sec. XV.	p. 211	T. 2
Jo. Annius Viterbiensis	seculo XV.	p. 211	*in not.*

Jo. Driedo	Sec. XVI.	p. 264	T. 2
Jo. Heſſelius	ſec. XVI.	p. 265	T. 2
Jo. Hamelius	ſec. XVI.	p. 265	T. 2
Jo. Cochlæus	ſec. XVI.	p. 266	T. 2
Jo. Reuchlin	ſec. XVI.	p. 267	T. 2
Jo. Maldonatus *Iſ.*	ſec. XVI.	p. 268	T. 2
Jo. Mercerus	ſec. XVI.	p. 269	T. 2
Jo. Molanus	ſec. XVI.	p. 270	T. 2
Jo. Baptiſta Mantuanus *Cr.*	ſec. XVI.	p. 270	T. 2
Jo. Stephanus Durant	ſec. XVI.	p. 271	T. 2
Jo. Avila	ſec. XVI.	p. 271	T. 2
Jo. a Cruce *Cr.*	ſeculo XVI.	p. 271	T. 2
Jo. Azorius *Iſ.*	ſec. XVII.	p. 318 & 326	T. 2
Jo. a S. Thoma *Pd.*	ſec. XVII.	p. 319	T. 2
Jo. Baptiſta Gonet *Pd.*	ſec. XVII.	p. 319	T. 2
Jo. Bona	ſec. XVII.	p. 319	T. 2
Jo. Barclajus	ſec. XVII.	p. 319	T. 2
Jo. Bollandus *Iſ.*	ſec. XVII.	p. 322	T. 2
Jo. Baptiſta Giatrinus	ſec. XVII.	p. 322	T. 2
Jo. Harduinus *Iſ.*	ſec. XVII.	p. 323	T. 2
Jo. Launojus	ſec. XVII.	p. 323	T. 2
Jo. Baptiſta Cotelerius	ſec. XVII.	p. 324	T. 2
Jo. Morinus *Or.*	ſec. XVII.	p. 325	T. 2
Jo. Garnerius *Iſ.*	ſec. XVII.	p. 325	T. 2
Jo. de la Haye *Fr.*	ſec. XVII.	p. 326	T. 2
Jo. Martinus Ripalda *Iſ.*	ſec. XVII.	p. 327	T. 2
Jo. Martinonus *Iſ.*	ſec. XVII.	p. 327	T. 2
Jo. Mabillon *Bn.*	ſec. XVIII.	p. 363	T. 2
Jo. Martianæus *Bn.*	ſec. XVIII.	p. 363	T. 2
Jo. Bapt. Cotta *Ag.*	ſec. XVIII.	p. 366	T. 2
Jo. Libens *Ag.*	ſec. XVIII.	p. 366	T. 2
Jo. Nicolaus Chieſa *Ag.*	ſec. XVIII.	p. 366	T. 2

Jo. Thomas de Ronis *Ag.*	Sec. XVIII.	*p.* 366	T. 2
Jo. Pichon *If.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Jo. H. Sbaralea *Fr.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Jo. Bapt. Caraccioli *Tn.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Jo. Carolus Boſſius *SP.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Jo. Cabaſſutius *Or.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Jo. Chryſoſtom. Trombellus	ſec. XVIII.	*p.* 369	T. 2
Jo. Domin. Manſi	ſec. XVIII.	*p.* 369	T. 2
Jo. Lami	ſec. XVIII.	*p.* 370	T. 2
Jo. Ciampinus	ſec. XVIII.	*p.* 370	T. 2
Jonas Hibernus	ſec. VII.	*p.* 244	T. 1
Jonas Aurelianenſis	ſec. IX.	*p.* 301	T. 1
Jordanus de Saxonia *Ag.*	ſec. XIV.	*p.* 173	T. 2
Jordanus de Argentina *Ag.*	ſec. XV.	*p.* 209	T. 2
Jornandes	ſeculo VI.	*p.* 216	T. 1
Joſephus Hebr.	ſec. I.	*p.* 76	T. 1
Joſeph Methonenſis	ſec. XV.	*p.* 210	T. 2
Joſeph de Aguirre *Bn.*	ſec. XVII.	*p.* 320	T. 2
Joſeph Maria Thomaſius *Tn.*	ſec. XVII.	*p.* 320	T. 2
Joſeph Auguſt. Urſius *Pd.*	ſec. XVIII.	*p.* 365	T. 2
Joſeph Binet *If.*	ſec. XVIII.	*p.* 367	T. 2
Joſeph Blanchinus *Or.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Joſeph Catalanus *Or.*	ſec. XVIII.	*p.* 369	T. 2
Irenæus	ſec. II.	*p.* 102	T. 1
Iſaac	ſec. VI.	*p.* 218	T. 1
Iſaac de Saci	ſec. XVII.	*p.* 327	T. 2
Iſidorus Peluſiota	ſec. V.	*p.* 183	T. 1

Iſidorus Hiſpalenſis	Seculo VII.	*p.* 243	T. 1
Iſidorus Epiſc. Pacenſis	ſec. VIII.	*p.* 272	T. 1
Iſidorus Clarius *Bn.*	ſec. XVI.	*p.* 267	T. 2
Iſychius	ſec. VII.	*p.* 242	T. 1
Judas	ſec. I.	*p.* 75	T. 1
Julianus Pomerius	ſec. VII.	*p.* 244	T. 1
Ivo Bellovacenſis	ſec. XI.	*p.* 70	T. 2
Juſtinus	ſec. II.	*p.* 102	T. 1
Juſtus a Tiberiade	ſeculo I.	*p.* 76	T. 1
Juſtus Fontanini	ſec. XVIII.	*p.* 370	B. 2

L.

Lactantius	Seculo IV.	*p.* 157	T. 1
Lambertus le Drou *Ag.*	ſec. XVII.	*p.* 319	T. 2
Lanfrancus	ſec. XI.	*p.* 71	T. 2
Laurentius Veronenſis	ſec. XII.	*p.* 107	T. 2
Laurent. Juſtinianus	ſec. XV.	*p.* 208	T. 2
Laurent. Surius	ſec. XVI.	*p.* 269	T. 2
Laurent. Brancatus de Lauræa *Fr.*	ſec. XVII.	*p.* 319	T. 2
Laurent. Ganganelli *Fr.*	ſec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Leander	ſec. VI.	*p.* 216	T. 1
Leo Sapiens	ſec. IX.	*p.* 304	T. 1
Leo Grammaticus	ſec. XI.	*p.* 72	T. 2
Leo Marſicanus	ſec. XII.	*p.* 103	T. 2
Leo Caſſinenſis	ſec. XII.	*p.* 103	T. 2
Leo Allatius	ſec. XVII.	*p.* 323	T. 2
Leonardus Vanroy	ſec. XVIII.	*p.* 366	T. 2
Leonardus Leſſius *Jſ.*	ſec. XVI.	*p.* 265	T. 2
Leontius	ſec. VI.	*p.* 216	T. 1
Liberatus	ſec. VI.	*p.* 217	T. 1

Libertus Frocmondus	Sec. XVII.	p. 325	T. 2
Lorinus	sec. XVII.	p. 326	T. 2
Lucas	sec. I.	p. 74	T. 1
Lucas Wadingus *Fr.*	sec. XVII.	p. 322	T. 2
Lucas Acherius *Bn.*	sec. XVII.	p. 323	T. 2
LudovicusMolina *Is.*	sec. XVII.	p. 317	T. 2
Ludovicus Vives	sec. XVI.	p. 270	T. 2
Ludovicus Granatensis	sec. XVI.	p. 271	T. 2
Ludovicus Thomasinus *Or.*	sec. XVII.	p. 325	T. 2
Ludov. Vinc. Gotti *Pd.*	sec. XVIII.	p. 365	T. 2
Ludovicus Maria Lucini *Pd.*	sec. XVIII.	p. 365	T. 2
Ludov. du Meslin *Is.*	sec. XVIII.	p. 367	T. 2
Ludov. Ellies du-Pin	sec. XVIII.	p. 369	T. 2
Ludov. Anton. Muratorius	sec. XVIII.	p. 371	T. 2
Luithprandus	sec. X.	p. 329	T. 1
Lupus Servatus	sec. IX.	p. 301	T. 1
Lupus Anglo-Saxo	seculo XI.	p. 73	T. 2

M.

Macarius Ægyptius	sec. IV.	p. 154	T. 1
Macarius Nitriensis	seculo IV.	p. 154	T. 1
Massæus Orlandinus *Is.*	sec. XVII.	p. 323	T. 2
Mamachius *Pd.*	sec. XVIII.	p. 365	T. 2
Manuel Caleca	sec. XIV.	p. 175	T. 2
Marcellinus	sec. VI.	p. 217	T. 1
Marcus	sec. I.	v. 74	T. 1

Marcus Anton. Sabellicus *Bn.*	Sec. XV.	*p.* 210	T. 2
Marcus Anton. Cappellus *Fr.*	sec. XVII.	*p.* 319	T. 2
Marcus Marinus	sec. XVI.	*p.* 270	T. 2
Mariana *If.*	sec. XVII.	*p.* 325	T. 2
Marianus Scotus	sec. XI.	*p.* 72	T. 2
Marius Mercator	sec. V.	*p.* 183	T. 1
Martinus	sec. VI.	*p.* 217	T. 1
Martinus Polonus *Pd.*	sec. XIII.	*p.* 140	T. 2
Martinus Navarrus	sec. XVI.	*p.* 271	T. 2
Martinus Becanus *If.*	sec. XVII.	*p.* 325	T. 2
Martinus de Barcos	sec. XVII.	*p.* 326	T. 2
Matthæus	sec. I.	*p.* 74	T. 1
Matthæus Paris *Bn.*	sec. XIII.	*p.* 140	T. 2
Matthæus Weſtmonaſterienſis *Bn.*	sec. XIV.	*p.* 173	T. 2
Matthæus Blaſtaris	sec. XIV.	*p.* 175	T. 2
Matthæus Petitdidier *Bn.*	sec. XVIII.	*p.* 363	T. 2
Maximus	sec. VII.	*p.* 242	T. 1
Melchior Canus *Pd.*	sec. XVI.	*p.* 265	T. 2
Melchior. Card. de Polignac	sec. XVIII.	*p.* 370	T. 2
Melito Sardianus	sec. II.	*p.* 103	T. 1
Menochius. *If.*	sec. XVII.	*p.* 325	T. 2
Methodius	sec. IX.	*p.* 304	T. 1
Michael Pſellus	sec. XI.	*p.* 70	T. 2
Michael Glycas	sec. XII.	*p.* 104	T. 2
Michael. Coniata	sec. XIII.	*p.* 141	T. 2
Michael Vaſquez *If.*	sec. XVII.	*p.* 318	T. 2
Michael le Quien *Pd.*	sec. XVIII.	*p.* 365	T. 2

Minutius Felix	Sec. III.	p. 125	T. 1
Moſes Barcepha	ſec. X.	p. 330	T. 2
Mutius Vitelleſchus *If.*	ſec. XVII.	p. 318	T. 2

N.

Natalis Alexander *Pd.*	ſec. XVIII.	p. 364	T. 2
Nennius	ſec. VII.	p. 242	T. 2
Nicephorus	ſec. IX.	p. 302	T. 1
Nicephorus Blemmida	ſec. XIII.	p. 141	T. 2
Nicephorus Calliſti filius	ſec. XIV.	p. 175	T. 2
Nicephorus Gregoras	ſec. XIV.	p. 175	T. 2
Niceron *Br.*	ſec. XVIII.	p. 368	T. 2
Nicetas Byzantinus	ſec. XII.	p. 104	T. 2
Nicetas Coniata	ſec. XIII.	p. 141	T. 2
Nicias	ſec. VII.	p. 244	T. 1
Nicolai *If.*	ſec. XVIII.	p. 367	T. 2
Nicolaus Triver *Pd.*	ſec. XIV.	p. 172	T. 2
Nicolaus Lyranus *Fr.*	ſec. XIV.	p. 174	T. 2
Nicolaus de Gorham *Pd.*	ſec. XIV.	p. 174	T. 2
Nicol. Cabaſila	ſec. XIV.	p. 165	T. 2
Nicol. de Cuſa	ſec. XV.	p. 207	T. 2
Nicol. Auximanus *Fr.*	ſec. XV.	p. 208	T. 2
Nicol. Eymericus	ſec. XVI.	p. 264	T. 2
Nicol. Sanderus	ſec. XVI.	p. 270	T. 2
Nicol. Gavardi *Ag.*	ſec. XVII.	p. 319	T. 2
Nicol. Fontana	ſec. XVII.	p. 327	T. 2
Nicol. de Tombeur *Ag.*	ſec. XVIII.	p. 366	T. 2
Nicol. Maria Troiſius *Ag.*	ſec. XVIII.	p. 366	T. 2
Nicol. Landini *Ag.*	ſec. XVIII.	p. 366	T. 2

Nicol. Ghezzi *Is.*	Sec. XVIII.	*p.* 367	T. 2
Nicol. L'Hermi-nier *Ag.*	sec. XVIII.	*p.* 370	T. 2
Nicon	sec. X.	*p.* 330	T. 1
Nilo Doxopatrius	sec. XI.	*p.* 72	T. 2
Nilus Nitrienſis	sec. V.	*p.* 183	T. 1
Nilus Cabaſila	sec. XIV.	*p.* 175	T. 2
Nonnus	sec. V.	*p.* 185	T. 1
Norbertus Præ-monſtratenſis	sec. XII.	*p.* 105	T. 2
Norbertus a Lo-tharingia *Fr.*	Sec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Notkerus	sec. X.	*p.* 329	T. 1

O.

Odilo	Seculo X.	*p.* 331	T. 1
Odo *Cn.*	sec. X.	*p.* 330	T. 1
Odoricus Raynal-dus. *Or.*	sec. XVII.	*p.* 322	T. 2
Oecumenius	sec. X.	*p.* 330	T. 1
Onuphrius Panvi-nius *Ag.*	sec. XVI.	*p.* 269	T. 2
Origenes	sec. III.	*p.* 125	T. 1
Osbernus Anglus	sec. XI.	*p.* 73	T. 2

P.

Pachomius	Sec. IV.	*p.* 154	T. 1
Pacianus	sec. IV.	*p.* 155	T. 1
Palladius	sec. V.	*p.* 183	T. 1
Paſchaſius	sec. VI.	*p.* 214	T. 1
Paſchaſius Rad-bertus	sec. IX.	*p.* 300	T. 1
Paſchaſius Queſ-nellus *Or.*	sec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Paterius	sec. VII.	*p.* 244	T. 1
Paulinus Diac. Mediolanenſis	sec. V.	*p.* 184	T. 1
Paulinus Nolanus	sec. V.	*p.* 185	T. 1
Paulinus	sec. VIII.	*p.* 271	T. 1
Paulinus a *S.* Jo-ſeph *SP.*	sec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Paullus	sec. I.	*p.* 74	T. 1

Paullus Oroſius	Sec. V.	p. 184	T. 1
Paullus Diaconus *Bn.*	ſec. VIII.	p. 271	T. 1
Paullus Utinenſis *Ag.*	ſec. XV.	p. 207	T. 2
Paullus Aringhus *Or.*	ſec. XVII.	p. 322	T. 2
Paullus Comitolus *If.*	ſec. XVII.	p. 326	T. 2
Paullus Segneri *If.*	ſec. XVII.	p. 326	T. 2
Paull. Gabriel Antoine *If.*	ſec. XVIII.	p. 367	T. 2
Pelagius Alvarus *Fr.*	ſec. XIV.	p. 171	T. 2
Pererius *If.*	ſec. XVII.	p. 326	T. 2
Perronius Card.	ſec. XVII.	p. 319	T. 2
Petrus	ſeculo I.	p. 75	T. 1
Petr. Chryſologus	ſec. V.	p. 182	T. 1
Petr. Siculus	ſec. IX.	p. 302	T. 1
Petr. Damiani	ſec. XI.	p. 69	T. 2
Petr. Mauricius *Cn.*	ſec. XII.	p. 105	T. 2
Petr. Lombardus	ſec. XII.	p. 105	T. 2
Petr. Bleſenſis	ſec. XII.	p. 106	T. 2
Petr. Cellenſis	ſec. XII.	p. 106	T. 2
Petr. Abaelardus	ſec. XII.	p. 107	T. 2
Petr. Aureolus *Fr.*	ſec. XIV.	p. 171	T. 2
Petr. Paludanus *Pd.*	ſec. XIV.	p. 172	T. 2
Petr. de Paternis *Ag.*	ſec. XIV.	p. 173	T. 2
Petr. Berchorius *Bn.*	ſec. XIV.	p. 173	T. 2
Petr. de Alliaco	ſec. XV.	p. 207	T. 2
Petr. de Ancharano	ſec. XV.	p. 211	T. 2
Petr. Soto *Pd.*	ſec. XVI.	p. 264	T. 2
Petr. Pithœus	ſec. XVI.	p. 270	T. 2
Petr. Arrubal *If.*	ſec. XVII.	p. 318	T. 2
Petr. Ledeſma *Pd.*	ſec. XVII.	p. 319	T. 2
Petr. de Marca	ſec. XVII.	p. 323	T. 2

Petr. de Walemburch	Sec. XVII.	p. 325	T. 2
Petr. Nicolius	ſec. XVII.	p. 327	T. 2
Petr. Thomas Foſſeus	ſec. XVII.	p. 327	T. 2
Petr. Conſtant *Bn.*	ſec. XVIII.	p. 363	T. 2
Petr. Lambert le Drou *Ag.*	ſec. XVIII.	p. 366	T. 2
Petrus Manſo *Ag.*	ſec. XVIII.	p. 366	T. 2
Petr. Thomas Cacciari *Cr.*	ſec. XVIII.	p. 368	T. 2
Petr. Thom. Sanctabarbara *Cr.*	ſec. XVIII.	p. 368	T. 2
Petr. Daniel Huetius	ſec. XVIII.	p. 369	T. 2
Petr. Bergantinus *Cler. Reg.*	ſec. XVIII.	p. 370	T. 2
Philaſtrius	ſec. IV.	p. 156	T. 1
Philibertus Balla *If.*	ſec. XVIII.	p. 368	T. 2
Philippus Solitarius	ſec. XI.	p. 73	T. 2
Philippus Eleemoſynarius	ſec. XII.	p. 108	T. 2
Philip. Ribotus *Cr.*	ſec. XIV.	p. 173	T. 2
Philip. Labbeus *If.*	ſec. XVII.	p. 323	T. 2
Philip. Van-Waure *Ag.*	ſec. XVIII.	p. 366	T. 2
Philip. a Carboneano *Fr.*	ſec. XVIII.	p. 368	T. 2
Philo	ſec. I.	p. 76	T. 1
Pineda *If.*	ſec. XVII.	p. 326	T. 2
Polycarpus	ſec. II.	p. 102	T. 1
Pompejus Berti	ſec. XVIII.	p. 369	T. 2
Pontas	ſec. XVIII.	p. 370	T. 2
Poſſidius	ſec. V.	p. 184	T. 1
Primaſius	ſec. VI.	p. 214	T. 1
Procopius Gazæus	ſec. VI.	p. 214	T. 1
Procop. Cæſarienſis	ſec. VI.	p. 216	T. 1

Prosper	Sec. V.	p. 184	T. 1
Prudentius	sec. V.	p. 185	T. 1
Ptolomæus Lucensis *Pd.*	sec. XIV.	p. 174	T. 2
R.			
Rabanus Maurus	Sec. IX.	p. 301	T. 1
Radulphus Londinensis	seculo XII.	p. 108	T. 2
Ranulphus Hidgen *Bn.*	sec. XIV.	p. 173	T. 2
Ratherius	sec. X.	p. 130	T. 1
Ratramnus	sec. IX.	p. 301	T. 1
Raymundus de Agiles	sec. XI.	p. 73	T. 2
Raymund. Martini *Pd.*	sec. XIII.	p. 140	T. 2
Raymund. de Pennafort collector Decret. *Pd.*	sec. XIII.	p. 140	T. 2
Raymund. Jordanus cognomento Idiota	sec. XIV.	p. 173	T. 2
Raymund. Maria Corsi *Pd.*	sec. XVIII.	p. 365	T. 2
Raymund. Missorius *Fr.*	sec. XVIII.	p. 368	T. 2
Reginaldus Polus	sec. XVI.	p. 267	T. 2
Regino	sec. X.	p. 329	T. 1
Remigius	sec. IX.	p. 301	T. 1
Remigius Lugdunensis Episc.	sec. IX.	p. 302	T. 1
Renatus Massuet *Bn.*	sec. XVIII.	p. 363	T. 2
Richa *If.*	sec. XVIII.	p. 367	T. 2
Richardus a S. Victore	sec. XII.	p. 106	T. 2
Richardus de Mediavilla	seculo XIII.	p. 141	T. 2
Richardus Cestrensis *Bn.*	sec. XIV.	p. 173	T. 2

Robert. Bellarminus *Ij.*	Sec. XVII.	*p.* 319	T. 2
Rodericus Ximenius	sec. XIII.	*p.* 139	T. 2
Rogerus Baconus *Fr.*	sec. XIII.	*p.* 140	T. 2
Rubertus Abbas Tuitiensis	sec. XII.	*p.* 104	T. 2
Rupertus Kolkot *Pd.*	sec. XIV.	*p.* 172	T. 2
	S.		
Salianus *Ij.*	Sec. XVII.	*p.* 325	T. 2
Sambovius *Ij.*	sec. XVII.	*p.* 326	T. 2
Sampirus Hispanus	sec. XI.	*p.* 72	T. 2
Samuel eMarocho	sec. XI.	*p.* 71	T. 2
Sanctes Pagninus *Pd.*	sec. XVI.	*p.* 267	T. 2
Scipio Maffejus	sec. XVIII.	*p.* 371	T. 2
Sedulius	seculo V.	*p.* 185	T. 1
Serarius *Ij.*	sec. XVII.	*p.* 326	T. 2
Sergius	sec. IX.	*p.* 302	T. 1
Severinus Boethius	sec. VI.	*p.* 219	T. 1
Sfortia Cardin. Pallavicinus *Ij.*	sec. XVII.	*p.* 322	T. 2
Sidonius	sec. V.	*p.* 185	T. 1
Siffridus Misnensis	seculo XIV.	*p.* 144	T. 2
Sigebertus Gemblacensis	seculo XII.	*p.* 103	T. 2
Sigismundus Buttner	sec. XVIII.	*p.* 366	T. 2
Sigonius Mutinensis	sec. XVI.	*p.* 270	T. 2
Simeon Stylites junior	seculo VI.	*p.* 218	T. 1
Simeon Metaphrastes	sec. X.	*p.* 328	T. 1
Simeon Anglus	sec. XII.	*p.* 108	T. 2

Simeon Fidatus a Caſſia *Ag.*	Sec. XIV.	*p.* 172	T. 2
Simeon Tornaquinei *Ag.*	ſec. XV.	*p.* 209	T. 2
Simeon de Muis	ſec. XVII.	*p.* 326	T. 2
Simon Cremonenſis *Ag.*	ſec. XIV.	*p.* 173	T. 2
Siſebutus	ſec. VII.	*p.* 242	T. 1
Sixtus Senenſis *Pd.*	ſec. XVI.	*p.* 268	T. 1
Socrates	ſec. V.	*p.* 184	T. 2
Sophronius	ſec. VII.	*p.* 242 *& ſeq.*	T. 1
Sozomenus	ſec. V.	*p.* 184	T. 1
Stanislaus Hoſius	ſec. XVI.	*p.* 267	T. 2
Stephanus Aurelianenſis	ſec. XII.	*p.* 108	T. 2
Stephanus Deſcamps *If.*	ſec. XVII.	*p.* 327	T. 2
Stephanus Baluzius	ſec. XVIII.	*p.* 369	T. 2
Suidas	ſec. X.	*p.* 330	T. 1
Sulpicius	ſec. V.	*p.* 183	T. 1
Symmachus Samarit.	ſec. III.	*p.* 127	T. 1

T.

Tamburinus *If.*	Sec. XVIII.	*p.* 367	T. 2
Tatianus Syrus	ſec. II.	*p.* 103	T. 1
Tereſia	ſec. XVI.	*p.* 271	T. 2
Tertullianus	ſec. III.	*p.* 124	T. 1
Thaddæus Caluſchi *Ag.*	ſec. XVIII.	*p.* 366	T. 1
Theodoretus	ſec. V.	*p.* 184	T. 2
Theodoricus Trevirenſis	ſec. XI.	*p.* 73	T. 2
Theodoricus Leodienſis	ſec. XII.	*p.* 107	T. 2
Theodoricus de Niem	ſec. XV.	*p.* 209	T. 2
Theodoricus Ruinart *Bn.*	ſec. XVIII.	*p.* 363	T. 2

Theodorus	Seculo III.	p. 127	T. 1
Theodorus Lector	sec. VI.	p. 216	T. 1
Theodorus	sec. IX.	p. 301	T. 1
Theod. Abucara	sec. IX.	p. 304	T. 1
Theodorus Balsamon	sec. XII.	p. 107	T. 2
Theod. Syrus	sec. XII.	p. 107	T. 2
Theod. Lascaris	sec. XIII.	p. 141	T. 2
Theoduinus	sec. XI.	p. 71	T. 2
Theodulphus	sec. VIII.	p. 273	T. 1
Theognostus	sec. IX.	p. 302	T. 1
Theophanes	sec. VI.	p. 217	T. 1
Theophanes Nicænus	sec. XIV.	p. 175	T. 2
Theophylactus	sec. VII.	p. 242	T. 1
Theophilus Antioch.	sec. II.	p. 103	T. 1
Thomas Cantuariensis Martyr	sec. XII.	p. 106	T. 2
Thomas Anglus	sec. XII.	p. 106	T. 2
Thomas Aquinas *Pd.*	sec. XIII.	p. 137	T. 2
Thomas Braduardinus *Fr.*	sec. XIV.	p. 172	T. 2
Thomas de Argentina *Ag.*	sec. XIV.	p. 172	T. 2
Thomas Valden. *Cr.*	sec. XV.	p. 207	T. 2
Thomas a Kempis	sec. XV.	p. 208	T. 2
Thomas Anglicus *Pd.*	sec. XV.	p. 209	T. 2
Thomas Card. Cajetanus *Pd.*	sec. XVI.	p. 264	T. 2
Thomas Stapletonus	sec. XVI.	p. 266	T. 2
Thomas a Villanova *Ag.*	sec. XVI.	p. 271	T. 2
Thomas de Lemos *Pd.*	sec. XVII.	p. 318	T. 2
Thomas Malvenda *Pd.*	sec. XVII.	p. 322	T. 2

Thomas Vincentius Moneglia *Pd.*	sec. XVIII.	*p.* 365	T. 2
Thomas Archiep. Cervioni *Ag.*	sec. XVIII.	*p.* 366	T. 2
Thomas Rinaldi *Ag.*	sec. XVIII.	*p.* 366	T. 2
Thoros Armen. Patriarcha	sec XI.	*p.* 71	T. 2
Tillemontius	sec. XVII.	*p.* 327	T. 2
Tirinus *If.*	sec. XVII.	*p.* 326	T. 2
Tyrsus Gonzales *If.*	sec. XVII.	*p.* 326	T. 2

V.

Varmannus	Sec. XI.	*p.* 73	T. 2
Ubertus	sec. XI.	*p.* 73	T. 2
Venantius Fortunatus	sec. VI.	*p.* 219	T. 1
Viator a Coccalio *Fr.*	sec. XVIII.	*p.* 368	T. 2
Victorinus	sec. III.	*p.* 127	T. 1
Victorius	sec. V.	*p.* 184	T. 1
Victor Virensis	sec. V.	*p.* 185	T. 1
Victor Capuanus	sec. VI.	*p.* 214	T. 1
Villalpandus *If.*	sec. XVII.	*p.* 325	T. 2
Villeramus Teutonicus	sec. XI.	*p.* 71	T. 2
Vincentius Bellovacensis *Pd.*	sec. XIII.	*p.* 140	T. 2
Vincentius Ferrerius *Pd.*	sec. XV.	*p.* 208	T. 2
Vincentius Contensonus *Pd.*	sec. XVII.	*p.* 319	T. 2
Ulricus de Argentina	sec. XIII.	*p.* 138	T. 2
Umbertus de Cocconato *If.*	sec. XVIII.	*p.* 367	T. 2
Usuardus	sec. XI.	*p.* 303	T. 1
Walafridus Strabo	sec. IX.	*p.* 303	T. 1

Willelmus Malmesburienſis	Sec. XII.	p. 108	T. 2
Willelmus Eſtius	ſeculo XVI.	p. 266	T. 2
Winduchindus ſeu Witikindus Can. Reg.	ſec. X.	p. 329	T. 1

Z.

Zacharias Boverius *Fr.*	Sec. XVII.	p. 322	T. 2
Zeno	ſec. IV.	p. 155	T. 1

INDEX VII.

PROPHANORUM SCRIPTORUM

Alphabetico-Chronologicus.

Scriptores Monachi deſignantur litteris uti in Indice VI.

A.

Aaron Rachid	Seculo IX.	p. 318	T. 1
Aben-Ezra	ſec. XII.	d. 121	T. 2
Abrahamus Ortelius	ſec. XVI.	p. 291	T. 2
Aldhelmus	ſec. VII.	p. 258	T. 1
Adrianus Turnebus	ſec. XVI.	p. 290	T. 2
Ælianus	ſec. II.	p. 115	T. 1
Alaricus	ſec. VI.	p. 232	T. 1
Aldus Manutius	ſec. XV.	p. 226	T. 2
Alexander Politi *SP.*	ſec. XVIII.	p. 390	T. 2
Ambroſius Calepinus *Ag.*	ſec. XV.	p. 223	T. 2
Ammianus Marcellinus	ſec. IV.	p. 170	T. 1
Andreas Alciatus	ſec. XVI.	p. 291	T. 2

Andreas Tiraquellus	Sec. XVI.	p. 291	T. 2
Andreas Schottus *Iſ.*	ſec. XVII.	p. 342	T. 2
Angelus Politianus	ſec. XV.	p. 222	T. 2
Antonius Covarruvias	ſec. XVI.	p. 291	T. 2
Antonius Auguſtinus	ſec. XVI.	p. 291	T. 2
Antonius Poſſevinus *Iſ.*	ſec. XVII.	p. 342	T. 2
Antonius Maria Salvini	ſec. XVIII.	p. 390	T. 2
Antonius Vannuchi	ſec. XVIII.	p. 390	T. 2
Antonius Philippus Adami	ſec. XVIII.	p. 390	T. 2
Antonius Genuenſis	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Antonius Le-Grand	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Antonius Valliſuerius	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Antonius Cocchi	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Appianus	ſec. II.	p. 115	T. 1
Apulejus	ſec. II.	p. 116	T. 1
Arnoldus Pontanus	ſec. XVII.	p. 343	T. 2
Arrianus	ſec. II.	p. 115	T. 1
Aſclepiodotus	ſec. IV.	p. 170	T. 1
Aſinius Quadratus	ſec. III.	p. 141	T. 1
Athenæus	ſec. II.	p. 116	T. 1
Aubertus Miræus	ſec. XVII.	p. 343	T. 2
Averroes	ſec. XII.	p. 121	T. 2
Auguſtinus Dethus	ſec. XV.	p. 223	T. 2
Avicenna	ſec. XI.	p. 87	T. 2
Auſonius	ſec. IV.	p. 171	T. 1
Aurelius Victor	ſec. IV.	p. 170	T. 1

B.

Baldus	Sec. XV.	p. 225	T. 2
Bartolus	ſec. XIV.	p. 188	T. 2
Barbeyracius	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Bartholomæus Facius	ſec. XV.	p. 223	T. 2
Bartholomæus Fontius	ſec. XV.	p. 225	T. 2
Barnabas Briſſonius	ſec. XVI.	p. 291	T. 2
Benedictus de Accoltis	ſec. XV.	p. 224	T. 2
Benedictus Stay	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Bernardinus Eques Perfetti	ſec. XVIII.	p. 390	T. 2
Beulanus	ſec. VI.	p. 231	T. 1
Boccaccius	ſec. XIV.	p. 189	T. 2
Bochemerus	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2

C.

Capitolinus	Seculo IV.	p. 170	T. 1
Cappidus Staurienſis	ſec. X.	p. 342	T. 1
Carodocus	ſec. XII.	p. 121	T. 2
Carolus Sigonius	ſec. XVI.	p. 291	T. 2
Celſus Epicureus	ſec. II.	p. 116	T. 1
Cenſorinus	ſec. III.	p. 140	T. 1
Chalcidius	ſec. IV.	p. 170	T. 1
Chriſtophorus Landinus	ſec. XV.	p. 222	T. 2
Chriſtophorus Clavius *Iſ.*	ſec. XVI.	p. 291	T. 2
Claudianus	ſeculo IV.	p. 171	T. 1
Claudius Salmaſius	ſec. XVII.	p. 344	T. 2
Coccejus	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Collutius	ſec. XIV.	p. 190	T. 2
Columella	ſec. I.	p. 92	T. 1
Conſtantinus Afer	ſec XI.	p. 87	T. 2
Conſtantinus Harmenopolus	ſeculo XIV.	p. 188	T. 2
Curtius	ſec. I.	p. 92	T. 1

D.

Damaſcius	Sec. VI.	p. 231	T. 1
Daniel Henſius	ſec. XVII.	p. 343	T. 2
Danthes	ſec. XIV.	p. 188	T. 2
David Kimchi	ſec. XII.	p. 121	T. 2
Dio Chryſoſtomus	ſec. II.	p. 115	T. 1
Diogenes Laertius	ſec. II.	p. 115	T. 1
Dion Caſſius	ſec. III.	p. 141	T. 1
Dionyſius Longinus	ſec. III.	p. 140	T. 1
Dionyſius Hiſt.	ſec. III.	p. 141	T. 1
Dionyſius Lambinus	ſec. XVI.	p. 290	T. 2
Drepanius Florus	ſec. VII.	p. 258	T. 1
Dominicus Lazzarinus	ſec. XVIII.	p. 390	T. 2
Dominicus Brogianus	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Dudo Neuſtrius	ſec. X.	p. 343	T. 1

E.

Edmundus Purchorius	Sec. XVIII.	p. 391	T. 2
Eduardus Corſinius *SP.*	ſec. XVIII.	p. 390	T. 2
Eginarthus	ſec. VIII.	p. 286	T. 1
Emmanuel Chryſolora	ſec. XIV.	p. 188	T. 2
Epictetus	ſec. I.	p. 92	T. 1
Ermolaus Barbarus	ſec. XV.	p. 222	T. 2
Erycius Puteanus	ſec. XVII.	p. 343	T. 2
Ethelvolphus	ſec. VIII.	p. 287	T. 1
Eunapius	ſec. IV.	p. 170	T. 1
Euſtachius Manfredius	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Eutropius	ſec. IV.	p. 170	T. 1

F.

Famianus Strada *If.*	Sec. XVII.	*p.* 342	T. 2
Fortunatus a Brixia *Fr.*	ſec. XVIII.	*p.* 391	T. 2
Franciſcus Accurſius	ſec. XIII.	*p.* 157	T. 2
Franciſcus Petrarcha	ſec. XIV.	*p.* 188	T. 2
Franciſcus Guicciardini	ſec. XVI.	*p.* 291	T. 2
Franciſcus Patricius	ſec. XVI.	*p.* 291	T. 2
Franciſcus Varga	ſec. XVI.	*p.* 291	T. 2
Franciſcus Jaquier Ord. Minim.	ſec. XVIII.	*p.* 391	T. 2
Franciſcus de Regis	ſec. XVIII.	*p.* 391	T. 2
Franciſcus Verde	ſec. XVIII.	*p.* 391	T. 2
Fridericus Spanhemius	ſec. XVII.	*p.* 344	T. 2
Frontinus	ſec. I.	*p.* 92	T. 1
Fronto Ducæus *If.*	ſec. XVII.	*p.* 343	T. 2

G.

			T. 2
Gabriel Naudæus	Sec. XVII.	*p.* 344	T. 1
Galenus	ſeculo II.	*p.* 116	T. 2
Galilæus Galilæi	ſec. XVII.	*p.* 344	T. 1
Gallus Milo	ſec. IX.	*p.* 318	T. 2
Caſpar Scioppius	ſec. XVII.	*p.* 343	T. 2
Gellius	ſec. II.	*p.* 115	T. 1
Georgius Syncellus	ſec. VIII.	*p.* 286	T. 1
Georgius Theophanes	ſec. VIII.	*p.* 286	T. 1
Georgius Fabricius	ſec. XV.	*p.* 223	T. 2
Gerardus Mercator	ſec. XV.	*p.* 223	T. 1
Gerardus Joannes Voſſius	ſec. XVII.	*p.* 243	T. 2

Graveſand	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Guilelmus Budæus	ſec. XVI.	p. 290	T. 2

H.

Heineccius	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Hermannus Boerhaave	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Hermogenes	ſec. II.	p. 116	T. 1
Hermolaus	ſec. VI.	p. 231	T. 1
Herodianus	ſec. III.	p. 200	T. 1
Heſychius	ſec. V.	p. 200	T. 1
Heſychius Mileſius	ſec. VI.	p. 231	T. 1
Hierocles	ſec. IV.	p. 171	T. 1
Hieronymus Vida Can. Reg.	ſec. XVI.	p. 291	T. 2
Hieronymus Mercurialis	ſec. XVI.	p. 291	T. 2
Holifax, ſive Jo. De Sacro Boſco	ſec. XIII.	p. 156	T. 2
Hugobaldus	ſec. IX.	p. 318	T. 1
Hugolinus Verini	ſec. XV.	p. 224	T. 2
Hunibaldus	ſec. VI.	p. 231 *ſeq.*	& T. 1

I.

Jacobus Sadoletus	ſec. XVI.	p. 290	T. 2
Jacobus Sannazarius	ſec. XVI.	p. 291	T. 2
Jacobus Cujacius	ſec. XVI.	p. 291	T. 2
Jacobus Auguſtus Thuanus	ſec. XVII.	p. 343	T. 2
Jacobus Uſſerius	ſec. XVII.	p. 343	T. 2
Jacobus Facciolati	ſec. XVIII.	p. 390	T. 2
Jamblicus	ſec. IV.	p. 170	T. 1
Jannotius Manetri	ſec. XV.	p. 223	T. 2
Janus Pancus	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Janus Vincentius Gravina	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Joachimus Camerarius	ſec. XV.	p. 223	T. 2

Joannes Albertus de Soria	Sec. XVIII.	p. 391	T. 2
Joan. Antonius Vulpius	sec. XVIII.	p. 390	T. 2
Joannes Assarius	sec. X.	p. 342	T. 1
Joannes Aventinus	sec. XV.	p. 223	T. 2
Joan. Baptista Caracciolus *Tn.*	sec. XVIII.	p. 391	T. 2
Joan. Baptista Beccaria	sec. XVIII.	p. 391	T. 2
Joan. Bodinus	sec. XVI.	p. 191	T. 2
Joan. Buxtorfius	sec. XVII.	p. 343	T. 2
Joan. Casa	sec. XVI.	p. 290	T. 2
Joan. de Oxonio	sec. XIII.	p. 156	T. 2
Joan. de Sacro Bosco, *vulgo Halifax*	sec. XIII.	p. 156	T. 2
Joan. de Imola	sec. XV.	p. 225	T. 2
Joan. Drusius	sec. XVII.	p. 343	T. 2
Joan. Dallæus	sec. XVII.	p. 344	T. 2
Joan. Fust	sec. XV.	p. 226	T. 2
Joan. Fredericus Gronovius	sec. XVII.	p. 344	T. 2
Joan. Gorreburgen	sec. XV.	p. 226	T. 2
Joan. Gratianus	sec. XVIII.	p. 390	T. 2
Joan. Henricus Hottingerus	sec. XVII.	p. 344	T. 2
Joan. Italus	sec. XI.	p. 87	T. 2
Joan. Jovianus Pontanus	sec. XV.	p. 223	T. 2
Joan. Lascaris	sec. XV.	p. 122	T. 2
Joan. Lightfootius	sec. XVII.	p. 344	T. 2
Joan. Marcianus	sec. XII.	p. 121	T. 2
Joan. Mariana *Is.*	sec. XVII.	p. 342	T. 2
Joan. Meursius	sec. XVII.	p. 343	T. 2
Joan. Maria a Turre *Sm.*	sec. XVIII.	p. 391	T. 2
Joan. Picus	sec. XV.	p. 223	T. 2
Joan. Paullus Lancillotus	sec. XVI.	p. 291	T. 2

Joan. Petrus Zanotti	Sec. XVIII.	p. 390	T. 2
Joan. Poleni	sec. XVIII.	p. 391	T. 2
Joan. Regiomontanus	sec. XV.	p. 225	T. 2
Joan. Sleidanus	sec. XV.	p. 223	T. 2
Joan. Seldenus	sec. XVII.	p. 343	T. 2
Joan. Tzetzes	sec. XII.	p. 121	T. 2
Joseph Acosta *If.*	sec. XVI.	p. 291	T. 2
Joseph Averanius	sec. XVIII.	p. 391	T. 2
Joseph Devonius Iscanus	sec. XIII.	p. 156	T. 2
Joseph Hebr.	sec. I.	p. 92	T. 1
Joseph Justus Scaliger	sec. XVI.	p. 291	T. 2
Joseph Ursius	sec. XVIII.	p. 390	T. 2
Isaacus Casaubonus	sec. XVII.	p. 342	T. 2
Julianus	sec. IV.	p. 170	T. 1
Julianus Patricius	sec. VII.	p. 258	T. 1
Julius Titianus	sec. III.	p. 141	T. 1
Julius Cæsar Scaliger	sec. XV.	p. 223	T. 2
Justinus	sec. II.	p. 116	T. 1
Justinus Lippiensis	sec. XIII.	p. 156	T. 2
Justus Lipsius	sec. XVI.	p. 290	T. 2
Juvenalis	sec. I.	p. 92	T. 1

L.

Lambertus Schafnaburgensis	Sec. XI.	p. 87	T. 2
Lampridius	sec. IV.	p. 170	T. 1
Laonicus Chalcondylas	sec. XV.	p. 222	T. 2
Latinus Latinius	sec. XVI.	p. 290	T. 2
Laurentius Valla	sec. XV.	p. 223	T. 2
Laurentius Campegius	sec. XVI.	p. 291	T. 2
Leonardus Brunus	sec. XV.	p. 224	T. 2

Leonardus Juſtinianus	Sec. XV.	p. 224	T. 2
Leonardus Ximenes *Iſ.*	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Leopoldus Guadagni	ſec. XVIII.	p. 390	T. 2
Libanius	ſec. IV.	p. 171	T. 1
Livius	ſec. I.	p. 91	T. 1
Lucanus	ſec. I.	p. 92	T. 1
Lucianus	ſec. II.	p. 116	T. 1
Lucas Holſtenius	ſec. XVII.	p. 344	T. 2
Ludovicus Capellus	ſec. XVII.	p. 343	T. 2
	M.		
Macrobius	Sec. IV.	p. 170	T. 1
Marſilius Ficinus	ſec. XV.	p. 222	T. 2
Marcus Antonius Muretus	ſec. XVI.	p. 290	T. 2
Martialis	ſec. I.	p. 92	T. 1
Martianus Capella	ſec. V.	p. 199	T. 1
Matthæus Palmerius	ſec. XV.	p. 224	T. 2
Maximus Planudes	ſec. XIV.	p. 188	T. 2
Michael Pſellus	ſec. IX.	p 318	T. 1
Moſes Maimonides	ſec. XII.	p. 121	T. 2
	N.		
Newton	Sec. XVIII.	p. 391	T. 2
Nicolaus Copernicus	ſec. XVI.	p. 291	T. 2
Nicol. Rigaltius	ſec. XVII.	p. 343	T. 2
Nicol. de Martino	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Nithardus	ſec. IX.	p. 318	T. 1
	O.		
Occo Scharlenſis	Seculo X.	p. 343	T. 1
Octavianus Cametri *Vſ.*	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2

Olympiodorus	Sec. V.	p. 200	T. 1
Ovidius	sec. I.	p. 91	T. 1
	P.		
Panodorus	Seculo V.	p. 198	T. 1
Papinianus	sec. III.	p. 140	T. 1
Paulus Manutius	sec. XVI.	p. 290	T. 2
Paulus Frisius *Cl. Regul.*	sec. XVIII.	p. 391	T. 2
Pausanias	sec. II.	p. 115	T. 1
Persius	sec. I.	p. 92	T. 1
Petrarcha	sec. XIV.	p. 289	T. 2
Petronius Arbiter	sec. I.	p 92	T. 1
Petrus Patricius	sec. VI.	p. 231	T. 1
Petrus Scoeffer	sec. XV.	p. 226	T. 2
Petrus Bembus	sec. XVI.	p 290	T. 2
Petrus Victorius	sec. XVI.	p. 290	T. 2
Petrus Pahœos	sec. XVI.	p 290	T. 2
Petrus Cunæus	sec XVII.	p. 343	T. 2
Petrus Molinæus	sec. XVII.	p. 343	T. 2
Petrus Gassendus	sec. XVII.	p. 343	T. 2
Petrus Metastasius	sec. XVIII.	p. 390	T. 2
Petrus de Martino	sec. XVIII.	p. 391	T. 2
Petrus Van-Muschenbroeck	sec. XVIII.	p. 391	T. 2
Phædrus	sec. I.	p. 91	T. 1
Philippus Gualterus Castellionius	sec. XIII.	p. 156	T. 2
Philippus Cluverius	sec. XVII.	p. 343	T. 2
Philo Judæus	sec. I.	p. 92	T. 1
Philostorgius	sec. V.	p. 198	T. 1
Philostratus	sec. III.	p. 141	T. 1
Plinius	sec. I.	p. 92	T. 1
Plutarchus	sec. II.	p. 115	T. 1
Poggius Bracciolinus	sec. XV.	p. 224	T. 2
Pollux	sec. II.	p. 116	T. 1
Pomponius Lætus	sec. XV.	p. 225	T. 2

Pomponius Mela	Seculo I.	p. 92	T. 1
Porphyrius	ſec. III.	p. 141	T. 1
Priſcianus	ſec. VI.	p. 231	T. 1
Proclus	ſec. V.	p. 151	T. 1
Prudentius	ſec. IV.	p. 171	T. 1
Puffendorfius	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Q.			
Quintilianus	Seculo I.	p. 92	T. 1
R.			
Raphael Volaterranus	Sec. XVI.	p. 290	T. 2
Renatus Carteſius	ſec. XVII.	p. 343	T. 2
Richardus Mead	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Robertus Stephanus	ſec. XV.	p. 226	T. 2
Rodulphus Niger	ſec. XIII.	p. 156	T. 2
Rodulphus Agricola	ſec. XV.	p. 225	T. 2
Rogerius Joſeph Boſcovich *If.*	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Roſwida	ſec. X.	p. 343	T. 1
Rutilius Numatianus	ſec. V.	p. 199	T. 1
S.			
Sabbatius	Seculo IX.	p. 318	T. 1
Salvator Corticellius *Cler. Reg.*	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Samuel Beluanus	ſec. VII.	p. 258	T. 1
Samuel Petitus	ſec. XVII.	p. 344	T. 2
Samuel Bochartus	ſec. XVII.	p. 344	T. 2
Scævola Sammarthanus	ſec. XVII.	p. 342	T. 2
Scipio Maffejus	ſec. XVIII.	p. 390	T. 2
Seneca	ſec. I.	p. 91	T. 2
Sethus Calviſius	ſec. XVII.	p. 343	T. 2
Silius	ſec. I.	p. 92	T. 1
Sivardus	ſec. IX.	p. 318	T. 1
Sixtus Ruſinger	ſec. XV.	p. 226	T. 2
Solco	ſec. IX.	p. 318	T. 1

Sozomenus Pistorienſis	Sec. XIII.	p. 156	T. 2
Spartianus	ſec. III.	p. 141	T. 1
Statius	ſec. I.	p. 92	T. 1
Strabo	ſec. I.	p. 91	T. 1
Suetonius	ſec. II.	p. 115	T. 1

T.

Tacitus	Sec. II.	p. 115	T. 1
Tanaquillus Faber	ſec. XVII	p. 344	T. 2
Thalelæus	ſec. VI.	p. 232	T. 1
Themiſtius	ſec. IV.	p. 170	T. 1
Thomas del Garbo	ſec. XIV.	p. 188	T. 2
Thomas Campanella *Pd.*	ſec. XVII.	p. 343	T. 2
Thomas Villis	ſec. XVII.	p. 344	T. 2
Thomas Pope-Blount	ſec. XVII.	p. 344	T. 2
Thomas Perelli	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Thomas le-Seur	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Timotheus Gazæus	ſec. V.	p. 199	T. 1
Torquatus Taſſus	ſec. XVI.	p. 291	T. 2
Trojanus Bocalinus	ſec. XVII.	p. 343	T. 2
Trebellius Pollio	ſec. IV.	p. 170	T. 1
Tycho Brahe	ſec. XVI.	p. 291	T. 1

V.

Valerius Maximus	Seculo I.	p. 91	T. 1
Valerius Flaccus	ſec. I.	p. 92	T. 1
Vellejus Paterculus	ſec. I.	p. 92	T. 1
Verney	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2
Vincentius Cadluccus	ſec. XIII.	p. 156	T. 2
Uldaricus	ſec. XV.	p. 226	T. 2
Ulpianus	ſec. III.	p. 141	T. 1
Ulricus Gering	ſec. XV.	p. 226	T. 2
Voet	ſec. XVIII.	p. 391	T. 2

Volphangus Lazius	Sec. XV.	p. 223	T. 2
Vopiſcus	ſec. IV.	p. 170	T. 1

Z.

Zegerus Bernardus Van-Eſpen	Sec. XVIII.	p. 391	T. 2
Zoſimus	ſec. V.	p. 200	T. 1

INDEX VIII.

ALPHABETICUS

Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & Rerum Notabilium.

A.

Abraxas à Baſilide Deus appellatur; hujus vocis variæ ſignificationes. *p.* 72. *in not. d.* T. 1.

Academia Neapoli inſtituta. *p.* 144. & 156. T. 2. aliæque aliis locis. *p.* 156. 187. 225. 289. 342. & 390. T. 2.

Ægyptus peſte vexatur. *p.* 138. T. 1.

Æris Campani uſus a Sabiniano Pontifice inventus. *p.* 233. T. 1.

Ætas ad Presbyteratum præſcripta. *p.* 227. T. 1.

Ætna ingentem flammarum copiam eructavit. *p.* 187. T. 2.

Alexandrum III. Friderico Imp. ſuis pedibus provoluto inſultaſſe inter commentitia rejiciendum. *p.* 93. & *not. e.* T. 2.

Americus Veſputius Americam invenit. *p.* 222 T. 2.

Anacletum poſt Clementem ſediſſe ex vetuſtis Diptychis colligitur. *p.* 94. & *not. a.* T. 1.

Anaſtaſium Pontificem Photiniana hæreſi infectum fuiſſe falſum eſt. *p.* 151. *in not. o.* T. 1.

Anglicanum Schiſma narratur. *p.* 259. & *ſeq.* T. 2.

Antipodas dari a Pontifice Zacharia negatum. *p.* 262. *in not. b.* T. 1.

Apollinis Templum conflagravit. *p.* 162. T. 1.

Apoſtoli Symbolum edunt. *p.* 70. T. 1.

Appia via instauratur. *p.* 112. T. 1.
Aquæ fervidæ in judiciis experimentum. *p.* 312. T. 1.
Aquarum in Italia ruinosa inundatio. *p.* 85. *in not. h.* T. 2.
Archelai exilium *p.* 85. T. 1.
Arii infelix obitus. *p.* 149 T. 1.
Augusti obitus. *p.* 77. T. 1

B.

Baptisma ratum, quod ab Hæreticis rite confertur *p.* 137. T. 1.
Baptizandi nudi ter in aquam emergebantur. *p.* 111. T 1.
Beda quare *Venerabilis* nomen fuerit adeptus. *p.* 270. *in not. o.* T. 1.
Bibliothecæ Romæ extructæ. *p.* 112. T. 1.
Bibliotheca CPoli incenditur. *p.* 198. T. 1.
Bibliotheca Constantinopolitana conflagrat: item Jesuitarum Collegium Neapoli. *p.* 340 T. 2.
Bizochorum nomen unde Fraticelli acceperint. *p.* 135. T. 2.
Borboriani Hæretici quare sic dicti. *p.* 150. *in not. n.* T. 2.

C.

Calumnia *Cœnæ Thyesteæ* in Christianos. *p.* 84. T. 1.
Campana sacro ritu primum consecratur. *p.* 338. T. 1.
Canonizationes Sanctorum majore, quam antea, solemnitate peractæ. *p.* 114. T. 2.
Carolus Borbonius Neapolim appulit. *p.* 385. T. 2.
Catholicorum varia nomina. *p.* 251. T. 1.
Chrisma soli Episcopi conficiunt. *p.* 164. T. 1.
Christi Sanguis cum S. Longini corpore inventus. *p.* 312. *in not.* T. 1.
Christiani percelebrem victoriam retulere, in numeris Turcarum trucidatis. *p.* 268. T. 2.
Christianorum Regnum in Syria deletum. *p.* 154 T. 2.
Codex Theodosianus vulgatur. *p.* 188. *in not. q.* T. 1.
Cœnobia, quas *Lauras* vocant, ab Eudocia Augusta ædificata. *p.* 192. *& seq. in not. y* T. 1.
Constantinopolis terræmotu, ac peste afficitur. *p.* 198. T. 1. iterum peste absumitur. *p.* 230. T. 1. Incendio excitato tota pene arsit. *p.* 289. T. 2.

Conſtantinum M. a Silveſtro Pontifice baptizatum fuiſſe falſum videtur. *p.* 143. *in not. c.* T. 1.

Conſtantinus quare *Copronymus* appelletur. *p.* 275. T. 1.

Conſtantinus Orientis Imp. quare *Porphyrogenitus* vocetur. *p.* 334. *in not. g.* T. 1.

Conſtitutio *Unigenitus* plurima compoſuit diſſidia. *p.* 376. T. 2.

Creta e Turcarum manibus a Venetis erepta. *p.* 339. T. 1.

Cruciata ab Urbano II. indicta adverſus Saracenos. *p.* 85. T. 2.

Crucis experimentum in judiciis *p.* 317. T. 1.

Crux Domini ab Helena invenitur. *p.* 317. T. 1.

Cyriaci poſt Antherum Pontificatus eſt fictitius. *p.* 118. *in not. b.* T. 1.

Cyprus a Saracenis capta. *p.* 256. T. 1.

D.

Decretalium Libri in lucem prodeunt. *p.* 123. T. 2.

Deiparæ perpetua vindicatur Virginitas. *p.* 164. T. 1.

Diadematis uſus ab Aureliano primum invectus. *p.* 135. *in not. f.* T. 1.

Dianæ Epheſiæ Templum inc nditur. *p.* 140. T. 1.

Diocletianus t nquam Deus adoratur. *p.* T. 1.

Diptycha quid ſint. *p.* 207 *in not. l.* T. 1.

E.

Eccleſiæ clavibus nullum impervium peccatum. *p.* 137. T. 1.

Elagabali Imp. ridicula geſta. *p.* 130. *in not. y.* T. 1.

Euchariſtiæ Sacramentum, & Sacrificium ex Epiſt. ad Corinth. & Hebr. vindicatur. *p.* 82. T. 1.

Euchariſtia laicis ſub utraque ſpecie adminiſtratur. *p.* 111. T. 1.

Eugenius Princeps Sabaudiæ Gallos ingenti clade proſtravit. *p.* 383. T. 2.

F.

Feſtum *Corporis Chriſti* ab univerſa Eccleſia celebrandum ſtatuitur. *p.* 150. T. 2.

Feſtum *Viſitationis* B. Virginis ſtatutum. *p.* 181. T. 2.

Fridericus III. Rex Pruſſiæ cum exercitu Auſtriaco obſtinatum init bellum. *p.* 386. item *in not. i.* T. 2.

Francorum Regnum a quibus

quibus fuerit administratum. *p.* 195. 228. 252. 283. 313. 339. T. 1. *p.* 83. 116. 152. 183. 219. 283. 337. 381. T. 2.

G.

Græci a Rom. Ecclesia sejunguntur. *p.* 68. T. 2.
Gothorum Regnum in Italia. *p.* 194. 228. T. 1.
Gothorum Regnum in Hispania. *p.* 196. 229. 252. 282. T. 1.
Guido Aretinus Romam accersitus ut Cantum Clericos doceret. *p.* 81 T. 2.

H.

Hæreticorum haud pauci suppliciis afficiuntur. *p.* 280. T. 2.
Heliogabalus. *vide* Elagabalus.
Herculanei antiquæ Urbis, ubi nunc est *Porticus*, rudera effodi cœperunt. *p.* 341. *in not.* T. 2.
Hispaniarum Regum series, *p.* 314. 339. T. 1. *p.* 84. 116. 152. 183. 219. 283. 337. & 381. T. 2.
Hungariam Solimanus depopulatur. *p.* 285 T. 2

I.

Jejunii *quatuor Temporum* institutio. *p.* 137. T. 1.
Jerusalem obsidetur. *p.* 90 T. 1.
Jerusalem a Christianis capta. *p.* 86. T. 2. iterum in Saracenorum ditionem venit. *p.* 119. T. 2.
Jesu Christi, & Mariæ Epistolæ sunt supposititicæ. *p.* 73. T. 1.
S. Ignatius cur Θεόφορος fuerit appellatus. *p.* 101 *in not. h.* T. 1.
Ignea columna in aere visa. *p.* 169. T. 1.
Impp. adsensu eliguntur Pontifices. *p.* 337. T. 1.
Investituram Ecclesiasticam a Principibus accipientes anathemate percussi *p.* 81. T. 2.
Joanna puella Lotharingiæ strenue adversus Anglos pugnat *p.* 221. T. 2.
Joannem Papissam inter Leonem IV. & Benedictum III. Pontificatum commentitium est. *p.* 291. T. 1.
Jubilæi annus institutus. *p.* 151. T. 2.
Jubilæus ad annum quinquagesimum redactus. *p.* 181. T. 2.
Judæa in provinciam redacta. *p.* 85. T. 1.
Judæi equorum pretio divenduntur. *p.* 112. T. 1.
Julianus Apostata Templi reædificationem Hebræis

brœis ſuaſit. *p.* 162. *in not. g.* T. 1.

L.

Longobardi-Hujus vocis ἔτυμον. *p.* 223. *in not. b.* quo tempore in Italia regnare incœperint, quive fuerint Reges. *p.* 228. 252. 281. T. 1.

Leo III. a quibusdam nefariis affectus injuriis, plagisque divinitus in priſtinum ſtatum reſtituitur. *p.* 264. *in not. g.* T. 1.

Linoſtimis utuntur Diaconi. *p.* 192. T. 1.

Liturgia Hebræa abolita, & Chriſtiana ab Apoſtolis ſtatuta. *p.* 83. & *in not. u.* T. 1.

Lucanus, & Seneca interficiuntur. *p.* 89. T. 1.

M.

Mahometes dux Saracenorum; ejus ortus, & facinora recenſentur. *p.* 253. T. 1.

Mahumetis Filius, Rex Tuneti, aliique Principes Chriſtianam amplexantur Fidem. *p.* 341 T. 1.

Malachiæ de Pontificibus vaticinationes falſo tribuuntur. *p.* 91. T. 1.

Marcellini Pontificis lapſus, deque hac re Concilium habitum commentitium eſt. *p.* 142. T. 1.

Mare in Sicilia ingenti civium pernicie exundavit. *p.* 120. *in not. i.* T. 2.

Maria Θεοτόκος dicenda. *p.* 192. T. 1.

Mauritani, aliique a Chriſto deſciſcentes Alcoranum ſectantur. *p.* 285. T. 1.

Maximinus miſere moritur. *p.* 167. T. 1.

Monachi Clericorum officiis aggregantur. *p.* 165. T. 1.

Monachorum propagatus Ordo. *p.* 165. T. 1.

Monachorum Familiæ, quæ ab XI Seculo uſque in hodiernam diem ſunt inſtitutæ, recenſentur. *p.* 82. 115. 151. 181. 217. 281. & 336. T. 2.

Monſtrum informe, atque horrendum Ravennæ natum. *p.* 286. *in not. r.* T. 2.

Mulier uno partu quinque liberos gignit. *p.* 113. T. 1.

Mulieribus vetitum, ne Clauſtrum Cœnobii S. Martini Turon. ingrediantur. *p.* 338. T. 1.

N.

Nazarethana Mariæ Domus Terſactum, indeque in agrum Laure-

tanum

tanum transvecta. *p.* 127. *& in not. g.* T. 2.
Neapolis a Longobardis occupatur. *p.* 229. T. 1.
Neapolim Saraceni devaſtarunt. *p.* 315. T. 1.
Neſtorius miſere moritur. *p.* 179. T. 1.
Normandia, Gallia, & Germania pluribus calamitatibus afficiuntur. *p.* 85. *in not. h.* T. 2.
Novus Orbis a Chriſtophoro Columbo inventus. *p.* 222. T. 2.
Nuptiæ quartæ ratæ. *p.* 337. T. 1.

O.

Occidentis Imperatores a Pontificibus Rom. coronam accepere. *p.* 311. T. 1.
Ordo Equeſtris *Velleris Aurei* inſtitutus. *p.* 218. T. 2.
Ovidii exilium. *p.* 85. T. 1.

P.

Paſcha die Dominico celebrandum ſtatuitur. *p.* 110. T. 1.
Paſchalis *Communio* indicta Fidelibus. *p.* 150. T. 2.
Pandectæ, quæ nunc *Florentinæ* dicuntur Amalphi inventæ. *p.* 120. T. 2.
Panormum ignea aeris phænomena perterrefecerunt. *p.* 389. T. 2.
Papia Poppæa lex in cœlibes. *p.* 85. T. 1.
Paroeciæ inſtituuntur. *p.* 111. T. 1.
Pauli ad Senecam literæ ſunt falſæ. *p.* 75. T. 1.
Peſte quamplurimi enecti. *p.* 187. T. 1.
Peſtis Italiam vexat. *p.* 114. T. 1.
Philoſophi Roma expulſi. *p.* 90. T. 1.
Phœnix in Ægypto cernitur. *p.* 87. T. 1.
Pileus rubrus Cardinalibus conceſſus. *p.* 131. T. 2.
Portenta plurima viſa. *p.* 85. *in not. h.* T. 2.
Portenta Hieroſolymis cernuntur. *p.* 89. T. 1.
Presbyteri ut unam *Miſſam* celebrent ſtatutum. *p.* 82. T. 2.
Pſalmi alternatim canuntur. *p.* 192. T. 1.

R.

Reges plurimi, Populique Chriſtianæ Religioni nomen dedere. *p.* 227. 251. 280. & 338. T. 1.
Roma incenditur. *p.* 89. & 114. a Gothis opprimitur. *p.* 196. & 197. ab obſidione a Beliſario liberatur. *p.* 229. eandem Saraceni invadunt. *p.* 315. T. 1.

sexies fuit ab hostibus direpta. *p.* 287. *in not. t.* T. 2.

Rosa aurea solemni ritu benedicitur. *p.* 150. T. 2.

S.

Saraceni in Hispanias irruperunt. *p.* 282. Salerno, & Calabriæ excidium attulere, *p.* 315. Eorumdem ingens clades. *p.* 316. Iidem Montis Cassini Cœnobium diripiunt. *p.* 307. Iterum in Calabriam irruerunt. *p.* 341. Ab Italia expulsi fuerunt. *p* 342. Iidem in Calabria collatis signis cum Othone II. superiores fuerunt. *ibid.* T. 1. Iidem in Palæstinam irruentes Christianum Exercitum fuderunt. *p.* 118. T. 2.

Saracenorum Calipharum series. *p.* 255. 314. T. 1.

Scalarum 28. Gradus e Prætorio Pilati Romam advecti. *p.* 290. T. 1.

Senex obiit natus 361. annos *p.* 120. T. 2.

Simoni Mago statua erigitur. *p.* 67. T. 1.

Solimanus Rhodum in suam redegit potestatem. *p.* 285. T. 2.

Subdiaconis cœlibatus præscriptus. *p.* 227. T. 1

Symbolus CPolitanus argenteis tabulis sculptus. *p.* 279. T. 1.

T.

Terræ motu omnis pene Orbis concussus *p.* 169. Idem iterum, ac tertio Antiochiam quassavit. *p.* 230. T. 1. Terræ motu, fame, ac peste Syria absumitur. *p.* 153. Idem Neapoli, aliisque Urbibus ingens attulit excidium. *p.* 340. T. 2.

Tiberii Imp. varia nomina. *p.* 78. *in not. l.* T. 1.

Tibris exundavit. *p.* 285. T. 1.

Tria Capitula, de his acerrima exarsit controversia. *p.* 209. 210 & *in not. m. p.* 211. T. 1.

Trullana Synodus a *Trullo*, ubi congregata fuit, dicta; hujus vocis significatus. *p* 238. T. 1.

Tormenta bellica, quas nos *Bombardas* vocamus, inventa. *p.* 186. quis fuerit auctor. *ibid. in not. d.* T. 2.

Turcæ totum pene Orientem occuparunt. *p.* 85. T. 2.

Turcarum Monarchia, quo tempore exordium sumsit, suosque habuit Sultanos. *p.* 184. 220. 284. 338. & 382. T. 2.

Typographica ars quo

tempore, quibusve auctoribus fuerit inventa. *p.* 225. & 226. *in not. e.* T. 2.

V.

Valerianus a Sapore captus. *p.* 133. & 134. *in not. e.* T. 1.

Vandalorum Regnum quo tempore cœptum, quibusve fuerit administratum. *p.* 169. 229. T. 1.

Vasa sacra prius vitrea ex argento conflantur. *p.* 137. T. 1.

Verbi divinitas a Joanne Evang. vindicata. *p.* 82. Idem cum Patre consubstantiale adversus Arianos statuitur. *p.* 164 T. 1.

Vespasiani contra Judæos expeditor *p.* 89. T. 1.

Vesuvii primum incendium. *p.* 90. Vesuvius iterum ingentem flammarum copiam evomuit. *p.* 90. T. 1. Idem flammarum globos nuper eructans excidium finitimis Urbibus minitatus est *p.* 389. T. 2.

Ulyssiponensis Urbs magno Terræ motu & incendio pene tota absumpta. *p.* 389. T. 1.

FINIS.

